Pro LVDOVICO QVARTO IMPERATORE

contra Bzouium

PARS ALTERA.







MONACHII,
Apud Nicolaum Henricum.
ANNO M. DC. XIX.

Candido Lectori.



VIA præter opinionem meam liber aut ſub calamo, aut ſub prælo grandeſcit, conſilium inij opus bifariam partiendi, ne moleſtia afficerem tenentis manum, aut oculos offenderem incondita mole. Copia Bzouij etiam me diſertum facit. libuiſſet ſanè multa ſilere, niſi ipſe nimis multa loquutus fuiſſet. Lege talionis vtimur; ſi quis acerbior ſenſus eſt, ſciat Bzouius ſeſe excitaſſe.

ANNVS CHRISTI
1329.
Ludouici Imperatoris XVI.

I.



QVANTOPERE Bzouius Philippicis delectetur, & volubilem linguam vibret in Ludouicum, indicio est, quod hoc[a] & insequente anno[b] tertium vberi & vehementi sermone repetat res ab Cæsare Romæ gestas, dum nouum Pontificem diceret; & confessionem Nicolai, quam is captiuus apud Iohannem anno sequente instituit. Inter cætera ex Massono (quem ipse Masonium hîc & alibi vocare consueuit) hæc refert hoc anno, *Ludouicus prædictus pronunciabat & declarabat, fore hæreticum & scripturæ sacræ contrarium dicere, quod Christus & Apostoli in his, quæ habuisse leguntur, habuerint aliud quam simplicem vsum facti. Ex qua quidem pronunciatione euidenter concluditur, & Ludouicum & Petrum ex confirmatione, pronunciatione & prædicatione prædictis in damnatam hæresin per sententiam Apostolicam de fratrum promulgatam consilio incidisse.* Nihil repeto eorum, quæ de Christi & Apostolorum paupertate supra diximus, aio tantùm

[a] N. II.
[b] N. III. & X.

N. III. & X.

N. II. ante med.

An. præced. à n. 46 vsque ad 51.

ſententiam Bzouij, quam in Cæſarem tanquam hæreticum fert; non niti firmo fundamento. nam eſto Cæſar aſſeruerit, quod Pontifex damnauit, non idcircò euidenter, vt Bzouius loquitur, efficitur Ludouicum eſſe hæreticum. Legere enim me meminiapud Bellarminum alióſque Theologos, non adeò patere ſolius Pontificis definitione rem de fide fieri. Itaque nec Bellarminus [a] nec Prateolus [b] vllam Ludouico aut Franciſcanis hæreſin de Chriſti & Apoſtolorum paupertate tribuunt.

4. de Pontif. 2. §. vlt.

a In controuerſiis & chronico.

b De hæreſib.

Col. 543, III.

2. Bzouius. *Inter hæc ad 29. diem Ianuarij huius anni, Ioannem Vicecomitem, in gratiam Actij & Marci gentilium illius, Cardinalem titulo S. Euſtachij creauerat, & Legatum Lombardiæ præfecerat: deinde in pleno conſeſſu, ſeu conciliabulo Piſis, ad 18. Febr. incoram Ludouico indicto, Ioannem inprimis ſummum* Pontificem, *deinde* Robertum *Siciliæ Regem, ac Florentinos Eccl. Rom. deuotos, nec non alios partium Pontificiarum ſtudioſos, diris per contumeliam deuouerat; vtque omnes Piſani tantam abominationem abhorrentes, tum comitio intereſſent, tum actionib. iniquiſsimis ſubſcriberent, miſſo Mareſchallo homine feroculo, qui adduceret, quiue compelleret, tentauerat. Duo tunc, eodem die, quo Piſanum conciliabulum celebrauerat, non niſi per miraculum acciderunt. Clero & populo Schiſmatico, cum pſeudopontifice & Bauaro, in area publica congrega-*

to

to cum maledicta & conuitia in Ioannem, & ſedem Apoſtolicam Petrus antipapa pronunciaret, tanta ſubitò pluuia mixta grandini inundatio, cœlitus, vnà cum nimboſa tempeſtate aduenit, vt necdum comitio perfecto omnes diſſipauerit, domumque abire compulerit. Mareſchallus verò qui per vicos & compita obequitans, populum ad audientiam dirarum cogebat, ex intemperie aëris frigore immoderato obrigeſcens, cum ex medicorum conſilio balneum aqua quam vita vocant ingreſſus veſperi fuiſſet, ea igne fortuito concepto, hominem exuſſit, certiſſimo indicio, Deum, actiones Petri & Bauari iuſto odio deteſtari. Ioan. Villani l. 10. c. 119. & 123.

3. Pronunciatũ I. *Omnes Piſani tantam abominationem abhorrentes, vt tum comitio intereſſent, tũ actionibus iniquiſſimis ſubſcriberent, miſſo Mareſchallo homine feroculo, quíque adduceret, quíue cõpelleret,* Ludouicus *tentauerat.* Non omnes Piſani hanc abominationem abhorruere, vt Bzouius videri vult, quia Villanus contrarium ſignificat, addítque paucos veniſſe etiam ob cæli intemperiem, ideóque miſſum Mareſchallum, qui eos cogeret. Illud verò, *vt actionibus iniquiſſimis* ſubſcriberent, aſſumentum Bzouianum eſt. Cap. 123.

4. Pronunciatum II. *Clero & populo in area publica congregato, cùm maledicta in Iohannem Petrus pronunciaret, tanta ſubitò inundatio aduenit.*

 Hanc

Hanc publicam aream Bzouius Cæsari gratificaturus commodauit: Villanus eam non habet, & procul omni dubio concilium in templo curiáue celebratum fuit, alioqui nec Cæsar, nec Nicolaus, nec proceres in pleno, vt Villanus ait, concilio congregati, tantam cæli sæuitiam sub dio pertulissent. Neque inundatio venit, cùm maledicta in Iohannem Petrus pronunciaret, vt Bzouius fingit; sed dum congregaretur concilium, vt Villanus narrat. Ex quo itidem liquet, id nequaquam sub dio, sed vel mutato consilio sub tecto celebratum, si fortè in apertam aream indictum fuit.

5. Pronunciatum III. *Necdum comitio perfecto omnes dissipauit tempestas domúmque abire compulit.* Hoc quoque totum de sua liberalitate addit Bzouius, nam Villanus vnicus eius auctor id non tradit. Et quidem Bzouii animus videtur hoc loco ad Tartaros, quia secum non fuit, peregrinatus: nam quis tam amans nimbi grandinísque fuisset, vt iis tam immaniter sæuientibus, sese credidisset viis plateísque? tempestatem certè non tam fugisset, quàm quæsiuisset; nec nisi stulti deseruissent tecta & cadente grandine domum abiissent.

6. Pronunciatum IV. *Duo non nisi per miraculum acciderunt.* Et quia grando cælo excussa

cussa est, dum comitium congregaretur, & quia Mareschallus in balneo vesperi interiit, indubitata duo miracula contigisse Bzouius asseuerat, cum tamen Villanus tempestatem inter miranda non numeret, sed de vna Mareschalli morte dicat, *pro magno Dei miraculo habebatur.*

7. Pronunciatum V. *Mareschallum ignis fortuitò ortus exussit, certissimo indicio, Deum actiones Petri & Bauari iusto odio detestari.* Quod ex fortuito incendio certissimum diuinæ voluntatis indicium colligis, facis quod Theologum, qualis tu es, maximè concedet. Modestè & prudenter Villanus, *Quod pro magno Dei miraculo habebatur, & Bauaro & Antipapa pro signo ipsis contrario, nempe quod indigni eorum processus Deo displicerent.*

8. Bzouius. *Ioannes Actij patruus à pseudo-pontifice Nicolao suffragante Bauaro Cardinalis creatus, cùm vir esset summa prudentia atque grauitatis, beneficium nullum agnouit, sed spreuit, vsque purpura & galeri honore semper abstinuit; non obscurè in gratiam Ioannis legitimi Pontificis, insigni quidem ipsius cum laude ac commodo. Nam ei Ioannes Pontifex Episcopatum Nouariensem postea contulit, quo permutato demum cum F. Aychardo Camedoio, Archiepiscopus Mediolanensis effectus est. Pisani tanta indignitate, quanta à Petro & Bauaro* Col. 5 AS 4 IV.

com-

commissam in legitimum Pontificem viderant commoti, non obscurè homines oderant, eáque signa offensi animi ostenderant, vt Bauarum quinto post die satietas Pisanæ vrbis cœperit, eáque relicta in Lombardiam maturârit. Dolebat Pisanis, quod ab Ioanne vero Pontifice anathemate damnati, sacrísque priui essent. Itaque Ludouico abeunte, Tarlatum Aretinum ab illo Vrbi præfectum, statim eiecerunt, & à Bauaro defectione facta, consensu omnium publico, Nicolaum pseudopontificem, quem discedens Ludouicus Bonifacio Comiti Doneratico commendarat, comprehenderunt, & in custodiam tradiderunt, quídque de eo summus Pontifex decernere vellet, missa legatione quæsiuerunt.

9. Pronunciatum I. *Ioannes beneficium nullum agnouit, sed spreuit, vsúque purpuræ & galeri honore semper abstinuit.* Solemne est Bzouio sua ex aliis describere, sed prope etiam solemne est, nonnulla mutare. Hæc quæ attulit, Iouiana sunt, sed ad mentem Bzouij inflexa. Iouius hunc in modum scribit, *Ioannes Actij patruus à pseudopontifice Nicolao, suffragante Cæsare in senatu Cardinalis effectus est: sed vir ille summæ grauitatis atque prudentiæ gratias agens, beneficium quidem agnouit, ne spernere videretur, verum vsu purpuræ galeríque semper abstinuit.* Hæc Iouius, ad quem Bzouij oculos & frontem sisto, quæróq; cur verba Iouij, *beneficium*

in Actio pag. 115.

qui-

quidem agnouit, inuerterit,& falsò ſcripſerit, *beneficium nullum agnouit?* an verò idem eſt cum ſcribo, *Bzouium quidem hiſtoricum agnoſco*, & cum ſcribo, *Bzouium nullum hiſtoricum agnoſco?* quid porrò? an idem eſt, *ne ſpernere videretur*, &, *ſed ſpreuit?* Enimuerò ſi ex Boſſio demonſtrauero Iohannem Vicecomitem non ſolum non ſpreuiſſe Cardinalatum, ſed etiam poſtulaſſe, imò mercatum galeri honores, quid faciet Bzouius, cum & ipſe Boſſium citet, & Boſſius Iouio ſit antiquior ac fide dignior? *Anno 1328.* ait Boſſius, *Ad quem* Ludouicum *Ioannes Pontifex Vicecomes cum Azone* ſeu Actio *Galeacij filio ac Marco Vicecomite accedens amicorum interuentu plurimáque enumerata pecunia obtinuit, vt à Nicolao antipapa & Cardinalis S. Euſtachij & legatus totius Lombardiæ crearetur: Azo autem Vicarius Imperatoris Mediolani ab Imperatore factus eſt.* Et pòſt paulò, *Hoc eodem anno Ioannes Vicecomes pileum ac reliqua Cardinalatus inſignia, Azo Vicariatus nomen depoſuerunt.* Hęc Boſſius auctor tuus contra te tuúmque Iouiũ, Bzoui. nam ſi Iohannes tot tantíſque adhibitis machinis à Ludouico & Nicolao Cardinalatum obtinuit, quî nullum agnouit, aut quî ſpreuit beneficium? & ſi poſtea Cardinalatus inſignia depoſuit, quî non acceperat? Corius à Boſſio non diſſentit; anno 1329. ſcribit hæc, *Et quod Ioannes*

Vicecomes galerum ab Antipapa datum deposuerit, Ioannes verus Pontifex eum Nouariæ Episcopum fecit. An verò mi Bzoui, quis pileum deponere
Cap. 119. potest, quem non accepit? Astipulatur Villanus cum scribit, *Eodem anno, 29. Ianuarij precibus Bauari & Azonis Vicecomitis Mediolanensis Antipapa Cardinalem suum creauit Ioannem Maffei Vicecomitis filium, & in Lombardiam legatum misit.* An Azo cognatus pro Iohanne fuisset deprecatus, nisi rem ei gratam se facturum sciuisset? an Nicolaus Iohannem in Lombardiam misisset legatum, si oblatum prius purpuræ honorem spreuisset ac beneficium nullum agnouisset? Nec Villanus Io-
Cap. 75. hannem recusasse tacuisset, vti nec de Episcopo Mutinensi, & alio quodam Romano tacuit.

10. Præterea etiam ipse Cæsar suo loco motus est pro more Bzouij, nam vbi vbi alij eum Imperatorem aut Cæsarem appellant, honorificam compellationem Bzouius semper inducit, noménque Bauari, Ludouicíue sufficit, tanquam olim modium salis cum hoc Imperatore comedisset; domesticum certè sese admodum ei ostendit, quem ego tam familiarem Cæsari nesciebam.

11. Pronunciatum II. *Bauarum quinto post Iohannem Pontificem diris deuotum die satietas Pisanæ vrbis cepit, eáque relicta in Lombardiam maturauit.* Diris in Concilio Pisano Iohannem Pontifi-

tificem deuouit Nicolaus 18. Februarij, vt tu ipse hic significas Bzoui, & fatetur Villanus [a]; sed hoc insuper fatetur [b], Cæsarem Pisis XI. demum Aprilis abiisse: quod si tu à decimo octauo Februarij vsque ad XI. Aprilis tantùm quinque dies numerasti, multas profectò noctes exegisti, & rarò sol nubilo cerebro illuxit: non igitur quinto, sed 21. post die Cæsar Pisis excessit; vt taceam Villanum & Bossium causam discessus assignare Vicecomitum inconstantiam (qua Iohannes Cardinalatus insignia, Azo vicariatus nomen deposuerat) te verò satietatem Vrbis, quæ Ludouicum ceperit, ortam ex Pisani populi offensa Cæsari voluntate.

[a] Cap. 113.
[b] Cap. 116.

12. Pronunciatum III. *Dolebat Pisanis, quod ab Ioanne vero Pontifice anathemate damnati, sacrisque priui essent. Itaque Ludouico abeunte, Tarlatum Aretinum ab illo Vrbi præfectum statim eiecerunt.* Villanus non memorat dolorem inflicti anathematis mouisse Pisanos, vt Tarlatum Aretinum ab Cæsare impositum eiicerent, sed quod illis dominatus iste displiceret. Quod autem Pisani non ob anathematis & vetitorum sacrorum dolorem præfectum suum exturbarint, ex eo manifestum est, quod Marcum Vicecomitem Pontifici infensissimum & impium, vti tu eum vocas, cum milite in vrbem vocarint. Neque, vt tu dicis, statim post abscessum Imperatoris Tarlatum pro-

N. XI. v. 4.

fligarunt, sed altero demum mense Iunio, cum Imperator 11. Aprilis abiisset.

Col. 544. v.1.N.IV. propes. 13. Bzouius. *Genuenses etiam Beringerium Marium Genuensem ciuem Franciscana instituta professum, Archiepiscopum à Nicolao creatum, accipere recusarunt, séque in fide & obedientia Ioannis* 6. hist. Genuens. *Pontificis fore testati sunt*, &c. At Folieta à te citatus, non de Genuensibus in communi, sed de Genuensibus Guelfis id dicit, contrarium de Genuensibus Gibellinis, qui cum Guelfis bellum gerebant. ante m. Sic enim Folieta anno 1328. *Neque verò Genuenses satis habebant, odia & contentiones atrocibus crudelitatis exemplis inter se solos exercere, sed externos quoque principes comprehendebant. Missa sunt igitur ad* Robertum *regem cum Friderico Siciliæ rege belligerantem à Guelfis quadraginta triremes, Luchino Nigro præfecto. idem trium & triginta triremium Saonæ armatarum subsidium ad Fridericum à Gibellinis missum est. Illud inprimis detestabile fuit, quod religio quoque ad studia partium accommodabatur, cum Ecclesia bifariam scissa, Guelfi Ioannem vicesimum alterum, qui sedem ac domicilium Auinione collocatum habebat, verum pontificem sequerentur; Gibellini ad partes Nicolai quincti iussu Ludouici aduersus Ioannem* Pontificis *vitio creati transissent; neque Guelfi Beringerium Marium Genuensem ciuem, Franciscana instituta professum, archiepiscopum*

ſcopum à Nicolao creatum accipere voluiſſent.

14. Bzouius. *Cùm etiam hoc anno die 10. Iunij, Fratres minores Pariſiis in capitulo Generali eundem Michaelem gradu & officio motum pronunciaſſent, & Gerardum Odonis in eius locum ſurrogaſſent: proceſſúſque & ſententias Ioannis Pontificis in damnatum latas promulgaſſent.* Hic vanitatis te ipſe arguis, quod anno 1327.[a] & anno 1328.[b] ſcripſeris, eidem Michaeli ante huncannum & Bononiæ non Pariſiis, ſucceſſorem à Minoritis ſubrogatum. Hoc autem vanum eſſe, etiam Marcus Vlyſſipponenſis teſtatur, cum ſcribit, Michaelem anno demum 1329. Pariſiis à ſuis Generalatu motum, & Gerardum ſubſtitutum.

a N. XV. b N. XVII. Lib. 8. c. 17.

15. Bzouius. *Ad eum modum Michaele damnato, Raymundum Stephani Pontificiæ cameræ Clericum, Piſas nuntium Ioannes Pontifex deſtinauit, eique & Simoni Archiepiſcopo Piſano, & Guillelmo Lucenſi Epiſcopo formulam præſcripſit, ex qua Petrus Corbarius ad ſanam mentem reuerſus, errores admiſſos eiuraret, atque deteſtaretur: & ex qua illi eiurantem, factáque ſua & Ludouici abominantem, anathemate exſoluerent, & Eccleſiæ reconciliarent. Coram his ſuperioribus, nominatis præſentibus multis Prælatis aliis, ac religioſis, & nobilibus ac popularibus ciuitatis Piſanæ, Petrus Corbarius errores ſuos & ſcelera ſpontaneè, cum ingenti cordis amaritudine*

N. VIII. Col. 548.

confessus est: & à præfatis Archiepiscopo & Episcopo auctoritate Apostolica per literas Apostolicas patentes, eis in hac parte concessas, lecta prius confessione illius & abiuratione errorum, & præstito iuramento de stando & parendo mandatis Apostolicis, beneficium absolutionis obtinuit, ab omnibus sententiis iuris & hominis: eiúsque confessionis & eiurationis schedam Ioanni Pontifici transmisit. Admonuit pœnitentem Ioannes vt in proposita sententia perseueraret, útque nonnullos alios errores quos commiserat, indidem damnaret.

16. Hinc patet, quæ tu passim ex confessione Nicolai inculcas, Iohannis dicta potius esse quam Nicolai, qui vinctus & metu mortis adactus formulam sibi à Iohanne præscriptam recitauit: quantumuis tu de tuo affingas, eum errores suos & scelera spontaneè, cum ingenti cordis amaritudine, confessum esse. Nimirum etiam Nicolai confessione & authoritate Ludouicum premere contendis.

Col. 548. IX. 17. Bzouius. *Ludouicum quoque Bauarum, magna cum confusione ex Italia fugientem, Ioannes non prætermisit, sed tum in publico consistorio, tum in cathedrali Basilica anathematis spiculo confodit, omniáque loca ad quæ diuerteret, vel in quibus moraretur, sacrorum priuatione multauit. Blondus l. 9. decad 2. Iuxta Bauari damnationem, Ioannis Pontificis*

ficis iussu, Legationes sedis Apostolicæ à Latere, nec non Episcopi & Quæsitores fidei, in eius pariter socios ac complices, virgam Ecclesiasticæ disciplinæ, tum in Italia, tum in Germania explicabant. Cardinalis Legatus Etruriæ etiam arma admouebat, vt Romano Pontifici inobedientes ad officium reuocaret. Quamobrem Viterbiensium agrum populationibus vastauit, multáque castra & oppida de illis cœpit. Cardinalis quoque Lombardiæ Legatus Parmam, Regium Lepidi, Mutinam, Bononiam, Rauennam, *Fauentiam, & plures alias ciuitates, dominio Eccles. Rom. & Ioanni Pontifici obedientes fecit: ac plures ibidem Ludouici partiarios & in his Alberghetinum, quod Bononiam Bauaro tradere designasset, securi percuti imperauit. Picentes quoque omnes, hoc ipso tempore, Ioannes Vrsinus cognomento Caietanus Cardinalis Legatus ad obsequium Ioannis reuocauit, nec non Viterbium tandem è tyrannide eripuit, & Romanæ sedi restituit. Joann. Villan. l. 10. c. 128. 133. 134. 147.*

18. Pronunciatum I. *Ludouicum cum confusione ex Italia fugisse.* Bzouius veritatem fugit: quis quæso eius tergo hostis institit, vt fugam capesseret? Iouius non ait eum fugisse, sed *ad Papiam ab Actio collata pecunia facile delinitum fuisse, nec multo post in Germaniam rediisse.* Neque Villanus quidquam de fuga sed alia omnia narrat, *Nono*, inquit, *in Actio. p. 117.* *cap. 148. m.*

quit, *Decembris cum præcipuorum* Pariſienſium, Regienſium *& Mutinenſium Legatis Parma abſceſſit, Tridentúmque, vt cum quibuſdam Germaniæ proceribus, cum tyrannis & dominis Lombardiæ loqueretur, pararétque primo quoque tempore bonum nouúmque exercitum ad inuadendam Bononiam, Flaminiámque Eccleſiæ eripiendam, profectus eſt. Dum in concilio illo erat, nunciatum eſt ei ex Germania aduerſarium ſuum, Ducem Auſtriæ electum, Germaniæ Regem mortuum eſſe: quare quamprimũ Italiam relinquens in Germaniam tetendit, nec vltra montes ad nos vnquam rediit. Anno Domini*, inquit Boſſius, *1329. Ludouicus inuaſor imperij cùm nihil per obſidionem proficeret, exhauſtus opibus diuturno bello, pactus cum Mediolanenſibus duodecim florenorum milia eos obſidione ſoluit: præſidium quoque ſuum à Modoëcia, quam occupatam tenebat, auocauit, & peruectus claſſe Papiam per Ticinelum in Germaniam demum migrauit.*

19. Pronunciatum II. *Ioannes Pontifex Ludouicum Bauarum tum in publico conſiſtorio, tum in cathedrali Baſilica anathematis ſpiculo confodit, omniáque loca ad quæ diuerteret, vel in quibus moraretur, ſacrorum priuatione multauit.* Non Iohannes, mi Bzoui, ſed tu Ludouicum hîc anathematis ſpiculo confodiſti, & loca illa ſacrorum priuatione multaſti. nam ea quæ narras ex Blondo,

conti-

contigere antequam Cęsar Italiam intraret. *Parúmque*, inquit Blondus, *post* (quàm Matthæus Vicecomes cum filiis anno, vt Corius & Bzouius scribunt, 1318. excommunicatus est) *perseuerans in eorundem fauoribus Bauarus Auenione publico primùm consistorio, pòst in cathedrali basilica anathematis spirituali mucrone ab irato Pontifice est confossus, quod quidem vsque adeo vir impius spreuit, vt missis in Italiam nunciis rem ecclesiasticam omnino euertere, ac pessundare contenderit. Primam tamen Italiæ regionum* Lombardiam *eius faces incendij impleuerunt, quibus & Liguria est afflata*, &c. p. 311. B.

20. Pronunciatum III. *Pontificis iussu, legationes sedis Apostolicæ, Episcopi, Quæsitores fidei in Ludouici socios virgam Ecclesiasticæ disciplinæ tum in Italia, tum in Germania explicabant.* Tu virgam intemperantis linguæ tuæ nimis longè nimísque latè explicas, nec solum in Italiam vbi versaris, sed etiam in Galliam vbi Iohannes erat, & in Germaniam exporrigis. nam de his omnibus nil Villanus locis, ex quibus te ea habere simulas.

21. Bzouius. *In Austria, Fridericus Austrius, Romanorum Rex aduersus Ludouicum Bauarum electus, hoc anno in humanis esse desiit, siue animi ægritudine, quam in carcere apud Ludouicum contraxerat, siue poculo amatorio à quadam porrecto, confectus. Fertur enim, quod nobilis quædam mulier,* Col. 555. XXVII.

Friderici non impigri militis coniunx, poculum aliquod ei inſcio propinauerit, quo illę exhauſto, viribus primùm deficiens, deinde paulatim contabeſcens, dehinc inualeſcente morbo corruptus òccubuerit. Iſabella, Iacobi Aragonum Regis filia, eius vxor pudiciſſima, tanto amore in interceptum Fridericum flagrauit, vt nihil intermiſerit eorum, quæ in viri ſalutem ſperaret. Peregrinationibus, ieiuniis, abſtinentiis ſe adeò caſtigauit, vt oculos pene viſúmque amiſerit: die ac nocte propter captum maritum in orationibus plorans, donec in libertatem aſſereretur. Cuſpinian. in Friderico.

22. Pronunciatum I. *Fridericum Auſtrium Romanorum Regem hoc anno in humanis eſſe deſiiſſe.* Confirmat hoc pronunciatum Bzouius ex Cuſpiniano, vti lector perpetuum ſpecimen habeat Bzouianæ diligentiæ. Quid ais Bzoui? Cuſpinianúſne refert Fridericum hoc anno 1329. deceſſiſſe? verba eius iſta ſunt, *Tandem dyſenteria reſolutus animam exhalauit in arce Auſtriæ, cui Gutenſtein nomen eſt, anno ſalutis trigeſimo poſt milleſimum trecenteſimum, tredecima Ianuarij.* Hæc Cuſpinianus, vnicus Bzouij author, à quo nequaquam tam procul abeſt, nam annus Bzouianus 29. proximus eſt Cuſpiniani triceſimo: Vno anno aberrare parum eſt homini pluribus aberrare aſſueto.

P.464.21.

23. Si mens non læua fuiſſet, inueniſſet Bzouius

uius Villanum in ſpeciem ſibi ſuffragantem; nam vbi IX. Decemb. Parma diſceſſit, Tridentum ad comitia perrexit; tum ſubiicit Villanus. *Dum in concilio illo erat, nunciatum eſt ei ex Germania, aduerſarium ſuum Ducem Auſtriæ electum Germaniæ Regem mortuum eſſe: quare quamprimum Italiam relinquens in Germaniam tetendit, nec vltra montes ad nos vnquam rediit.* Hæc Villanus, quo tamen non adducor, vt mihi perſuadeam hoc anno 1329. fatum obiiſſe Fridericum, neque ad credendum me adducere vult Villanus, comitia enim illa Tridentum indicta, vel inchoata non ſunt ob ferias Natalitias ante inſequentem annum; vel certè continuata ſunt ad nuntium vſque mortis Auſtriaci. Ac ſi maximè Villanus aduerſaretur, potius fidem haberem Cuſpiniano, qui & epitaphia, & alia domus Auſtriacæ monumenta inſpicere præſens, diémque obitus cognitum habere potuit, præſertim cum eundem annum mortis Fridericianæ etiam conſignet Arenbeckius. Quid quod Steronis continuatores annum 1331. aſſignant, quibus vt Germanis de Friderico in Germania mortuo potius crederem, quàm Villano Italo. Quod ſi Fridericus obiiſſet hoc anno 1329. tum annos non niſi 15. eóſque non integros (deeſſent enim menſes nouem & aliquot dies) vixiſſet poſt electionem ſuam factam, vt tu anno 1314. tradis, 18. Octobris.

cap. 141. m

In Auſtriacis pag. 72. fac. 2. poſt m.

N. XII.

Atqui in fine huius tomi Fridericum inter Reges Romanorum ponis, aísque regnasse annos 15. menses 11. dies 27. O memorem sui historicum! Quanquam nec isti anni, menses, ac dies ex Cuspiniano vel Arenbeckio colliguntur, ex Steronis verò continuatoribus colliguntur anni omnino 16. & aliquid amplius.

ANNVS CHRISTI 1330.

Ludouici Imperatoris XVII.

1. HOc anno, si Bzouio credimus, Iohannes Bohemiæ Rex, Balduinus Treuirensium Archiepiscopus, ita volente Austriæ Duce Othone, cum Cæsare Ludouico de pace ipsum inter Pontificémq; conciliandà egêre, & cum capita nonnulla vtrique, vt iudicabant, non respuenda contulissent, ad Iohannem Auinionem misêre, vti ea probaret, quippe *quæ* vt loquebantur, *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Iohannis Papæ honorem & vtilitatem in omnibus respicerent.* Vti autem lector intelligat, quæ hæc capita fuerint, excerpam illa ex Iohannis Pontificis epistola, quæ habetur initio huius anni apud Bzouium longissima.

2. Pri-

2. Primò. *Ludouicus cum effectu deponet suum hæreticum Antipapam.*

Secundò. *Ludouicus penitus ab appellatione recedet.* prouocauerat enim ad concilium generale.

Tertiò. *Omnia quæ fecit seu attentauit contra sanctam personam Domini nostri Papæ, Ecclesiámque Romanam, reuocabit cum effectu.*

Quartò. *Recognoscet se excessisse, & sententias excommunicationis illum ligasse.*

Quintò. *Gratiæ Pontificis sese offeret ad misericordiam.*

Vltimò. *Omnes oblationes supradictæ intelliguntur, vt Ludouicus in honore & statu suo siue in imperio & regno permaneat.*

3. Principum hunc laudabilem laborem Pontifex parui æstimauit, sed petitionem penitus omnem respuit, cũ hac coronide, *Nescitis quid petatis*; fortasis ipse nesciuit quid negaret. Certè petentẽ Ludouicum absolui ab Iohanne debuisse, grauissimè postmodum testatus est Iohannis successor Benedictus, vt suo loco referemus. Accedit Augustini in simili causa luculentum, & Canonico Iuri insertum testimonium, *In huiusmodi causis*, inquit, *vbi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis est periculum, sed plurimorum strages iacet*; *detrahendum est aliquid seueri-*

an. 1336. III.

23. q. 4. Ipsa pietas, f.

ritati, vt maioribus malis ſanandis ſincera charitas ſubueniat. Habeant ergo de præterito deteſtabili errore, ſicut Petrus habuit de mendacij timore, amarum dolorem: & veniant ad eccleſiam Chriſti veram, id eſt catholicam matrem. ſint in illa clerici, ſint epiſcopi vtiliter, qui contra eam fuerunt hoſtiliter. non inuidemus: immò amplectimur, hortamur, optamus, & quos in viis aut in ſepibus inuenimus, intrare cogimus: & ſic nondum quibuſdam perſuademus, quia non res eorum, ſed ipſos quærimus.

Col. 562. 11. 4. Bzouius. *Hæc quidem Ioannes Pontifex Ioanni Boëmiæ* Regi *ſcribebat. Namque Ioannes Rex quod Philippo Francorum Regi affinitate iunctus eſſet, & vna cum eo omnia apud Pontificem ſe poſſe efficere conſideret, ſequeſtris officio ſuſcepto, curabat, vt Bauarus Eccleſiæ reconciliaretur, ac permiſſu ſummi antiſtitis dignitate Imperatoria emineret: vel ſi id nequiret, vt Ludouicus tandem Romano* Pontifici *reconciliatus, iuri quod ex diſcordi electione prætendebat ad Imperium* Romanum, *renunciaret, altérq; dux Bauariæ Henricus Imperator ordine crearetur. Cæterum quo ex pacificatione rerum Italiæ animam Pontificis facilius inclinaret, à Ludouico Bauaro impetrauit, vt in Italiam armatus deſcenderet, & quod à Brixianis, ab Scaligeris oppreſſis aduocaretur, & quod ſibi curæ res Imperij fore promitteret, nihilque non pro illo ſe facturum, neque præter voluntatem*

tatem aut Imperium ipsius aliquid commissurum sanctè iuraret: Pontifici autem & Regi Philippo pariter, nomine Pacificatoris, quod præ se ferebat, omnia ex dignitate Apostolicæ sedis se in Italia transacturum, non obscurè ostenderet. Ita copiis suis & Ludouici stipatus, per alpes Tridentinas in Italiam penetrauit: ac primo ingressu Gibellinos inprimis in spem maiorem excitasse visus est: nimirum rumore dissipato, se subsidio illis venire. proximo enim Cæsare Henrico VII. *ipse natus erat, & Ludouicum diræ Pontificiæ communione piorum arcebant.*

5. Refers hoc loco quædam de Bohemiæ Rege non nominato authore, & affingis, Regem, quo ex pacificatione rerum Italiæ animum Pontificis ad Imperium Ludouico vel Henrico decernendum faciliùs inclinaret, à Ludouico impetrasse profectionem Italicam. Id enim falsum esse, anno sequenti demonstrabimus. Addis Regem promisisse, sibi curæ res Imperij fore, nihílque non pro illo se facturum, neque præter voluntatem aut imperium Ludouici aliquid commissurum, sanctè iurasse: quod cum non præstiterit, vt año sequente ostendemus, periurum fatearis necesse est. Cur ergo eum in hac ipsa causa aduersus Ludouicum defendis velut per iniuriam damnatum? *Ad n. r.* *N. r.* *Ibid.*

6. Bzouius. *Vltima die Octobris in Italiam penetrantem, Bergomates primi receperunt* &c. *Mense* *col. 563. III. post m.*

Iulio

Iulio Nicolaum Pseudopontificem Bonifacius Comes Donaraticus triremibus impositum, Auinionem, Pisanorum nomine, Iohanni Pontifici misit: atque is captiuus, collo resti imposita, ad diem 26. Augusti frequenti in Senatu ante sellam Pontificis procubuit & in coram omnibus, ex scheda praescripta, errorē, quem in gratiam Ludouici Bauari errauerat, sponte confessus & detestatus fuit.

7. Pronunciatum I. *Bohemum Bergomates primi receperunt.* Ita Bzouius cum Iouio errat, nam Villanus tum in inscriptione capitis 170. tum in descriptione docet, Bohemum prius à Brixianis quàm à Bergomatibus receptum.

P. 121. post m.

8. Pronunciatum II. *Nicolaum die 26. Augusti errorem fuisse confessum.* Cur tu Bzoui diem 26. Augusti detestationi & confessioni huic designas sine auctore? Villanus ait, *Antipapa die 24. Augusti Auinionem peruenit. Sequenti die in publico consistorio coram Papa, Cardinalibus omnibúsque Curiae praelatis collo resti cinctus se ad Papae pedes prostrauit,* &c. Hæc Villanus. Quod si vigesimum quartum vigesimus sextus proximè sequatur, non habeo in te quod reprehendam.

Cap. 164.

Col. 567. IV.

9. Bzouius, *Hanc Petri Corbarij confessionem, cùm in publico patrum consessu, summus Pontifex Ioannes audiuisset, misericordia commotus, inprimis absolutionem & reincorporationem Petri, ab Archiepisco-*

piſcopo Piſano; & ab Epiſcopo Lucenſi factam confirmauit; deinde auctoritate Apoſtolica, ipſum illum eundem, ad gratiam ſuam & Eccleſiæ recepit, atque anathemate exſolutum, communioni & vnitati Eccleſiaſticæ reſtituit. Ceterum recenti memoria edoctus, quantum periculum Eccleſiæ imminebat, cum primum Petrus *Muronus, Cæleſtini quinti nomine Pontifex ſalutatus, ea dignitate ſpontaneè, volens & lubens ſeſe exuiſſet, & ſuo arbitrio permiſſus hac illácque euagatus, multos Bonifacio Octauo vero Pontifici non ſatis æquos poſt ſe traxiſſet, manifeſtóque ſchiſmati viam, niſi occurriſſet Bonifacius, apertam aperuiſſet, ille quoque ne Chriſtiana reſpublica occaſione Petri Corbarij turbaretur, ſi liberum in Italiam redire permitteret, hominem Auenione retinendum cenſuit, atque cubiculum, libros, neceſſaria, victum, ſocios & cuſtodes in palatio Auinionenſi illi dedit: hac vnica cautela adhibita, ne quiſquam exterorum ſe inſcio Corbarium alloqueretur: non quod vim aut ſuadelam aliquam metueret, ſed ne viri ad quietem compoſiti otium religioſum inquietaretur, néue nouandis aut turbandis rebus occaſio præberetur. Ea de cauſa, Comitem Anhaltinum, Ludouici Bauari affinem, bellum in Saracenos Granatenſes ex voto præ ſeferentem, & octingentis equitibus armatis comitatum Auinionem ad ſe ſalutandum venire cupientem, & voto exſoluit, & acceſſu prohibuit: læto anathe-*

mate, si vel pedem mouere destinasset. *Ioan. Villani l. 10. c. 157. 164. 170. & reliquis. Iouius in Actio. Mutius l. 24. Regestr. Ioan.* XXII. *hoc anno Blondus, Naucler. Cuspinian. locis suis, Massonius in Ioanne* XXII.

10. Pronũciatum I. *Summum Pontificem misericordia motum.* Hoc ego postquam Villanum legi, non credo: nam is scribit, *Papa sermoni eius* Nicolai *respondit sapienter, lachrymans potius præ nimio gaudio uti dicebatur, quàm pietate motus.* Itaque lacrymæ indices erant æmuli subacti.

Cap. 164.

11. Pronunciatum II. *Cælestinus V. manifesto schismati viam, nisi occurrisset Bonifacius, apertam aperuisset.* Quid? fecisśetne quod fieri non potest? tam enim aperta aperiri nequeunt, quàm clausa claudi. Bzoui tu impossibilia scribere potes, Cælestinus facere non potuit.

12. Pronunciatum III. *Ioannem recenti memoria* (capti scilicet à Bonifacio Cælestini V.) *edoctum, Nicolaum Auinione retinendum censuisse.* Ego ausim dicere Bzoui, Iohannem de exemplo Bonifacij ne cogitasse quidem, quia longè dispar ratio Cælestini Nicolaíque fuit, nam Nicolaus tergeminam coronam liber repetere poterat, præsertim superstitibus adhuc iis quorum ope & armis primùm eam acquisierat; at verò Cælestinus ex modestia animi inaudito ab omni æuo exemplo sese su-

ſe ſupremo honore exuit, vti ſolis in locis ſoli Deo reliquum vitæ impenderet. Nec Bonifacio magnæ cauſæ fuêre, ſanctiſſimum hominem carceribus coercendi: quem amici precibus in Pontificatu retinere non poterant, nullis etiam machinis ad iterandam ſedis Apoſtolicæ dignitatem impellere potuiſſent. Itaque Bonifacij factum quod paſſim [a] reprehendebatur (quicquid tu [b] ſine teſte dicas) mouere Iohannem non debuit, nec puto mouiſſe, ſed hæc tam alta coniectura ſolius Bzouij eſt, neque enim alium præter ſe auctorem nominat.

13. Pronunciatum IV. *Cubiculum, libros, neceſſaria, victum, ſocios & cuſtodes in palatio Auinionenſi illi dedit.* Vocem *neceſſaria* de tuo & loco non ſuo interſeris, & ſocios tu captiuo aſſignas, non Iohannes Villanus [c], *Neminem*, ait, *alloqui permittebatur, ita vixit tribus annis, menſe vno.* Quid tui ſocij fecere in carcere Bzoui? an illi omnes muti fuêre? an vero ipſi locuti ſunt, & Corbarius loqui non auſus, mutus loquentes tantum audiuit? Villanus certe dicit, *neminem alloqui permittebatur.* Audi etiam Maſſonum, *Cubiculum, libros, cuſtodes, & victum in palatio Auinionenſi illi dedit, cuſtodibus mandans, ne quemquam alloqueretur. Itaque in illo ſilentio viuens, poſt triennium mortuus eſt.* Iterum miſeri ſocij quibus lingua vinctis cum muto habitare imperatum fuit. Nempe tu ex cuſtodi-

[a] *Platina. Maſſon. Bergom. Tempeſta in Celeſtino V. & Bonifacio VIII. Naucler. Corius anno 1294. Leander p. 221. an. m. Blond. p. 334. G.*

[b] *T. 13. an. 1295. I. & II.*

[c] *Cap. 164. f.*

In Iohanne XXII. ante m.

bus extrinsecus, ne elabi captiuus posset, adhibitis, socios facis solatio datos, quibuscum ille in cubiculo versatus locutúsque fuerit.

14. Pronunciatum V. *Hac vnica cautela adhibita ne quispiam exterorum se inscio Corbarium alloqueretur.* Vanissimum hoc est, vti ex superiore pronunciato patet: colloquium non cum exteris solùm, sed cum omnibus vetitum fuit, nisi *nemo* significet interdum *aliquem* aut *aliquos*.

15. Pronunciatum VI. *Nicolaum à Pontifice in carcere retentum, non quod vim aut suadelam aliquam metueret, sed ne viri ad quietem compositi otium religiosum inquietaretur, néue nouandis turbandísque rebus occasio praeberetur.* Apud Bœotos perora Bzoui, apud nos frustra agis; an Iohannes nec vim nec vllam suadelam metuit? cur ergo tanto-
Cap. 157. pere solicitum eum Villano auctore habuit aduentus Anhaltini, vt arma aduersus eum capi à prouincialibus, Cardinalibúsque & Florentinis iusserit, eiúsque deinde accessum etiam sub ana-
In inscript. capitis. thematе prohibuerit, ídque præ timore, vt Villanus ait! an ideò tantùm Anhaltinum exclusit, ne hominis ad religiosum otium compositi quietem interturbaret? ne eriperet, timuit. Sed parum esset, si egò te solus confutarem; à teipso profligaris; nam primò Iohannem non metuisse ais, aut vim aut suadelam; & tamen subiungis, custoditum

tum à Iohanne Corbarium, ne nouandis turbandísque rebus occasio præberetur. Ergo metuebantur turbæ Bzoui ex aliorum alloquio; ergo metuebat Pontifex aut vim aut suadelam; alioqui nihil timere, & tamen ne quid detrimenti capiatur, solicitè cauere, vix vnà consistunt nisi apud Bzouium, cui sæpè contraria tanquam minimè diffidentia arrident.

16. Bzouius. *Henricus Rebdorfius loco prodigij commemorat, aquilam nuspiam antea visam Auinione comparuisse, & supra palatium Pontificium consedisse, statim ac Petrus palynodiam decantauit: móxque dilapsam continuo auolasse: non in certo portento, Pontificatum Ioanni stabilitum diuinitus fuisse. In Annal. Germaniæ.* col. 591. V.

17. Bzouius vbique est Bzouius; mira & prodigia non tam enumerat, quàm facit. Vbi Rebdorfius loco prodigij enumerat, hanc aquilam ædibus Pontificiis adlapsam? vbi refert eam nuspiam antea visam? vbi, supra palatium consedisse? Verba Rebdorfij hæc sunt, *Finita hac recognitione ipsius, quædam aquila superuenit adhuc populo præsente, & posuit se casualiter ad palatium Ioannis Papæ. perterrita aquila statim fugit.* Hæc Rebdorfius. p. 420. 29.

18. Itaque Bzouio, quod casu factum fuit, loco prodigij est, & certum portentum. At Rebdorfius id memoratu dignum censuit! Ita est, sed

non sola prodigia memorare instituit, verum etiam euenta fortuita. Heus tu historice, cur Rebdorfium auctorem facis eorum, quæ non dicit? pone verba, aut pone sensum scriptorum; tuum non volumus, nullum habes.

Col. 571. VIII. 19. Bzouius. *Hæc facinora, Michaeli, Guillelmo, Bonagratiæ, & Henrico hæreticis & schismaticis, cum Ioannes Pontifex exprobraret, satis apertè totius schismatis radicem indicauit, ostendítque, Ludouicum Bauarum, & Petrum Corbarium, illum pseudoimperatorem, hunc verò antipapam, ambos hæreticos & schismaticos, ab Henrico Chalemio Minore, fere vniuersi veneni virus dirißimum hausisse, & non nisi ab eius calamo in orbem vomuisse: quod is apud vtrumque Cancellarij officio vsurpato, tam ea quæ in Germania, quam quæ Mediolani, Pisis, Romæ, & alibi locorum, contra Ioannem summum Pontificem, & contra fidem catholicam orthodoxam Romanam, siue Ludouicus, siue Petrus, siue priuatim, siue publicè, siue in area, siue in conciliabulo sparserant,* Mirum ni albo. *atro atramento, ad perennem suam ignominiam concepisset. Itaque quos errores seu hæreses, siue octo, siue duodecim, siue plures Ioanni summo Pontifici Bauarus, vel Corbarius falsò & temerario imponebant, ab Henrici stylo, & is à Michaelis, Guillelmi, & Bonagratiæ commento mutuauit. Omnium tamen eorum impiorum, ex officina Satanæ scribentium conatus irritus*

ritus in vanum, nec impune illis à Deo cecidit. Nam & infeliciter manum saluantis sanantísque Ioannis Pontificis euaserunt, & miserè extincti sunt: iuxta illud diuinitus à Psalte pronunciatum: Sunt impij velut puluis, quem proiicit ventus à facie terræ: sancta autem Ecclesia catholica Romana, sicut sol & sicut Luna perfecta in æternum, quam profani demoliri conabantur, inconuulsa manet: nec non vera & sancta Diui Francisci religio, cuius fundamenta conuellere incauti annisi sunt, inconcussa perseuerat: viris sanctitate vitæ & doctrina illustribus, velut cælum fulgentißimis sideribus exornata.

20. An Ludouicus hæreticus fuerit, supra discussum est; hîc illud addo, pontificem etiam per iniuriam abdicare & alium subrogare, non hæresis sed schismatis peccatum esse. Verum de abdicatione quoque & subrogatione iam antea satis disputatum est.

21. Pronunciatum I. *Ludouicum & Corbarium ab Henrico Chalemio Minore, fere vniuersi veneni virus dirißimum hausisse, & non nisi ab eius calamo in orbem vomuisse.* Quam vellem nominasset Bzouius aliquem testem. Vero propius est, ante duos annos primum vna cum Cæsenate hunc Chalemium (vt Bzouius ineptè eum indigitauit, cum Talheimium à Talheim dicere deberet, vt mox apparebit) ad Ludouicum Pisas appulisse. Hoc

Hoc enim ſatis conſtat ex eo, quod in prima inſtructione (procuratorium appellant) legatis anno 1343. à Ludouico data dicitur, Ludouicus *ſecum tenuit inobedientes Minores Fratres, F. Michaelem de Ceſena, F. Franciſcum de Marchia, F. Wilhelmum Occamum, quendam Fr. Bonamgratiam, F. Heinricum de Talhaim, & aliquos illorum ſequaces ac ſocios, & ſuum fauorem præſtabat illorum appellationi, quam faciebant contra Papam Iohannem.* Certè hæc verba indicio ſunt, Talheimium vnà cum Michaele reliquíſque eius ſociis recenſitis ad Ludouicum Piſas veniſſe, quo tempore propè omnis tragœdia finita erat; nam Ludouicus Roma cum Antipapa iam abierat, Piſíſque morabatur; & tu pridem ſcripta à Ludouico in vulgus edita contra Pontificem vociferatus es. nonne etiam huius opera fuere, & ſcripſit antequam ſcriberet? quomodo obſecro te Ludouicus Corbariúſque ferè vniuerſi veneni virus hauſit ab iſto? quomodo eius calamus idem fere vniuerſum in orbem euomuit?

Longè ante m. Extat in Bibl. Ser.mi

22. Pronunciatum II. *Talheimium apud vtrumque* (nempe apud Cæſarem & Corbarium) *Cancellarij officium vſurpaſſe.* Pontifex in Bulla affirmat Talheimium officio Concellarij diutius (nimirum altero iam anno) functum apud Ludouicum; Bzouius eundem etiam Pontificiis cancellis præ-

præficit, vt nomen suum retineat plura promendi, quàm inuenerit, quis enim hoc testatur?

23. Pronunciatum III. *Casenatem, Ockamum, Bonagratiam, Henricum infeliciter manum saluantis sanantísque Pontificis euasisse & miserè extinctos esse, iuxta illud diuinitus à Psalte pronunciatum, Sunt impij velut puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Bzouius librum vitæ mortísque lustrauit, & iam nouit, quo quisque defunctorum sit loco: temere certè iudicium fert de viris, coram quibus ipse non potuisset in pariete palum defigere. Ciaconius ita scribit, *Ockam scripsit contra Ioannem 22. & tutatus est Antipapam, Scoti magni sui acerrimus oppugnator, obiit in Baioaria pœnitens, anathemate solutus.* Hæc Ciaconius. Quæro ego à Bzouio, vtrum pœnitentia indicium sit infelicis obitus? an decorum est homini Christiano ac religioso de pœnitente scribere tam funesta? Audi præterea Gonzagam eiusdem Ordinis Generalem, qui de Michaelis sepultura cùm agit, vocat *R. P. F. Michaelem à Sesena, generalem olim totius ordinis.* Audi denique religiosissimum virum Marcum Vlyssipponensem, *Porrò fratres illi non ex appetitu carnis, nec ex concupiscentia oculorum se mouerunt, quia ante & post censuram contra ipsos valde religiosè vixerunt, & mortui sunt in Bauaria ditione dicti Imperatoris, famámque de se noménque reliquerunt,*

In Iohanne 22. 701. D. m.

Part. 3. de rig. ord seraph. p. 715. A.

Cap. XIV. post m.

 bono-

bonorum religiosorum inter Ecclesiasticos & seculares. Hæc Marcus, quæ Bzouius sine rubore si legerit, constantem & fortem dicam, nam frons eius Herculem ostendet.

23. Pronunciatum IV. *Hos religiosos conuellere nisos religionem S. Francisci.* Bzouiana ista verba sunt, & parum sana; omne suum studium eo collimarunt, vt religionem, paupertatísque in ea rigorem conseruarent. Audi quem iamiam Ibid. laudaui auctorem Marcum, *In primis certè*, inquit, *propter zelum & amorem Apostolicæ paupertatis, & propter honorem & reputationem status sui & regulæ professionem se mouerunt, licet in initio se aliquantulum indiscretè gesserint, & causam deinde nimio proprij iudicij & opinionis amore prosecuti sint. Quare misericordia digni sunt, & cuilibet timendum est, quia scriptum est, Qui existimat se stare, videat ne cadat.* Hæc Marcus Vlyssipponensis, parum ad stomachum Bzouij, cui illi ipsi annisi sunt conuellere, qui nimio studio ibant religionem suam defensum. Quod verò tandem aliquando Franciscani instituti Religiosos laudat Bzouius, benè facit, diu enim multúmque eos vituperauit.

Col. 517. IX. 24. Bzouius. *Neque secus Ludouici Bauari impetus ciciderunt, qui hoc ipso anno in Germaniam reuersus, Norinbergæ conuentu principum indicto,*

dicto, multa temerè in Ioannem Pontificem declamauit. Accusabat inprimis grauiter suo ipsius ore Ioannem, quasi nihil spiritualia curaret, & dolo malo omnia ageret, & Ecclesiasticæ fidei puritatem, tum falsimonia doctrinæ adeóque hæresi, tum temporalium rerum solicitiore cura seu auaritia & cupiditate contaminaret, adeóque indignum pontificatu sese efficeret. Petrum deinde Corbarium, per summam vim ab Ioanne oppressum, esse virum doctrina & sanctimonia vitæ, Iesu Christo Ecclesiæ capiti, nec non Apostolis & inprimis Diuo Petro aßimilem prædicabat: eáque propter, hunc quidem summo Pontificatu longè dignißimum, verúmque Pastorem ouium esse: illum vero DEO ac hominibus propter hæreses & flagitia inuisum, iam dignitate pontificia exutum mentiebatur. Proinde quod consentaneum fuerat, omnes principes adhortabatur, vt etiam atque etiam causas tam abominandi schismatis penitius inspicerent, neque specioso fuco aliquorum se decipi paterentur. In eo comitio cum non multum operæ fecisset, iterum Spiram vniuersos euocauit, & in consessu Principum, multa de Ioannis Pontificis expeditione in Saracenos, déque decimatione bonorum seu fructuum Ecclesiasticorum, quam illa ficta sit, & hæc non nisi ex cupiditate habendi proficisceretur, per calumnias disseruit: iterúmque principes hortatus est, ne

permitterent tantam vim pecuniarum, in vsus nefarios conferri: quod futurum esset, vt non aduersus Mauros aut Turcos, sed aduersus Christi gloriæ amantes, eam in stipendia militaria numeraret. Quamobrem exemplum suum sequerentur, ac iussis obtemperarent: cum & ipse, quæcunque ditiones imperio subiectæ parerent, eam fructuum Ecclesiasticorum partem decimam auferri vetuisset, omnémque obicem auaritiæ posuisset. Monebat ad extremum, vt omni studio pro virili niterentur, vt Petrus Corbarius (quem verum Pontificem confinxerat) ex carcere liberetur, qui Ecclesiæ orthodoxæ rectè præsit, neque sua sed quæ sunt Iesu Christi quærat: tum vniuersa Ecclesia vnitati suæ restituta, se cum copiis Hierosolymam profecturum. Satis sibi ad felicitatem futurum affirmans, vbi aspiceret Ecclesiam habere Pontificem, cui cordi sit animarum salus, non dominationis, aut auri cupido: latúmque se aut Hierosolymam aduersus hostes fidei, aut etiam ex hac vita emigraturum, si post se relinqueret Ecclesiæ & Imperio desideratam ab vniuersis tranquillitatem, & reipublicæ statum bonis omnibus florentem. Dictis Ludouicus lachrymas & suspiria addiderat, nonnullósque Principum aduersus Ioannem commouerat: donec Ioannes ex Concilij Auinione congregati sententia, innocentiam suam vniuersæ Ecclesiæ declarasset, originémque & causas atque progressus, vnde, quo ordine, quibus

bus auctoribus vel administris, Ecclesiastica vnitas ac libertas siue diuisa, siue oppressa gemeret, aperuisset. Itaque statim Petri antipapæ abiurationem & hæreseos confessionem, missis Legatis & Nunciis, per vniuersam Germaniam promulgauit, anathemáque dixit omnibus, qui in posterum Petro obtemperarent, vel eum nomine Pontificio salutarent. Mutius Chron. Germ. l. 24. & regest. Ioannis XXII. *hoc anno.*

25. Supra historicum, præsertim tantum, sapienter Bzouius hoc loco describit, aut describere videri vult inuectiuam Ludouici, quam ad Imperij proceres Norinbergæ dixit, ex calamo Mutij Germani desumptam, quasi magna fides deberetur hæretico in Pontificem debacchanti: quo modo ipse me aliúmque lectorem certum reddet, ea omnia ab Imperatorio ore manasse, quæ Mutius adfert? Dubitare quidem non possum egisse causam suam Cæsarem, & quidem acriùs, nec cum magna laude Iohannis; sed tamen eum omnia quæ Mutius tradit, locutum, non facilè admiserim; multo minus iis fidem habeo, quæ Bzouius intima erga Cæsarem beneuolentia Mutio passim intermiscet, vt iamiam patefaciemus.

26. Pronunciatum I. *Accusabat Joannem quasi nihil spiritualia curaret.* Hic Bzouius Mutiana quædam subticuit, quæ vera falsáue sint, omitti tamen, ab promittente se Mutium in denarranda

Ludouici oratione ſequi, non debebant. Igitur Mutius addit, *Iohannem totum eſſe in carnalibus rebus ſuffocatum.*

27. Pronunciatum II. *Ioannem Eccleſiaſticæ fidei puritatem, tum falſimonia doctrinæ adeóque hæreſi, tum temporalium rerum ſolicitiore cura, ſeu auaritia & cupiditate contaminare, adeóque indignum Pontificatu ſeſe efficere.* Hoc totum pronunciatum non eſt Mutij, ſed Bzouij, cui ſine dubio in oratione amplificandi poteſtas permiſſa, alioqui ægrè perſuaderet.

28. Pronunciatum III. *Petrum Corbarium per ſummam vim ab Ioanne oppreſſum.* Nihil Mutianum hîc, totum Bzouianum.

29. Pronunciatum IV. *Corbarium Ieſu Chriſto Eccleſiæ capiti aſſimilem.* Incrementum Bzouianum iſtud eſt; apud Mutium nemo inueniet.

30. Pronunciatum V. *Corbarium Diuo Petro aſſimilem.* Mutius ait, *Apoſtolis aſſimilem,* nulla Diui Petri mentione facta.

31. Pronunciatum VI. *Corbarium ſummo Pontificatu longè digniſſimum.* Mutius, *dignum ſummo pontificatu.*

32. Pronunciatum VII. *Ioannem Deo & hominibus propter hæreſes & flagitia inuiſum.* Mutius his verbis, *odio dignum apud Deum, & homines qui talem perſequi* (nempe Corbarium) *non dubitet.*

Bzo-

Bzouius hæreses & flagitia substituit solita liberalitate.

33. Pronunciatum VIII. *Ludouicus dignitate pontificia iam exutum* Iohannem *mentiebatur.* Istud nempe religiosæ virtutis est, Imperatori mendacium obiicere, & mendacium dicere. Parce mihi, conditio alioqui naturæ meæ non fert, vt tam inurbanè loquar; sed quia tu apud Cæsarem rusticus es, licet & mihi apud te esse. Mutius nec literam huius tui pronunciati dixit.

34. Pronunciatum IX. *Omnes principes Ludouicus adhortabatur, vt etiam atque etiam causas tam abominandi schismatis penitius inspicerent, neque specioso fuco aliquorum se decipi paterentur.* Mutius & hìc auctus est: ita loquitur, *Adhortatur igitur principes, vt etiam atque etiam causas inspiciant, ne specie & fuco patiantur se fallere.*

35. Pronunciatum X. *In eo Comitio cùm non multum operæ fecisset, iterum Spiram vniuersos euocauit.* Honorarium à me feret Bzouius, si in Mutio ostenderit parum operæ fecisse Norinbergę Cæsarem, & ea de causa alia Spiram indixisse comitia. Proceres Spiram euocauit, vti persuaderet iis, Pontificem nomine Turcici belli fallere, & fingere expeditionem nunquam suscipiendam. Audi Mutium, *Post illa Norimbergensia Comitia Spiram rursum conuocat Principes, & illic multa agit de Pontifi-*

cis Romani ficta expeditione in Turcos & exactionibus iniquis, & adhortatur ne velint tantam vim pecuniarum conferre in vsus nefandos.

36. Pronunciatum XI. *In consessu Principum multa de decimatione bonorum seu fructuum Ecclesiasticorum non nisi ex cupiditate habẽdi profecta per calumnias disseruit.* Mutius solùm scribit Cæsarem conquestum de exactionibus iniquis, vt pronunciato præcedente audiuimus: reliqua omnia Bzouiana sunt.

37. Pronunciatum XII. *Ludouicum dixisse, futurum esse, vt non aduersus Mauros aut Turcos, sed aduersus Christi gloria amantes eam* vim pecuniæ *in stipendia militaria* Iohannes *numeraret.* Bzouianum hoc totum est exceptis istis Mutij verbis, *non vsuros pontificios ea pecunia ad debellandum Turcam.*

38. Pronunciatum XIII. *Quamobrem exemplum suum sequerentur* (ita Ludouicus inducitur loqui à Bzouio) *ac iußis obtemperarent; cum & ipse quacunque ditiones imperio subiecta parerent, eam fructuum Ecclesiasticorum partem decimam auferri vetuisset, omnémque obicem auaritia possuisset.* Quis te feret Bzoui, qui in tanti momenti rebus tua refers, & nomen historicorum obtendis? vbi Mutius ista?

39. Pronunciatum XIV. *Satis sibi ad felicitatem*

tem futurum, vbi aspiceret Ecclesiam habere Pontificem, cui curæ sit animarum salus, non dominationis aut auri cupido. Mutius, *Satis*, inquit, *vixisse se, vbi viderit Ecclesiam habere Pontificem, cui curæ sit animarum salus, lætúmque se aut Hierosolymam contra hostes fidei, aut ex hac vita migraturum, si post se relinquat imperio & Ecclesiæ tranquillitatem, & statum felicem.* Vbi dominatio illa, vel auri cupido hìc obiecta, Bzoui?

40. Pronunciatum XV. *Dictis Ludouicus lachrymas & suspiria addiderat.* Mutius nihil horum. Bzouius Imperatorem nescio in quam Penelopen transformat, ac lachrymas adfingit, imò etiam suspiria. Ineptus planè nugator es Bzoui, augere rem nosti, nec nosti. Quid tu nobis in tanto heroë fletus & lamenta proponis? non est Cæsarum arma mulierum vsurpare; animus illis in corpore, & ferrum in manu; nec oculi ora humectant, sed sanguis nonnunquam honesto vulnere nobili in pugna fusus. Te potius lachrymæ & suspiria decent, qui toties in calumnias laberis.

41. Pronunciatum XVI. *Ludouicus nonnullos principes aduersus Ioannem commouerat, donec Ioannes ex Concilij Auinione congregati sententia innocentiam suam vniuersæ Ecclesiæ declarasset.* Aliter Mutius, *Commouit principum multos aduersus Iohannem Pontificem.* Bellè & præ-

clarè Bzouij rurſus nouam nos Grammaticam doces, *nonnullos* idem ſignificare quod *multos*. Deinde commotos fuiſſe principes donec Ioannes ſuam innocentiam declararet. atqui de hac ſubſecuta declaratione nil habet Mutius, & innocentiam Pontifex ſuam ante Norimbergenſem Spirenſémque conuentum apud eundem Mutium iam declarauerat, *Et in Germania*, inquit, *multi reſpicere inceperunt ad Pontificem Ioannem. Statim enim reuocationem eius* (Nicolai videlicet) *& hæreſeos confeſſionem per totam Germaniam promulgauit per legatos, & excommunicauit omnes, qui non mox reſipuerunt, Pontificem Ioannem agnoſcendo, illíque obediendo. Ioannes Pontifex vt teſtaretur animi ſui ſtudium erga Christianam Eccleſiam, congregato concilio, decreuit bellum in Saracenos, conſentiente ſimul ad eam expeditionem Gallorum Rege. Pontifex autem ad impenſas huius belli deputauit decimam partem fructuum Eccleſiaſticorum bonorum per totam Eccleſiam Romanam.* Hæc Mutius ante Norimbergenſe ac Spirenſe comitia. Ex quo perſpicis, Bzoui, illud concilium Auinione prius habitum, & decimas poſtulatas fuiſſe; atque ideo demum Spiræ contra has exactiones Cæſar orationem habuit. Itaque Principes qui antea Iohannem reſpectare inceperunt, Cæſar in ſuam ſententiam traxit, non autem reſpectare primum inceperunt poſt Spi-

Pag. 230. 38.

Spirensia comitia, nam Pontificiæ bullæ præcesserunt, & locum querimoniæ Cæsari in comitiis dederunt.

42. Bzouius. *Ita habet ea Ioannis Epistola, quæ est de Petri Corbarij erroribus.* Col. 572. X.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sicut de his, quos ab vnitate sanctæ Dei Ecclesiæ error abscidit prauitatis hæreticæ, indubiè fideles eiusdem Ecclesiæ affligi supponimus & debere; sic eos de conuersione ipsorum ad eiusdem vnitatem Ecclesiæ firmiter credimus congaudere. Sanè auersionem à fide catholica, & separationem ab Ecclesiæ Catholicæ vnitate, Petri de Corbario Ordinis Fratrum Minorum (quam instigatione versuti hostis, qui à principio ruinæ suæ vnitatem Ecclesiæ sanctæ nititur scindere, humanúmque genus perturbare processisse supponimus) ad ipsorum fidelium communem non ambigimus notitiam peruenisse. Sed vt quæ illius immensa misericordia (quæ omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis desiderat peruenire) circa conuersionem dicti Petri, in his diebus operata misericorditer fuerit, & quid circa hæc idem Petrus fecerit, cœtus ipsorum fidelium non ignoret: ad eorum notitiam deducimus per præsentes, vt sicut passionis Ecclesiæ prædictæ per hoc inflictæ fuerunt socij, sic consolationis & gaudij existant participes & consortes. Eos

nihilominus exhortantes in Domino & rogantes, vt magnitudinem gratiæ impensæ in hac parte à diuina clementia eidem Ecclesiæ Catholicæ considerantes attentè, ei à quo cuncta bona procedunt, laudes & gratias, etsi non debitas vel condignas (cùm hoc etiam per Ecclesiam uniuersalem impleri nequeat) saltem eis poßibiles studeant exhibere: ac insuper eidem supplicare humiliter & deuotè, vt quod cœperit circa pacem dandam Ecclesiæ tam mirabiliter operari, ipse cuius perfecta sunt opera, dignetur nunc adimplere.

Et vt certiores reddantur, quod ad ea quæ continentur inferius, dictus Petrus non vi, non metu processerit, sed propria, spontanea, & à Spiritu sancto mota (vt nunc credimus) voluntate, transumptum cuiusdam literæ manu propria dicti Petri, dum adhuc in loco ignoto nobis existeret, missæ nobis, annotandum præsentibus duximus, quod est tale.

Reuerendißimo ac Sanctißimo Patri & Domino, Domino Joanni P P. Sacrosanctæ Roman. Ecclesiæ, Frater Petrus de Corbario dignus omni pœna, seipsum ad pedes cum reuerentia veræ subiectionis prosternit.

Licet secundum canonem Euangelicæ veritatis: Qui non intrat per ostium in ouile gregis Dominici, fur appelletur, & latro rapacitatis lupinæ, audiens & considerans diligenter tanta enormia scelera prauitatis hæreticæ stylo ferreo exarata in vngue ada-

adamantino, quanta dicebantur à multis de vestra solida fide: sicut præsumptuosus, temerarius & superbus ascendi super astra cæli Ecclesiastici, vbi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit sedes prælationis iniquæ. Sed postquam deueni ad territorium Pisanum, & quæsiui diligentissimè de prædictis & inueni, quod obliqua erant & falsa, & deficiebant à pondere veritatis: dolui & doleo vehementer, & pœnitet me fecisse, quæ feci contra iura & leges vestri sanctissimi nominis de consilio peruersorum. In cuius rei testimonium iam est annus completus, quod aduersarium vestrum sponte dimisi, & sedem mei præsumptuosi culminis dereliqui. Et propono firmiter in ciuitate Pisana, & etiam in vrbe, & vbicunque locorum errata mea palam emendando renuere, secundum quod vestra benignissima sanctitas decreuerit ordinandum. Et quia grauissimè peccaui, & erraui patenter in inuio, & non in via: supplico vestræ clementissimæ pietati, quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere secundum multitudinem magnam misericordiæ Dei viui: vt renuens ex totis visceribus, deleam & adnihilem supradicta de cordibus vniuersorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de vestra Serenissima sanctitate: vt in Ecclesia de cætero sit vnus pastor & vnum ouile, pro pace totius populi Christiani. Datum in confinibus Lucaniæ. Subiicit deinde



in eadem epiſtola Iohannes confeſſionem Nicolai, ac tandem paragrapho vltimo dicit, Nicolaum ſponte ad ſe Auenionem veniſſe.

43. Tria ſunt in hac epiſtola, quæ parum intelligo, quæque me Bzouius ſi docuerit, δίδακτρον ei me debere fatebor. Primum eſt, quod §. 2. ſignificatur Petrum dediſſe literas pœnitentiæ teſtes non vi, nec metu impulſum, ſed ſponte & ſpiritu ſancto motum. nam ſi literas ad Pontificem dedit è vinculis, vi certè ac metu dediſſe cenſendus eſt. Dediſſe autem è vinculis, partim ipſæ eius literæ, partim Bzouius aliíque ſignificant. Etenim Petrus in literis ait, *Iam eſt annus completus, quod aduerſarium veſtrum* Ludouicum *ſponte dimiſi, & ſedem mei præſumptuoſi culminis dereliqui.* At inter tempus, quo Petrus Ludouicum & ſedem ſui culminis dimiſit, ac tempus quo à Piſanis comprehenſus fuit, nec medius nedum completus annus interceſſit. nam anno 1329. die 29. Ianuarij Petrus Iohannem Vicecomitem auctore Villano precibus Ludouici Cardinalem creauit, Legatúmque in Lombardiam miſit; ac proinde needum Ludouicum, nec ſedem ſuam deſeruerat. Deinde captus eſt ſtatim poſt Ludouici ex Piſana ciuitate abitum (abiit autem, vt Villanus docet, anno 1329. die 11. Aprilis) vt Bzouius eodem anno ſcribit; vel quod longè ſimilius vero, & ex Villano alibi colligere

In med. *Cap. 119.* *Cap. 130.* *N. IV. anno eodem.* *Cap. 135.*

gere eſt, eodem anno 1329. menſe Iunio. Itaque inter duo illa tempora non omnino tres interlabi menſes potuere, ſi Bzouius verum ſcribit; nec ſex, ſi Villanus. Imò cùm ſatis clarum ſit, Petrum nec Ludouico nec dignitati adeptæ prius nuncium remiſiſſe, quàm Ludouicus Piſis diſceſſerit; ne vnus quidem menſis illa diſterminauit tempora, ſi Bzouio credimus; nec tres integri, ſi Villano.

43. Alterum eſt, quod Pontifex §. vltimo dicit, Petrum ſponte ad ſe Auenionem veniſſe. nam ſi captiuus & à cuſtodibus ductus venit, non ſponte veniſſe videri debet. Iam captiuum & à cuſtodibus ductum veniſſe, conſpirant hiſtorici, atque etiam Bzouius hoc anno, Ciaconius pag. 697. B. v. 7. Æmilius p. 445. v. 4. Antoninus 3. p. tit. 21. c. 5. §. 1. f. Pigna anno 1330. Villanus c. 146. Blondus decad. 2. l. 9. p. 357. C. m. Bergomas anno 1324. f. Rebdorfius, Corius, Mutius, Nauclerus. *N. III. poſt m.*

44. Tertium eſt, quòd Petri epiſtola data ſcribitur in confinibus Lucaniæ. nam Piſani Bzouio teſte Petrum ceperunt, & quidem, vt videtur, non alibi quàm Piſis, vel propè. quanquam etſi procul eum cepiſſent, Piſas profectò vel in viciniam perduxiſſent. Cum ergo Piſæ ſint in Tuſcia, cur epiſtola non ſcribitur data in finibus Tuſciæ? Conſule, amabo te, Caſtaldi deſcriptionem Italiæ, quanto terrarum tractu Piſanus ager ab Lucania abiungatur. *An. 1329. IV. ante m.* *Apud Ortelium in theatro.*

gatur. Fortasse dices *in Lucaniæ finibus* significare *haud procul vrbe Luca*: crederem, si alio quàm te auctore diceres. quare non potius haud procul Pisis, quibus credo propior fuit Petrus, quam Lucæ.

Col. 571. XII. 45. Bzouius. *Nonnullam occasionem persequendi Prædicatores illi arripuerant ex literis Pontificis Ioannis, Ioanni Boëmiæ Regi datis. Quod enim in eis Ludouicum Bauarum à Petro Corbario consecratum fuisse pontificius exscriptor per errorem perscripsisset, multi Bauarianorum eam consecrationis voculam in rem Bauari trahentes, Ioanni Pontifici imponebant, quasi is Pontificium Antipapæ agnosceret, adeóque Ludouico Imperatoris titulum adscriberet, quod Imperatoris consecratio ad solum Romanum Pontificem pertineret. In eum itaque modum colligebant; si Ludouicus Bauarus consecratus à Corbario, quemadmodum Ioannes vigesimus secundus perscripsit: itaque & hic verus* Pontifex *Romanus, & ille non illegitimus Imperator* Romanorum. *Hac de causa, cum multi tum ex proceribus, tum ex popularibus, Ludouicum Imperatorem reputarent, eúmque aduersus Pontificios secuti, plurimos eorum persequerentur; necesse habuit Ioannes Pontifex, Ioanni Boëmo Regi, Archiepiscopo Treuirensi & Otthoni Duci Austriæ significare; per errorem, consecrationis nomen in literas illius irrepsisse; cum non consecratum, sed exsecratum potius fuisse Bauarum à Petro, amanuensis*

nuensis scribere debuisset. Ioannes Rex Boëmiæ & Ottho Dux Austriæ, primi fuere, qui Ludouico adhæsere, & scriptis Mediolanum, alibíque locorum destinatis, defendendum suscepere. Vtrumque vt Ioannes Pontifex ab illius communione auerteret, postquam seriò inconstantiam illorum acrioribus verbis castigasset, ad obsequentiam Apostolicæ sedis hortatus est. Rudolpho quoque Duci Saxoniæ ne Comitiis à Bauaro, hoc anno, indictis interesset, interdixit; Basileensi autem vrbi, quod Ludouico adhæsisset, sacra omnia abrogauit: cum etiam præter alios Principes Germaniæ ad Ottonē & Barniminū, Duces Stetinenses processum & anathemata aduersus Ludouicum promulgata, & Petri Corbarij eiurationem destinasset, eósque omnes aduersus prophanum excitasset: vtque ingredienti prouinciam Brandeburgensem, quam Waldmaro Marchione eiecto occupauerat, resisterent, imperasset.

46. Sapienter iterum hoc loco Bzouius agit, quod auctorem suæ narratiunculæ cælet: isto modo deprehendi non potest: ego verò propter vnicam voculam malè, vt ille narrat, exscriptam è pontificiis literis, non puto multos aut procerum, aut popularium Ludouico æquiores fuisse, & propterea persecutionem in Prædicatores instituisse. Quāquam non video, quomodo exscriptor errarit in loco illo pontificiæ epistolæ à te anno 1330. allato, *N. I. longè post m.*

g *No-*

Nomen Imperatoris per inunctionem, consecrationem, & coronationem quis nanciscitur, factas quidem à Romano Pontifice, seu alio, eius auctoritate. Patet igitur ipsum Bauarum ius aliquod non habere, quia non à vero summo Pontifice, sed ab antipapa recepisse dicitur, & noscitur supradicta, scilicet inunctionem, consecrationem & coronationē. Iam cur omisisti Iohannis epistolam ad Principes datam apponere? illa fidem inuenisset; tu tum inuenies cum testes adduxeris.

47. Sed oro te, quo tu fato tam putida scribendi, iniuriosam illam cramben de pulso Waldemaro reponere audes? nisi Ludouicus sepulchrum Marchionis eruerit, frigidúmque cadauer è finibus Marchionatus exportari curarit, non eiecit; viuo enim nec molestiam intulit, nec bellum. Sed iam supra immanem hanc iniuriam, quam Bzouius Cæsari infert, diluimus.

Col. 579. XIV. 48. Bzouius. *Ea regia liberalitate excitati Vrsinorum gentis primi, nihil non cum Bertholdo Vrsino Vicario egerunt, pro conseruanda vrbe in obsequentia sacrosanctæ sedis. adeò vt duo proceres Romani, qui Ludouicum in Germaniam fuerant comitati, cum primum Romam reuertissent, pene omnes in verba Ioannis Pontificis iurasse inuenerint. Mutius supr.*

49. Mutius de Vrsinis nihil refert, sicut neque hoc,

hoc, quod reuersi Romam è Germania Romani proceres, pene omnes in verba Iohannis Pontificis iurasse inuenerint. Hæc duntaxat scribit: *Romam venerunt per multas difficultates & discrimina, inuenerúntque Guelfos dominari in vrbe, vixque Cæsarianos spirare, vt sic dicam.* Hæc Mutius. in quo mihi Bzouius ostendat illud, pene omnes in verba Pontificis iurasse: vix respirare Gibellinos, non est idem ac Gibellinos ad partes Guelforum transisse, & Guelforum capiti iurasse. Citat igitur Mutium solùm ea de causa, vt alij videant Bzouium fallere. Non indiget inclyta illa Vrsinorum Domus Bzouij emendicata ex vano laude, verissimam habet aliunde.

50. Bzouius. *Actius Vicecomes Mediolani præfectus, missis ad summum Pontificem Auinionem legatis, se de mulctis quasi immerenti sibi suísque maioribus impositis excusabat, omnémque inuidiam in Ludouicum Bauarum reijciebat. eius timore dicens quicquid ea in re mali fuisset perpetratum, accidisse: porro nunc paratum se iussa peragere, legibúsque quas Pontifex indiceret, obtemperare. His verbis inclinatus Pontifex, Actium pro sedis Apostolicæ auctoritate, Vicarium imperij & Mediolanensibus præfecit, omnémque Clerum quem Mediolano euocauerat, redire præcepit. Donatus Bossius hist. Mediolan.* N. XV.

51. Vicecomites quicquid aduersus Pontifi-

cem egerunt, Cæsaris timore egisse, falsissimum est, & à te facillimè potuisset ac debuisset refelli, tum ex aliis capitibus, tum ex eo, quod Matthæus
an. 1317. Actijauus, vt refert Corius, non erat amplius Vicarius Imperatoris, sed Principis & domini Mediolanensis nomen sibi arrogauerat, quod non metu Ludouici, nec in eius gratiam, sed in graue præiudicium fecerat; & vrbs Mediolanum anno 1316. vt Bossius scribit, eidem perpetuum iurarat obsequium, quod non Vicario, sed principi vel domino fieri debet. Inde vero factum est, vt Matthæus multa aduersus Pontificem & Guelfos egerit, adeóque à Pontifice Iohanne excommunicatus fue-
N. III. post m. rit, vt anno 1316. scribis. Verum tu tantum abest vt aliorum in Ludouicum calumnias diluas, vt tuas addas, & quidem tricongio vel modio admensas.

52. Pronunciatum I. *Pontifex Clerum, quem Mediolano euocauerat, redire præcepit.* Hoc non Iohannes sed Bzouius præcepit. Bossius tantum dicit, *Permisit.*

N. XVI. 53. Bzouius. *Hac Pontificis benignitate Actius inuitatus, cùm Ioannem Regem Boëmiæ, sub Pacificatoris nomine aliud agere, vniuersæq; Italiæ imminere, Brixia, Cremona, Papia, Bergomo, Parma, Regio, atque Mutina ab eo intercepta, & Luca obsessa, & Etruria vastata perspectum habuisset, fœdere*

cum

cum aliis principibus Italiæ percusso, inhianti Boëmo sese opposuit, victoriámque insignem de partiariis, neque sine miraculosa ope Diuum reportauit. Rheti, Germaníque Leodrisio iuncti, iam Actianis formidabiles esse incœperant, ducibus præcipuis interfectis; iámque Leodrisio victoria parta videbatur, nisi Diuus Ambrosius Mediolanensium tutelare numen, in nube, equestri effigie à multis conspectus opem planè perditis rebus attulisset.

54. Toto anno aberras Bzoui; omnia hæc anno sequenti contigere, vti non modo Villanus, sed etiam tu anno sequenti testaris, vbi eiusdem fœderis commemorationem repetis. *Cap. 180.* *N. IV.*

55. Pronunciatum I. *Lucam à Bohemo obsessam.* Medium seruare Bzouio difficile est: modò vltra progreditur, modò citra consistit. Vtriusque specimen hoc & sequenti pronunciato propono. Iouius, ex quo vno rem ille hanc exprimit, non obsessam; sed iam occupatam à Iohanne Bohemo Lucam narrat, *Johannes*, inquit, *ingenti cursu Brixia, Cremona, Papia, Parma, Rhegio Mutináque potitus, superato Apennino Lucam occuparat, Gerardino vrbe eiecto, & Florentinis copiis, quæ Beltramone Baucio duce Lucam obsederant, longè summotis.* *P. 121. f.*

56. Pronunciatum II. *Etruriam à Bohemo vastatam.* Paulò antè minus, nunc plus dicis

quàm Iouius, qui de Etruria vastata nihil; & potuit Bohemus Lucam in Etruriæ finibus sitam primo impetu absque Etruriæ vastatione capere.

57. Pronunciatum III. *Diuus Ambrosius Mediolanensium tutelare numen opem planè perditis rebus attulit.* Ego hactenus vnum numen Deum credidi. Profanus profanum, &, si verba spectes, superstitiosum scriptorem Iouium imitaris. Restat vt cum ad eius tempora deueneris, *deos immortales,* & si qua alia id genus pietatis monimenta inspergit, ex eodem transcribas, & hæreticorum errorem, quo diuos Deorum à nobis haberi loco autumant, stabilias.

In hist. sui temp. sæpius.

ANNVS CHRISTI 1331.

Ludouici Imperatoris XVIII.

Col. 649. III. 1. BZouius. *Ludouicus Bauarus interim in Germaniam redux, apostatarum persuasionibus commotus, inprimis contra Ioannem Pontificem literas calumniis & imposturis refertas, nec non erroribus & hæresibus aspersas euulgabat: deinde vrbes fidem & imperium illius detrectantes, sub iugum mittebat, atque pœnis imperialibus propositis, ad obedientiam*

tiam compellebat. Iuuabat Bauarum literas Pont. in quibus illum à Petro Corbario consecratum fuisse, exscriptor per errorem scripserat, demonstrare tunc cùm alij alias vitiatas, in rem ipsius ostenderent. Itaque, ne officio suo Pontifex deesset, aduersus quoscunq; hæreticos, & diplomata pontificia vitiantes, vel vitiatis scienter vtentes, pœnas grauissimas decreuit. epist. 231. deinde omnes & singulas pœnas à Ludouico in quascunque vrbes, communitates ac personas singulares prolatas irritauit, eámque rem tum Archiepiscopo, tum Camerario Moguntino, tum Iudicibus omnibus & Ciuibus præsertim Moguntinis significauit, eósque propositis priuilegiis & indulgentiis amplissimis, aduersus Bauarum excitauit: cum etiam Henr. Ducem Austriæ, vt Fr. suum Otthonem Austrium à communione Ludouici retraheret, admonuisset. ep. 260. & aliis in regest. huius anni.

2. Multus es Bzoui in recensendis Pontificiis & Imperatoriis rebus, nec alium auctorem laudas præter Regestrum Iohannis, quod cum alij non viderint, ego tuis oculis parum fido, in aliis expertus, quanta fide auctores describas. Et quidem hoc anno Ludouicum contra Pontificem quicquam scripsisse, quod tu non tam ex literis Iohannis, quàm sine auctore affirmare videris, non facilè crediderim. quin hoc anno per legatos cum Pontifice multa Cæsar tractauit, æqua omnia offerens

&

& spondens; & tu imposturas illas ostendere debebas, nisi pro calumniatore haberi voluisses. Solicitasse autem hoc anno reconciliationem Iohannis Cæsarem, testatum faciunt binæ literæ in Archiuo nostro Bauarico asseruatæ, quas operæ precium est adnectere.

3. *Sanctissimo in Christo Patri & Domino suo Domino Iohanni sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, Ludvvicus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, deuota pedum oscula beatorum.*

I. *Sæpe fit, vt satore procurante inuidia, peruersorum hominum etiam faciente suggestione, sub velamine veritatis falsitatem ingerentium inter amicissimos dissensionis materia oriatur, quæ dum auctore pacis largiente, & commenta fraudis atque deceptionis velamina detegente, de cordibus eorum tollitur, fortior atque stabilior inter ipsos dulcor amicitiæ reparatur, ita vt procuratores talium propriis iaculis se sentiant vulneratos, dum malitiæ suæ machinationem non solùm effectum non habuisse, sed maioris dilectionis incentiua procurasse dolebunt.*

II. *Discordia siquidem inter nos, proh dolor, iamdudum suborta, quam sit onusta dispendiis, quam plena ærumnis, Deo odibilis, periculosa animabus, saluti corporum & rerum aduersa, nemo sanæ mentis ignorat, qui transacti temporis discrimina meditatur.*

Quanto

Quanto ergo grauior, quanto etiam in posterum allatura pericula grauiora, tanto maiori diligentia & solicitudine ipsius est excidium laborandum.

Et quia ex relatione nunciorum nostrorum intelleximus, diuina vos præueniente gratia ad tractandam concordiam paterna fore benignitate fauorabiliter inclinatos: supplicamus Sanctitati vestræ, quatenus cum suis sapientissimis literatissimísque viris stipatus vias & modos inuenire dignemini, per quos saluo honore sedis Romanæ ac sacri Imperij, concordia inter nos procuretur, vt pax & vnitas in sancta seruetur Ecclesia, vt fides catholica nostris prosperetur temporibus, & populus fidelium in pulchritudine pacis, pacis colat auctorem, qui non nisi tranquillitatis tempore debitè veneratur. III.

Nos etiam feruenti desiderio, ad hæc efficienda facturi erimus omnia, quæ saluo honore imperij facere possumus & debemus, intendentes facta præterita futuris consiliis, auxiliis & fauoribus apud personam sanctitatis vestræ sedémque Romanam taliter compensare, vt discordia ipsa eidem Romanæ Ecclesiæ nulla damna seu nocumenta, sed fructus vberes attulisse dicatur. Et quod Ecclesia Romana *habere se filium tam deuotum, aduocatum, & defensorem tam fidelem, & feruidum merito valeat gloriari.* IV.

4. Hucusque Ludouicus demissè & seriò. Videamus etiam patentes Legatis super ea re traditas.

Ludouicus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, vniuersis & singulis, qui sua crediderint interesse, salutem & pacem & notitiam subscriptorum.

I. *Sollicita meditatioue pensantes, & cum amaritudine cordis ad animum reuocantes, quomodo diutina bellorum incommoda, duráque guerrarum commotio, ex discordia inter sanctissimum in Christo Patrem Dominum Ioannem Sacrosanctæ ac vniuersalis Ecclesiæ summum Pontificem & nos iam dudum, proh dolor, suborta, nimis acriter plures terminos, Christi fidelium deuastauerint, plures Ecclesias destruxerint, & per raptorum sæuitiam populus innumerabilis coactus sit miserabiliter exulare; curis excitamur assiduis & frequenti meditatione torquemur, quomodo à subiectis sacri Imperij, & ab vniuersis Christi fidelibus scandala huiusmodi amoueamus, & quietis & pacis plenitudinem, prout nobis commissum est diuinitus, procuremus.*

II. *Et idcirco discretos viros Arnoldum de Mumebach, Canonicum Ecclesiæ Eystetensis, & Magistrum Vdalricum de Augusta familiares & secretarios nostros dilectos, pacem plurimum diligentes, de quorum etiam industria & fide explorata indubitatam gerimus confidentiam, præsentes, & mandatum nostrum sponte in se recipientes, ad eundem sanctissimum patrem nostrum, Dominum Ioannem, sacrosancta*

sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ summū Pontificem duximus destinandos, quos nostros fecimus & præsentibus facimus Procuratores, negotiorum gestores, & nuncios speciales, dantes eis plenam & liberam administrationem & potestatem, & cuilibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, nostro & Imperij nomine de concordia inter nos placitandi, tractandi, petitiones & supplicationes porrigendi, excusationes offerendi, coronationem & consecrationem imperialem petendi, de loco & termino conueniendi, concordiam ipsam faciendi, finiendi, roborandi & firmandi sacramētis, & sigillis propriis, ac publicis instrumentis, & omnia & singula faciendi, quæ in præmissis & circa præmissa & quodlibet eorum necessaria fuerint, vel etiam opportuna, etiamsi mandatum quantumcunque exigant speciale. Promittentes quod gratum, ratum & firmum habebimus in perpetuum, quidquid per ipsos vel alterum ipsorum, factum, ordinatum, vel diffinitum fuerit in præmissis vel quolibet præmissorum.

In quorum omnium euidentiam, præsentes dedimus sigillis nostris signatas. Datum in Augusta feria secunda ante vndecim millium virginum, Anno Domini 1331.

5. Habes lector quæ Cæsar Pontifici proposuerit; sunt ea certè eiusmodi, vt ob pacem terris reddendam debuerit commoueri Iohannes ad Ludo-

uicum in gremium Ecclesiæ recipiendum; quem tamen receptum non fuisse euentus ostendit.

Col. 650. N. IV f. 6. Bzouius. *Joannes Dubrauius rerum Boëmicarum scriptor, Regis Ioan. apparatum, progreßiones, & discessum accuratè descripsit. Placuit ad summam rei cognoscendam, exscribere, sed contractim.*

V. *Itaque Rex decem millibus armatorum in Boëmia, & tribus millibus in Carinthia contractis, alpibúsque sine vllo suorum discrimine superatis Bergomum primo aduolauit. Sperabant Bergomates auxilio sibi affuturos aliquos partiũ suarum fautores. Verùm cum illi à sociis desererentur, consilium dedendi cœperunt, hac conditione, si Rex deditos ditionis suæ faceret, ncn autem vt illos Brixianis Guelphis subijceret. Quibus ille respondit; Non in hoc se ad Italiam venisse, vt seruitutem ciuitatibus Italiæ à se in fidem suam receptis imponeret, sed vt illas à factionibus & seditionibus liberaret, sublatis inde Gibellinorum & Guelphorum barbaris atque exitialibus vocabulis. Deditum Bergomum atque Cremam cum Beltrandus Romani Pontificis copiarum Dux, qui eo tempore Bononiæ erat, cognouit, Regem tanto successu factionem Gibellinam à Ludouico Bauaro totis viribus stantem prosternere, illámque sub ius ac potestatem suam subiungere, non distulit Regi nomine Pontificis ingentia præmia, & interim vrbium quas expugnaret possessionem polliceri. Eásque vrbes nominauit*

nauit, Mutinam, Rhegium, Parmam: simúlque suam operam cum Pontificiis copiis ad illas expugnandas obtulit, dummodo Rex per tempus oppugnatum illas veniret. Venit & ad Mutinam, cum suis castris Beltrandi castra coniunxit, superatísque munitionibus, quas Mutinenses obiecerant, vtraque castra muros iuxta posuit, vrbémque Guelpha parte deditionem suadente, obtinuit: quod diceret, ne dubiam belli aleam subirent, cum certum haberent Regiæ clementiæ atque liberalitatis documentum. Rhegienses simul atque signa Regis Boemiæ conspexerunt, eiectis Gibellinis, Regem intra mœnia receperunt. Istud ipsum Parmenses fecerunt. Lucam postea nullo ferè negotio recepit: Papia sponte ad eius imperium accessit. dum inter hæc in Italia, alij auctorem libertatis, alij depulsorem ciuilium seditionum, omnes non tyrannum, sed verum Patronum prædicarent. Hæc cùm Ludouicus Bauarus intellexisset, vltra modum excandescens, Regem vt perduellem appetebat, questus apud Germaniæ principes, quasi ille sibi in Italia imperium vsurparet. Cúmque velut hostem maiestatis reum pronunciare pararet, Balduinus Treuirorum Archiepiscopus Regis patruus excusauit: nihil in hoc peccasse suum patruelem, quod Brixianis, patris sui Henrici clientibus, aduersus Bergomates & Cremenses opem tulisset: quin potius gratiam vel non minimam meruisse, quod Lombardiæ nonnullas ciuitates,

tates, neque Pontificem, neque Imperatorem dominũ agnoſcentes tyrannis reiectis expulſisque à tyrannide in libertatem vindicaſſet. Ergo Ludouicus cum hac via aduerſus Ioann. Regem obtinere nihil potuiſſet, Fridericum Miſniæ & Otthonem Auſtriæ Duces, qui illi negotium faceſſerent, excitauit: neque ipſe interea ab exagitando quieuit. Miſniæ Dux filiam ei in Boëmiam remiſit, quam ſibi immaturam deſponderat, inque eius lócum Ludouici filiam vxorem duxit. Ottho de Carinthiæ poſſeſſione illi negotium fecit, quaſi Henricus illam non potuerit in Ioannem filium ſine conſenſu Imperatoris transferre. Cauſam hanc in conuentu Principum, cum Boëmus legum teſtimoniis, exemplis & rationibus aliis egiſſet, aduerſus eum Ludouicus pronunciauit: magiſque irritauit, vt is non amplius clam, ſed palam & diceret, & faceret contra Ludouicum. ſpe non modica concepta, poſſe Carolum filium, Electorum ſuffragiis, Imperatoriam dignitatem adipiſci, Philippo Gallorum Rege adiuuante, quocum nouam affinitatem contraxerat, data eius filio Ioanni, Juditha filia à Friderico Miſnio reſtituta, & viciſſim Carolo ſuo filio Marchioni Morauiæ, deſponſa Philippi Regis filia.

7. Pronunciatum I. *Rex Bergomum primo aduolauit.* Nempe ad errandum natus es Bzoui; verum doceri & ſcribere modò non potes, modò non vis. Anno præcedente cum heſterno Iouio ſcripſe-

N. III.

ſcripſeras Regem à Bergomatibus primis receptũ, cum Villanus qui rebus gerendis, ſiue locum, ſiue tempus ſpectes, intereſſe potuit, à Brixianis primis, ſecundis Bergomatibus receptum narret. Nunc ſimillimo errore eundem primo Bergomum aduolaſſe confirmas ex Dubrauio, qui tamẽ planè contra ſcribit, eum Brixiam primò, deinde Bergomum aduolaſſe. *Brixianos*, inquit, *metu ſuſpenſos, ita aduentu ſuo in Bergomates illorum hoſtes animauit, vt bellum illis vltro inferre, vrbémque illorum ductu regio obſidere auderent*. Taceo quod Regis in Italiam ingreſſum & progreſſum iam ante [a] deſcripſeris & hîc tempore locóque alieno fruſtra denuo inculces; quódque Italiæ ciuitates à rege occupatas, ſupra bis [b] enumeratas, nunc tertium enumeres.

Cap. 171.
l. 21. v. 8.
[a] *an. 1330. II. ſ. & III.*
[b] *Ibid. & XVI.*

8. Pronunciatum II. *Regem factionem Gibellinam à Ludouico totis viribus ſtantem proſtrauiſſe*. Violauit ergo iuramentum, quo, vt tu ſupra memoraſti, iurarat ſe nihil non pro Ludouico facturum, neque præter voluntatem aut imperium ipſius aliquid commiſſurum.

an. 1330. II. m.

9. Pronunciatum III. *Regem in Italia alij auctorem libertatis, alij depulſorem ciuilium ſeditionum, omnes non tyrannum ſed verum patronum prædicabant*. Hæc & alia huius loci ex Dubrauio Bzouius vt vera refert, nam ſi falſa putaſſet, commemorare

rare non debuerat. Falsa tamen esse, & Regem tam à Gibellinis vituperatum quàm à Guelfis laudatum, cùm ex II. pronunciato, tum ex aliis id genus, quæ vterque illorum hoc loco memorat, liquet. Quid quod Regis perspecto consilio non solum Gibellini sed etiam Guelfi fœdus iciunt (sic enim Bzouius barbarizat) vt eum Italia excedere cogant.

N. IV. in marg.

10. Pronunciatum IV. *Hæc cum Ludouicus intellexisset, vltra modum excandescens, regem vt perduellem appetebat* &c. Ex Dubrauio regis amico & Imperatoris inimico accusas Imperatorem, sed non aduertis apologiam iam à te præmissam, vbi narras etiam Guelfos, Robertum Regem Siciliæ, & Italiæ principes suspicatos Iohannem Regem annuente pontifice in Italiam penetrasse, eáque vniuersa vel suo vel Romanæ sedis nomine potiri decreuisse: & licet excusasset se Pontifex, metum tamen illis non potuisse excutere, quin fœdus inter se atque etiam cum Gibellinis contra Iohannem regem inirent. Quid ni igitur etiam Ludouicus ob tam violentam suspicionem contra eundem verbis & factis insurgeret? præsertim cum eodem loci scribas, *Sagaciores, id quod aliquanto post euenit, suspicabantur, Ioan. Boemum permittente quidem Bauaro in Italiam descendisse, eáq; tum commoditate, tum occasione in rem suam vsum, Carolum filium,*

N. IV.

post m.

filium, quem Auinionem statim à colloquio legati ad Pontificem; specie quidem vt quæ cum legato conuenerant, Pontificis auctoritate sancirentur, destinauerat, Ioanni *summo Antistiti hoc nomine ostendisse, vt eum indole & virtutibus nixum, nec non affinitate cognationéque sanguinis Philippo Gallorum Regi iunctum, ac præterea Germaniæ Principibus propter Treuirorum Archiepiscopum patruũ non ingratum, & quod summa erat, Pontificiæ maiestatis perquam studiosum, Electoribus designandum proponeret, tanto animosiùs quanto Ioanni summo Pontifici charissimum fore affirmare haud dubitaret*. Ludouicum ergo dum eiusdem suspicionis accusas, inter sagaciores numeras & laudas. Accedit Mutius, cuius verba affers sed non nisi quæ Ludouico aduersantur. Is igitur ita scribit, *Verebatur enim ne Pontifex coronaret Regem Boëmiæ in Imperatorem; multæ concurrebant causæ, quæ faciebant, vt non iniuria timuerit. Pontifex enim in nulla re amplius aduersabatur Boemo, nec Pontifici Boemus; vnius sententiæ & animi esse omnes videbant. Quare Gibelinis incepit Boemus suspectus fieri, quantumuis prædicaret se vicarium Imperatoris, reuocaruntq́; pleraq́; ciuitates suos milites domum, & fœdus inter se inierunt, sufficientes se confidebant ad tuendum statum rerum suarum. Interea non cessabant Boemiæ regem accusare apud Ludouicum, missis frequentibus nunciis in* p.23 l.20.
 Ger-

Germaniam. Rex Ioannes viciſsim ſe excuſabat, nec enim palam hactenus iuuerat pontificios, nec dum enim tempus eſſe videbat etiamſi in animo habere videbatur, quod timebat Imperator. Sed poſt defectionem Gibelinorum, diſceſſerunt quoque ab eo multi Germani qui ſincere colebant Ludouicum: quare eius exercitus pars maior dilapſa eſt, vt omnino videretur reparandus. Per vrbes igitur Italicas, quas in manu ſua habebat paucas, copiis partitis & præſidio relictis, ipſe profectus eſt in Germaniam, excuſaturus ſe apud Imperatorem, & copias numeroſiores collecturus, qua cauſa miſerat Legatum in Boëmiam, qui & Boëmos conſcriberet. Venit igitur in Germaniam ad Ludouicum, & qua erat facundia, appoſitè & aſtutè egit cauſam ſuam, dicebat ſuſpiciones illas omnes hinc exortas, quod multa ſimularit, multa diſsimularit, aliud in vulgus ſparſerit, aliud apud ſe ſtatuerit, nec enim boni & prudentis ducis eſſe ſua conſilia non poſſe tegere, nihil diſsimulare; præſertim cum Italis nihil poſſe agi, niſi quis dolis & aſtutia vtatur. Exempla factorum ſuorum enumerat. In fine orationis adiecit, ſe præſidia nomine Imperatoris Mutinæ & Rhegij, & in aliis vrbibus reliquiſſe; ſi non videatur Imperatori, vt redeat cum copiis in Italiam, quas petebat ſibi in Germania conſcribere permitti; ſe paratum dicit, domum in Boëmiam redire, & in aliis teſtari propenſam animi promptitudinem erga Imperato-

rato-

ratorem. Altius tamen insederant accusationis aduersus Ioannem regem argumenta in animo Imperatoris, quàm vt eximi potuerint. Quare iussit eum quiescere, nec permittere voluit ei milites in Germania contrahere, prohibuítque, ne in Italiam rediret; se enim dixit, iam in hoc esse totum, vt breui paret expeditionem Italicam. Villanus cùm Iohannem regem narrasset occupasse in Italia Parmam, Rhegiũ & Mutinam, addit, *Quod Papa se ægrè ferrè ostendebat, literásque hac de re sigillo munitas Florentiam misit, quæ coram omni populo lectæ, & publicatæ fuerunt, quòd nimirum nec ipsius, nec Ecclesiæ voluntate Iohannes rex in Italiam profectus fuerit, & Lucæ, aliarúmque ciuitatum dominium acceperit: sed totum id erat dissimulatio Papæ, & Legati, vti ex ipsorum processibus poterat colligi.* Amicissimo deinde eiusdem regis & Pontificij legati congressu descripto subiicit, *Ob quam rem domini & tyranni Lombardiæ & Resp. nostra Florentina, quæ dicto Iohanni Regi inimicam se tenebat, propter antiquam Henrici Imperatoris parentis sui inimicitiam, & propter Lucæ & Brixiæ dominium, suspicionem & indignationem contra Cardinalem conceperunt, quia putabant ipsius & Ecclesiæ dissimulato iussu Iohannem Regem in Italiam venisse; & cum suis militibus, & tractatione Iohannis Papæ & Galliæ Regis, eorúmque fauore Lombardiæ & Hetruriæ dominium occu-*

cap. 175. m.

Cap. 1[illegible].

pare voluisse; quare vt obuiam irent, de amicitia, fœdere & coniuratione cum Rege Roberto contra dictum Iohannem Regem, & contra quemcunque ei auxilium & fauorem subministrantem ineunda tractarunt: hoc fœdus Papa cum Florentinis dißimulauit per literas quas ipsis trāsmisit, quibus hac tractatione se contentum esse ostendebat: vnde deinde de-

Cap. 183. ante m. *preßio dicti Regis & Legati orta est.* Denique Rex inquit, *Iohannes reformata Luca, Parma, Mutina, & Rhegio sub suo dominio, Carolum filium cum octingentis ibi reliquit equitibus; ipse verò die 2. Ju-*

Hoc an. p. 284. ante m. *nij Parma abiit.* Pigna docet Robertum & Italiæ Principes existimasse, Iohannem Regem non Cæsaris, sed suo vel Pontificis nomine vrbes Italiæ

N. IV. m. occupasse, nam *suspicabantur*, vt & Bzouius ex eodem refert auctore, *haud difficulter accessurum Cæsarem, vtpote grauiter ab Johanne læsum tot interceptis oppidis, quæ ille Romano Imperio subiecerat.* Et paulò pòst, *Ioannes rex augere non modò conseruare parta* in Italia, *& patrimonium tueri instituit.*

p. 285. v. 7. af. Ad extremum, *Eo rerum successu legatus, qui apposita oratione consilium ad id tempus suum occulere studuerat, re ipsa illud detexit, quemadmodum & cum Florentinis fecerat, quibus scripsit, nec voluntate Pontificis Ioannem in Italiam transisse, nec Lucam aut reliqua citerioris Galliæ oppida apprehendisse; nec minus id pro vano habitum, quàm quo* Rai-

nal-

naldum est aggressus, reuera abhorrere se ab regis amicitia, sed ne eum offenderet hac vti simulatione officij ac beneuolentiæ. verum vt est à nobis demonstratum, facta verbis repugnantia, & iis quæ moliebatur planè congruentia consilium ipsius retexerunt. Gemina his narrat Argentinensis, Blondus 2. decad. 9. pagin. 357. & 359. Nauclerus anno 1330. P. 124. §. vlt. & seqq.

11. Iam quam deprauatè Dubrauium Bzouius citarit videamus. Dubrauius multa scribit, quibus apertè docet Iohannem regem iure accusatum perfidiæ & punitum: quæ Bzouius perfidè omittit. Dubrauius inquam libro 20. extremo recitat legationem Brixianam, qua Iohannes rex contra Ludouicum inuocatus fuerat; tum libro 21. docet Brixianos fuisse Guelphos & Iohannis regis aduentu ita animatos, vt Gibellinis adeoque Cæsarianis bellum vltro inferrent. Ac post multa demum alia recitat quidem excusationes Iohannis regis à Bzouio hîc allatas, sed non ait fuisse veras, & ex iis quæ prius scripserat, constat fuisse falsas. Postea tamen significat Ludouicum Iohanni regi iniurias fecisse; quod Dubrauij figmentum iam ex Dubrauio aliisq; refutauimus, & amplius refutabimus anno 1333. Falsum itē est id quo Iohañes Rex apud Dubrauium (si modò Dubrauius vera refert) *dignitatem suam Cæsari commendat simúlque ei de-*

P. 169. 37
P. 171. 20.
P. 172. 8.
P. 174. 23.
N. IV. §. 2.
P. 172. 36.

monstrat, quem in statum Lombardiam restituerit, non ambitione ductus, vt maiestatem Cæsaris apud Italos cõturbaret, quemadmodum nonnulli peruersè loquuntur, sed vt rationes eius ibidem confirmaret: cuius rei testem esse Vicecomitem Mediolanensem, cui ipse Cæsar præter alios in Italia fidem habere soleat. Et hoc, inquam, falsum est. Nam Vicecomes Mediolanensis tum erat Actius, vt Bossius[a] & Iouius[b] docent; & à Ludouico ad Iohannem Papam defecerat, illúmque Mediolano & Modoëtia excluserat, vt iidem Bossius[c] Iouiúsque[d] & Bzouius an. 1329. narrant. Et Vicecomites, vt Bzouius anno 1331. refert, cum cæteris Italiæ Principibus fœdus contra Bohemum tanquam suum ac Ludouici hostem icerant. Qua ergo fronte idem Bohemus Vicecomitem testem rei à se pro Cæsaris maiestate in Italia gestæ citauit, tanquam eum cui Ludouicus præter alios in Italia fidem habere soleret, cum Vicecomes & Ludouicum, vt hostem tractarit, & contra Bohemum vt Pontificis amicum, Ludouici inimicum se munierit societate fœderatorum? Denique Bzouius hic locum illum Mutij mutilat, *Causam banc*, inquit Mutius, *in conuentu principum Germaniæ Rex Boemiæ multis egit, legũ testimoniis, exemplis & rationibus aliis. Ex aduerso Ludouicus Cæsar contendit, se, vt Imperatorem posse ducatum, qui careat legitimo bærede, ascribere cui velit, & certas*

[a] an. 1328.
[b] P. 114. v. 7.
[c] Ibid.
[d] P. 116. f.

N. IV. m.

N. IV. an- nu m.

N. V. post m.

p. 232. 26

tas

'as ob causas hunc ducatum se adiudicare domui Austria, hoc enim ad tranquillitatem imperij facere, fore 'nim Carinthios Imperio obsequentiores si dominentur eis Austria duces. Cùm igitur alioqui magna nultis ex causis essent simultates inter Imperatorem & Joannem Boemia regem, cœpit rex iam non amlius clam, sed palam dicere & facere contra Ludouium. ne autem res ad maius bellum perueniret, interosuerunt se quidam proceres, quibus pax cordi erat, uique à bellua bello abhorrebant; rursus conuenerunt Principes, & comitatus Tyrolis Ioanni filio reis Boemia cessit, qui quoque Henrici soceri eius fuit. 'aque res vtcunque composita est. Promisit enim 'oemia rex se contentum quietúmque fore comitatu Tyrolis concesso Ioanni filio suo. Hæc Mutius omnia, uorum Bzouius duo omittit. Primum, defenonem Ludouici contra Bohemum. Secundum, :conciliationem Bohemi cum Ludouico, proiittentis se fore contentum Tyroli, quod tamen ostea non seruauit, vt videbimus.

12. Bzouius. *Hoc ipso anno Joan. Pont. secun ım Henr. Wirnbergium, præter Collegij Mogunticonsensum, ei Eccl. à sede Apostolica prælatum, tra Balduinum Treuirensem Archiepiscopum Montina sedi à Canonicis designatum, post triennalem ntrouersiam pronunciauit: duósque legatos Apost. Moguntiam destinauit, qui totius administrationis sum-* Col. 653. N. X.

ſummam à Balduino, in Henr. Archiepiſc. transferrent, & Clerum populúmque Moguntinum, illi obſequentem eſſe iuberent. Chron. Hirſaugien. & Sponheim. hoc anno.

13. Bzouius rurſum dat ſpecimen memoriæ & Chronologiæ, dum partim repetit narrationem
N. LXII. de Henrico Archiepiſcopo Moguntino iam anno præcedente à ſe allatam, partim corrumpit hoc additamento, *poſt triennalem controuerſiam*, cùm fuerit tantùm biennis, & res tota pertineat ad annum præcedentem, non ad hunc, ad quem eam Bzouius per errorem retulit, vt confirmaret *nihil*
Bzouii t. 13. in Cenſura Ioannis de Cartagena. *hactenus in eo argumenti genere prodiiſſe, quod non modo ſtyli grauitate & narrationum fide, ſed etiam Chronologiæ diligenti ſupputatione cum eius operibus comparari poßit.*

ANNVS CHRISTI
1332.
Ludouici Imperatoris XIX.

Col. 694. X. 1. BZouius. *Eodem anno, cum Ludouicus Bauarus, in Germania ciuitates & Principes ſibi per vim ſubiicere conaretur, Bertholdum Epiſcopum Argentinenſem aduerſum ſe euocauit. Js enim ipſe copiis vnde-*

vndequaque contractis, tum Argentinam, tum Episcopi sui bona contra hostem inuadentem, armis tueri decreuerat. Eam viri fortitudinem Ioannes summus Pontifex laudauit, necnon Constantiensi & Metensi Episcopis, ac in primis Ioanni Episcopo Lingonensi, qui Bertoldum adiuuarent, seriò edixit. Epist. Ioan. hoc anno.

2. Liberum es nactus campum, Bzoui, in quo sine censore desultes: quis enim nouit quæ in epistola Ioannis contineantur? Scio quæ in tuis annalibus sunt: sed & hoc scio te mihi non probare, Ludouicum hoc anno ciuitates & principes sibi subiicere conatum: erant iam antè Ludouico dediti plerique. Vnus Argentinensis Episcopus (si tamen Imperatori is rebellis fuit, de quo cum nil ad hunc annum Albertus Argentinensis adnotet, meritò dubitatur) nō est ciuitates & Principes. Tibi omnia sub calamo crescunt, sola veritas nana manet.

ANNVS CHRISTI
1 3 3 3.
Ludouici Imperatoris XX.

BZouius. *In occidente Ludouicus Bauarus toties diris percussus, & cœtu piorum exclusus, non-* Col. 709. III.

nonnihil resipere hoc anno visus est. Duos enim inprimis viros illustres Halsensem & Oetingensem comites, ad Ioannem summum Pontificem destinauit: & Ottonem atque Albertum Duces Austrios pro se apud sedem Apostolicam sequestros interposuit: qui nomine illius abundè omnia Ioanni pollicerentur, si modò Imperatoriam & Regiam dignitates penes illum esse vellet. Henricus quoque Bauariæ dux, Ludouici frater, operam omnem apud Pontificem nauauerat, vt Ludouicus communioni Ecclesiasticæ restitueretur, atque sceptris potiretur. Non potuit non esse Ioanni Pontifici iucunda Ludouici erga se promptitudo. Cæterum quod is non nisi ex desiderio retinendi imperij omnia metiretur, & eius obtinendi causa liberaliter cuncta promitteret, Ioannes propositum quidem illius ad Ecclesiæ obsequentiam redeundi, datis illi literis laudauit, & ad re ipsa præstandum, quod in specie in epistolis & per Nuncios præ se ferebat hortatus est: verumtamen cum præter æqui & honesti rationes, nec non contra Principum Germaniæ iura, Regnum & Imperium postularet, adeóque & inuaderet, & vsurparet, reliqua negauit: & tum Nunciis illius, tum Ducibus Austriæ, atque Bauariæ abundè cur eis satisfacere minimè posset, satisfecit. Hæc dum Auinione apud sedem Apostolicam agerentur, Ludouicus in Germania vulgauerat, se iam à Romano Pontifice, anathemate exsolutum, & in pristinum

resti-

restitutum fuisse. Ab hoc rumore diuulgato cum plerique offenderentur, virum scilicet tam impium, tam facilè non tãtum veniam, sed etiam diadema recepisse: multi etiam perinde qui iussu Pontificio hominem execrabantur, sibi metuerent, iámque ad illum declinare cogitarent; Ioannes Pontifex data ad Episcopum Hildesemens. epistola scrupulum omnem exemit, falsáque illa esse omnia quæ de reconciliatione Ludouici dicerentur, asseuerauit. Insuper Iacobum Episcopum Castellanensem seu Venetum, ingentium illorum ausorum, & mendaciorum auctorem, dignitate Episcopali exuit, & disciplina Ecclesiastica percussit. Rebdorf. in Chron. & ep. Ioan. hoc anno.

Pandit hoc loco rursum Bzouius beneuolum in Cæsarem sinum, atque ex eo fundit aliquot bilis libras.

2. Pronunciatum I. *Othonem atque Albertum pro se apud sedem Apostolicam sequestros* à Ludouico *interpositos, qui nomine illius abundè omnia Ioanni pollicerentur.* Vtinam Bzoui tu sequestrum haberes, qui te cum veritate reconciliaret. Quis de tuis sequestris quicquam scribit? quis refert eos pro Ludouico quidquam Iohanni pollicitos? Ecce Rebdorfius tuus qui tunc viuebat & scribebat, quémque hìc tute pro teste sistis, hæc duntaxat, eáq; non hoc sed præcedente anno 1332.

p.425.§.4 *Ludouicus solennes ambasiatores, videlicet duos Comites de Hals & Ottingen mittit ad Papam Johannem, petens gratiam Ecclesiæ, & pro eo supplicant Otto & Albertus, sed modicum profecerunt.* Hæc Rebdorfius, in quo tuos sequestros quæro; quæro item quæ Pōtifici de Ludouico polliciti sint: quanquam hæc omnia Iohannis epistolis comprehensa fuisse facilè tibi credam, si modò videro.

3. Pronunciatum II. *Henricus quoque Ludouici frater operam omnem apud Pontificem nauauerat.* Nouum tu fratrem Ludouici ostendis, quem eius maiores pro filio non habuere. Auentinus, * Cuspinianus & Arenbekius * nullum Henricum Ludouici fratrem commemorant. Trithemius verò significat Henricum hunc fuisse filium Ottonis, Vngarorum sceptro & corona insignis.

* MS. pag. 203. ante m an. 1333. §. vlt.

4. Pronunciatum III. *Ludouicus omnia non nisi ex desiderio retinendi Imperij metiebatur.* Calumnia hæc est, Bzoui, tua: Cæsar non solùm eam legationem ad Pontificem misit, vt imperium seruaret; sed etiam vti absolueretur, & in gratiā cum Iohanne rediret, desiderabat: ita certè sentiendum est ab homine Christiano cui contrarium in aperto non est, alioquin in legem charitatis peccat, vti tu peccasti, Bzoui.

5. Pronunciatum IV. *Pontifex hortatus est Ludouicum ad id præstandum, quod in speciē in epistolis*

&

per Nuncios pra se ferebat. Altera ista calumnia
t Bzoui, ita enim traducis Cęsarem quasi sub assu-
& ficta imagine tantùm præ sese tulisset ea præ-
ire, quæ Pontifici promisisset, non autem re ipsa
fectui dare. Iterum ad tuum tribunal rapis in-
ntem, & barbaram sententiam fers in eum quē
on audisti.

6. Pronunciatum V. *Non potuit non esse Ioanni
cunda Ludouici erga se promptitudo.* Hoc pro-
nciatum duo proxima antecedit, reseruaui ta-
en in hunc locum, quod illis intellectis, per se
eret. nam si Iohannes Pōtifex aduertit, Cæsarem
nnia metiri non nisi ex desiderio Imperij reti-
ndi, item si tantum præ se ferebat ea se præstitu-
m, quæ spoponderat; quomodo ei iucunda po-
it esse Ludouici promptitudo? an tibi mea offi-
orum pollicitatio foret iucunda, si notares artes
eas, & parum tectam simulationem? Itaque si
iannes voluptatem ex ea Ludouici promptitu-
ie cepit, vtique non fuit illi suspectum Ludoui-
tudium, & emendandi sese animus: soli Bzouio
sar inuisus in oculis est, & si non inueniat, quod
o vellicet, fingit.

7. Pronunciatum VI. *Ludouicum prater æqui
honesti rationes, nec non contra Principum Ger-
nia iura* Regnum *& Imperium postulasse, inua-
& vsurpasse.* Progressum facis, Bzoui, in ca-

 lumniis

lumniis consuendis. Quæ fuêre illa Cæsaris postulata præter æqui & honesti rationes? propone in
an. 1331. medium & demonstra: supra retulimus ea, quæ Ludouicus Legatis in mandatis dedit; retulimus quæ scripsit; nihil iniqui, nihil sedi Apostolicæ indecorum aut noxium reperies. Deinde quid postulauit, oro te, contra Principum Germaniæ iura? an is tibi violare Principum Germaniæ iura videtur, qui post legitimam electionem Cæsarem sese gerit? inuasisse Ludouicum & vsurpasse imperium tuæ impudentiæ est dicere, cùm & Ludouicus quinque principum Electorum suffragia tulerit,
an. 1314. c. 2. n. 2. vt demonstrauimus; & tu ipse iam inde ab initio confessus sis Ludouicum quatuor votis electum, tametsi Brandeburgicum legatum fraudis falsò insimules. Sed fefellerit Legatus, Ludouicus votum obtinuit. viderit Marchio cui suas partes delegarit. Acceptatum tum votum est ab aliis Electoribus; cur Ludouico non cederet, quod publica auctori-
Ibid. c. 6. n. 2. tate Ludouico dabatur? Sed de hoc satis alibi.

8. Pronunciatum VII. *Pontificem nunciis Ludouici, Ducibus Austriæ atque Bauariæ abundè, cur eis satisfacere minimè posset, satisfecisse.* Poëmata ista tua sunt Bzoui, quæ saniores non credunt. Vnde enim probas abundè satisfactum le-
an. 1330. 3. gatis? monstra, monstra. nam satisfactum non fuisse nos iam ante docuimus.

9. Pro-

9. Pronunciatum VIII. *Ludouicum in Germania vulgasse, se iam à Romano Pontifice anathemate exsolutum, & in pristinum restitutum.* Crederet tibi fortasse non nemo, si ea de re verba ex epistola Iohannis afferres; quanquam & ad Iohannem falsus rumor perferri potuit.

10. Pronunciatum IX. *Ab hoc rumore vulgato plerosque offensos, virum tam impium, tam facilè non tantùm veniam, sed etiam diadema recepisse.* Quàm tu pius sis, Bzoui, qui impium Ludouicum vocas, non facilè dixerim, quia pij non est tot contumeliis alios onerare: quæso, qui sunt illi plerique, qui clementia aut facilitate Pontificis diuulgata offensi sunt? ostende illos plerosque. esto Hildesheimensis Episcopus Auinione per literas percunctatus sit, an ideo aut ipse, aut alij offensi scribuntur.

11. Pronunciatum X. *Multos, qui iussu Pontificis, hominem execrabantur, metuisse sibi, iámque ogitasse ad illum declinare.* Inanes coniecturæ æ Bzouianæ videntur, & tamdiu dicemus ori ›sius inhonestum quid adhærere, donec ex aucto: bus diluat. Rebdorfius talia non memorat; Ioan. s epistolæ fidem facient, cum alius à Bzouio eas oduxerit.

12. Bzouius. *Non poterat Iohannes ex dignita- Apostolicæ sedis quicquã Ludouico concedere, quòd* Col. 709. IV.

is per

is per id temporis cùm apud eum reconciliari flagitaret, tum in Germania plurimos per vim sibi adiungere conaretur, tum in Italia confœderatorum societatem foueret, adeóque omnia misceret, & tam contra Legatos Pontificios, quàm aduersus Romanæ Ecclesiæ clientes, adeóque contra ipsam Ecclesiam Gibellinos moueret. Actius enim Vicecomes Mediolani Præfectus, Papiam Joanni Regi eripuerat, nec non Carolo eius filio venenum parauerat. Florentini quoque hactenus partiarij Ecclesiæ, contra Ioannem Regem societatem cum reliquis iniuerant, authorésque potius quàm adiutores tam Bononiensibus, quàm Atestinis fuerant, vt hi quidem dominio Romanæ Ecclesiæ excusso bellum Bertrando Legato intulerint, eúmque tandem infelici Marte pugnantem profligarint: illi verò turpiter eundem ciuitate expulerint, multísque ex eius familia occisis Auinionem abire coëgerint. Itaque Pontifex Ioannes à Joanne Boemo, qui superiore Nouembre Auinionem concesserat, omniũ quæ gerebantur certior factus, cum non ex fide Ludouicum agere perspexisset, eo & Galliarum, Balearico, & Angliæ Regibus, *qui pariter conuenerant, suadentibus, postulata Bauari de regno & imperio reiecit, Florentinos vt à fœdere recederent proposito anathemate hortatus est, Actium Vicecomitem, & Atestinos gladio spirituali iugulauit, societatéque cum Regibus inita, quem Regno & Imperio* Romanorum *præfice-*

*:eret cogitauit. Villani lib. 10. c. 213. 215. 218. Do-
at. Bossius in hist. Mediol. Pigna de reb. Atestin. l.
. Rubeus hist. Rauenn. lib. 6. Blond. dec. 2. lib. 10.
orius hist. Mediol. part. 3.*

Antimonio opus erit, vt insaniam tibi excu-
amus Bzoui; magis ac magis identidem excre-
it.

13. Pronunciatum I. *Ludouicum cum apud Jo-
nnem reconciliari flagitaret, tum in Germania plu-
mos per vim sibi adiungere conatum, tum in Italia
:deratorum societatem fouisse, omniáque miscuisse.*
uos in Germania Cæsar per vim in suas partes
)ëgerit, tu nec vnum nominas, licet plerosque
isse dicas: sed qui verum non loquitur, nec ve-
ım monstrare potest. In Italia Ludouicum socie-
tem fœderatorum hoc anno fouisse, pariter pro-
ındum erat, vti & turbæ illæ à Ludouico conci-
tæ per hoc tempus; Bzouio nihil credimus; au-
ores ab eo ascripti altum silent.

14. Pronunciatum II. *Ludouicum tam con-
a legatos Pontificios, quàm aduersus Romanæ Ec-
:siæ clientes, atque adeo contra ipsam Ecclesiam Gi-
llinos mouisse.* Videamus quomodo hoc probet
:ouius, *Actius enim,* inquit Bzouius, *Vicecomes
Iediolani præfectus, Papiam Ioanni* Regi *eripuerat,
c non Carolo eius filio venenum parauerat.* ergo,
:oui; quid hinc colligis? Cæsárne harum rerum
I con-

consciusaut auctor? Actius iam pridem erat ab Ludouico alienus, eum Roma redeuntem Mediolano excluserat, neq; interea communicato cum Ludouico consilio, quidquam quod historici prodiderint, gessit. Alterum argumentum excitatorum à Ludouico Gibellinorum. *Florentini quoque*, inquit, *hactenus partiarij Ecclesiæ, contra Ioannem Regem societatem cum reliquis iniuerant, auctoresque potius, quàm adiutores tam Bononiensibus, quàm Atestinis fuerant, vt hi quidem dominio Romanæ Ecclesiæ excusso bellum Bertrando legato intulerint* &c. Insulsissime scriptor Bzoui, quis tuas ineptias non palpet? an Ludouicus Florentinis concitator belli? an desertionis auctor? gladio tuo te iugulabo. reuoca in memoriam añum trigesimũ
N. IV. primum à te descriptum, ita ibi scribebas, *In Italia cum Ioanni Boëmiæ Regi omnia feliciter succederent, inque eius potestatem ciuitates vltro concederent, neque Cardinalis Bertrandus Pontificius legatus quicquam ei pro Pontificiis obsisteret: quinimo ad diẽ* XVI. *Apr. in colloquium cum eo apud Castrum Francum veniens, ad multas beneuolentiæ significationes, etiam amplexu & osculo Boëmum à se abeuntem dignatus fuisset; Longobardiæ Principes nec non Robertus Siciliæ* Rex *vnà cum Florentinis in suspicionem venerunt, quasi non conniuente sed annuente Pontifice Ioanne in Italiam penetrasset, eáque vniuersa vel*

suc,

io, vel Romanæ ſedis nomine potiri decerneret. Ex-
ıſauerit autem licet Pontifex Florentinis miſſa epi-
ola, ſe inſcio nihilque cogitante Ioannem in Italiam
:ſcendiſſe; metum tamen quem propter ſimulatio-
:m ex occultis legati & Boemi coloquiis, & ex tot
ıutua beneuolentiæ indiciis conceperant, excutere
on potuit, quin illi rebus priuatis conſulerent, fœde-
ique percuſſo ſeſe deuincirent. Itaque VI. *Id. Aug.*
obertus Siciliæ Rex, Florentini, Vicecomites, Scali-
:ri, Gonzaga, Ateſtini, ſocietatem iniuerunt. Hic
tius propè Italiæ conſenſus, quod ſingulorũ nimium
:tererat, vſque adeo firmus extitit, vt excluſi eo fœ-
:re, nullo Guelforum aut Gibellinorum diſcrimine,
)ſtium numero haberentur. quippe neceſsitas quoad
iguit, ſua vi, ex ipſorum animis, ardens iſtud ſtudi-
n factionum omnino expulerat. Id primum ſocij
ıtuerant, vt Robertus in Boëmos incitaret Caro-
m Pannonium nepotem ſuum, ac Ladiſlaum Po-
num Pannonij ſocerũ: quibus ſuſpicabantur haud
fficulter acceſſurum Ludouicum Bauarum, vt pote
auiter ab Ioanne læſum tot interceptis oppidis, quæ
e Romano *Imperio ſubiecerat: ſic rati, dum*
hannes per hunc modum cogeretur aliena di-
ittere, ne ſua amitteret, præſentibus ſeſe in-
mmodis, atque imminentium & quidem multo
auiorum metu liberatum iri. Viden Bzoui vr-
um Italicarum rectores, te teſte, conſpiraſſe in

 Pon-

Pontificias machinationes, quod cernerent Bohemum parum occultis artibus cum Pontifice colludere? Viden causam cur Actius Papiam Iohanni Regi eripuerit? viden Florentinos ab Ecclesiæ partibus discessisse ex suspicione, Pontificem per Regem Iohannem noua moliri? viden Ludouicum adeo has turbas non excitasse, aut eorum participem fuisse, vt fœderati sperarint haud difficulter eum quoque ad suas partes accessurum?

Qua fronte igitur Ludouico culpam adscribis? cur Principum & vrbium Italicarum contra Guelfos gesta Ludouico tribuis, quæ Bohemo tribuere vero auctori debebas? Et falsum præterea est quod ais, Atestinos Bertrando legato bellum intulisse; stant contra impudentem calamum tuum illi historici, quos tu hoc loco citas, qui disertè aiũt, non Atestinos bellum Bertrando, sed Bertrandum Atestinis mouisse, Ferrariámque illorum vrbem corona cinxisse. aut sile, aut quod decet loquere.

15. Pronunciatum III. *Pontificem Ioannem à Bohemo Auinione omnium certiorem factum, Ludouicum non ex fide agere perspexisse.* Nec à Boëmo Ludouicum hoc in genere accusatum, neque hinc Pontificem perspexisse eundem nõ ex fide agere, facilè quilibet deprehendet; quia Ludouicus neque pars Italici huius fœderis, neque auctor vnquam fuit; aut refellat me Bzouius. Pontificem autem

tem postulata Ludouici de regno & imperio reiecisse ex consilio regis Galliæ, non difficulter credo id ab æmulo profectū. Sed video te vndiq; omnia corradere, quibus facta Ludouici graues, Pontificémque de nimia seueritate purges. Et nos nares habemus Bzoui; sentimus fumum. Illud in margine propemodum me fugerat, *Ludouicus Bauarus infidus.* Heus Bzoui, cur tuum nomen Ludouico imponis?

16. Bzouius. *Auctorem habeo Ioannem Dubrauium, Ioan. Regem Boëmiæ post multas iniurias à Ludouico Bauaro receptas, eius tamen gratia Auinionem in Gallias perrexisse, vt inter se & Romanum Pontificem pacificatorem ageret. Sed adeo, ait, indurerat Pontifex aduersus Ludouicum, quem veteratorem appellabat, vt nulla prorsus ratione à rigore sententiæ latæ flecti potuerit. Ergo vtrumque Bauarus odio & bello vndecunque commoto persequebatur, quasi Pontifex cum Rege in perniciem suam ex composito collusisset. Porro in eo prælio, quod Carolus cum Atestinis & Florentinis gessit, victoria potitum fuisse memorat, capto Æstense Marchione, & Etruscis phalangibus, ipso die festo Diuæ Catharinæ profligatis. Dubrau. hist. Boem. lib. 21.* Col. 710. IV. §. 2.

17. Quæro ex te, Bzoui, an Dubrauius vera narret? affirmabis opinor; nam ideo narras, vt credamus. At si hæc ita se habent, quomodo paulò ante

ſcripſiſti Iohannem Bohemiæ Regem Auinionem conceſſiſſe, vt de omnibus Pontificem certiorem redderet? Quæ verò, oro te, ea fuere quæ Bohemus Pontifici expoſuit? certè talia fuere, è quibus Pontifex non ex fide Ludouicum, vti tu loqueris, agere perſpexit. Quid tibi videtur Bzoui, an quando ego ea de te apud hoſtem refero, quæ te infidum, parúmque conſtantem oſtendunt, cenſeor ad hoſtem tuum abiiſſe, vt inter te & ipſum pacificatorem agam? an quando ea refero, quæ ad interitum & perniciem herilis regni pertinent, ex fide atque vt pacificator & non potius vt accuſa- *an. 1531.* tor agere iudicor? Audi ſententiam tuam à Pigna, *pag. 287. & 288.* à quo tua Dubrauiíque hæc figmenta exſufflentur. *Etenim Pontificis ac Boemi nota omnibus conſpiratio, ingens legati apparatus, maximè autem quod breui futurus in citeriore Gallia rex diceretur, habebat eos ſuſpenſos animi, vt ægrè copias ab ſe dimitterent, ne dum aliis conſultum volunt, ſe ipſos lædant. aliquot iam dies magno ciuium detrimento obſidio proceſſerat, cùm* Rainaldus *vehementer commotus prope deſperauit tantum pondus ſe diutius ſuſtinere poſſe, præſertim quod Ioannes ad diem* III. *Non. Apr. Bononiam profectus adiecerat ad exercitum cataphractorum alam ex Gallia Narbonenſi præfecto Comite Armeniaco, itémque equites ſexcentos leuis armaturæ. nimirum rex inquieto ingenio, & qui*

*ui secundum cupiditatum, quas immoderatas ani-
no conceperat, cursum paterno regno anteferret, re-
cta cum exiguo exercitu Boëmia, cui deinde ob eam
m magnis incommodis affecta solito inclementior
yems tantùm saluti fuit, Auenionem se contulit,
ique totos quindecim dies secretis cum Pontifice
olloquiis consumpsit de Italia rebus: quam imperio
o subiicere prorsus statuerat, cùm alioqui præ se
rret, eam se communicaturum cum Pontifice. post-
odum celeriter discedens ex congressu Franci regis,
ui & ipsi prolixè est pollicitus) sicuti legato* Pontifi-
o *receperat, magnis itineribus Bononiam venit, vt
erraria expugnationẽ præsens vrgeret adiuuarétq;.*

18. Bzouius. *Herbipoli defuncto Wolframo E-* Col. 712. IX.
*scopo, collegium suffecerat Hermanum Lechtenber-
um Ludouici Bauari Cancellariũ. Aduersus hunc
annes Pontifex Ottonem Wolfskeliũ præfecit, quod
ermanus Vdalrici Augustani sui antecessoris vesti-
a sequi videretur, & Bauarũ contra Ecclesiã irrita-
t. Aiunt Vdalricũ Cancellariũ fuisse hominẽ teme-* Qualis Vdalricus Aug. Ep.
*rium & superbũ, Cleri & Ecclesiasticæ dignitatis ac
ertatis aduersarium, qui in literis Ioanni Põtifici à
auaro scriptis, Pontificẽ bestiã de mari ascendentem
pellare nõ erubuerat, multáq; præter scientiã Ludo-
ci scripserat, adeóq; totius fere tragœdiæ inter Ioan-
m & Ludouicum auctor fuerat. Hanc verò mali-
m, quam in falsis pro veris adscribẽdis ostenderat,*

tan-

tandem in mortis articulo idem Vdalricus confessus est. Chron. Sponheimens. Trithem.

19. Lepidam comœdiam exhibes, mi Bzoui, permitte ergo vt videamus. Primò Hermannum sine auctore facis successorem Vdalrici Augustani Cancellarij Ludouici Secundò, In margine & indice dicis eum Vdalricum fuisse Episcopum Au-
N. VII ante m. gustanum, quem tamen anno 1335. rursum facis
N. XVI. Cancellarium seu Protonotarium, & eodem anno obiisse tradis, cúmque Vdalrico Groildonis non Cancellario seu Protonotario sed notario (de quo
N. IV. §. 22. agis anno 1336. in Epistola Ludouici) confundis,
N. II. pro-pepr. iterúmque à mortuis excitas anno 1336. & nos eũ multos insuper annos vixisse & legationem anno 1343 à Ludouico iniunctam obiisse monstrabimus ídque protonotarium nõ Episcopum: Auen-
a P. 787. 1. tinus [a] denique eum anno 1346. ex Rebdorfio [b]
b P. 435. § vlt. mortuum tradit, ac docet Vlricum seu Vdalricum à Schönek fuisse Episcopum Augustanum, non Vdalricum de Augusta Cancellarium: qua distinctione non animaduersa Bzouius ambos Vdalricos in vnum conflat, atque hinc inde pugnantia, quæ diximus, de iis refert. Tertiò, si, quæ de Vdalrici malitia refers, falsa sunt, refellere vel non referre debebas: si autem vera sunt, adeóque Vdalricus per sua præter Ludouici scientiam scripta ad Iohannem (de talibus enim loquitur Trithemius &

ex

ex eo Bzouius, vt ex antecedentibus & consequentibus liquet) totius ferè tragœdiæ auctor fuit, non ergo Ludouicus illegitimè electus, nec illegitimè coronatus, nec illegitimè vsus potestate regia & imperatoria; alioqui hæc non illa causa fuisset. Sed illud falsum esse, ipse Bzouius supra satis indicauit, cum illam causam nunquam attulit, verùm longè alias. Hic ergo iterum secum peritissimus historiæ pugnat, dum passim apud auctores reperta temerè congerit & confundit.

ANNVS CHRISTI
1334.
Ludouici Imperatoris XXI.

1. Bzouius. *Benedicti* XII. *nomine Pontifex salutatus, primis comitiis ad 12. Kal. Jan. ad reparandas Romanas, Petri Vaticanam, Saluatoris Lateranensem, & alias Basilicas, animum adiecit, & quinquaginta millia nummum aureorum instaurandis illis misit. Pacem quoque totius Ecclesiæ atque Orbis Christiani sibi in animo esse cum dixisset, Nuncios ad Bauarum Ecclesiæ hostem aliquos destinauit, qui obstinatum sententiæ ad pœnitentiam emollirent. Die Natiuitatis Dominicæ & reliquis sequentibus,* Col. 717. V.

 pro-

profusione indulgentiarum omnes Christi fideles adorationes pro felici administratione inuitauit; inque sumptus Cardinalium centena millia florenorum dedit. Ea liberalitate, turpem auaritiæ labem ex aula nonnihil summouit, Patrúmque animos sibi maiorem in modum deuinxit: præsertim cum principes Senatus Pelagrua *& Columnius, non sibi multùm ab illo metuerent, qui erat monachus, nobilitatis, diuitiarum, vsus denique rerum & animi inops, cætera vir probus & doctus. Itaque periculum non erat, ne aut magnitudine animi ardua affectaret, aut praua voluntate aliis molestus esset. Ptolomæus in Bened.* XI. P*igna histor. Ferrar. l. 4. Massonius in Bened. Platina in eodem.*

2. Rebus humanis hoc anno exemptus est Iohannes Papa, qui toto Pontificatus sui tempore Cæsarem Ludouicum egregiè exercuit, & vicissim ipse exercitus fuit, iniquitate fati. Vt primum igitur Benedictus in locum Iohannis successit, lectior visus est sol allucere Pontificem inter & Ludouicum. Sed nos ad Bzouium.

3. Pronunciatum I. *Benedictus ad Bauarum Ecclesiæ hostem aliquos destinauit, qui obstinatum sententiæ ad pœnitentiam emollirent.* Destinasse quidem nuncios ad Cæsarem Benedictum Ptolemæus tradiderit sanè (ceteri enim à te ascripti non tradidere) sed ideo missos esse vt obstinatum sen-

tentiæ

tentiæ ad pœnitentiam emollirent, tuum additamentum est. Nam quid opus erat emollitione apud eum, qui iam aliquot annis nihil propè aliud laborauerat, quàm vt in gratiam Pontificiam redire posset, vti nos anno 1331. ostendimus, & ipse Bzouius ea de causa legationes refert anno 1330.[a] & 1333[b]. [a] N. I. [b] N. III.

4. Neque Ludouicus Ecclesiæ hostis fuit, vti Bzouius blaterat, sed Iohannis duntaxat, ob causas, quæ ad religionem non attinebant, sed ad imperiũ, quod virtute & legitima via sibi Ludouicus comparauerat. At verò vt rectiùs noris quàm temerè hoc tempore Ludouicum Ecclesiæ hostem appelles, audi Huldrichũ Mutium, *Imperator*, inquit, *respondet legatis, se gaudere talis animi Pontificem Ecclesiæ à Deo datum, se omnia posthabiturum Ecclesiæ, & diuinæ religioni; adhortatur, vt in honestissimo & sanctissimo proposito perseueret, & precari se Deum, addit, vt quàm longissimam vitam Dominus Deus concedat illi.* Hæc apud Mutium Ludouicus, magnus scilicet aut Ecclesiæ, aut Pontificis hostis. lib. 24 pag. 233. 1.

5. Bzouius. *Paulò ante obitum Joannis Pontificis, Bertrandus Cardinalis legatus Bononia pulsus, Florẽtiam cum venisset, magno cum honore ab omnibus susceptus fuit; extra portas prodeunte obuiam illi* Col. 717. VI.

Clero solemni in processione festiuam pompam cum crucibus, & vexillis præ se ferente. Senatus quoque & populus Florentinus ingenti lætitia venientem excepit, neque secus illum habuit, quàm si summus ipse Pontifex accessisset. Sub finem Martij Florentiam concessit, occasionémque per absentiam suam confœderatis Italiæ Principibus dedit, vt ineunte Aprili, quemadmodum clam conuenerat, oppida vnicuique destinata inter se partirentur. Itaque tunc temporis Mutina Atestinis, Parma Scaligeris, Bergomum & Verona Vicecomiti, Regium Lepidi Ludouico Gonzagæ, Luca Florentinis, Cremona item Vicecomiti ex pacto cessit; cum etiam Bononienses pulso legato ad libertatem aspirassent. Hæc omnia nutu & impulsu Ludouici Bauari agebantur: qui hac quidem spem pœnitentiæ Ioanni Pontifici ostentabat, alia verò parte, Pontificiis, tutelæ Ioannis Boëmi commissis incommodabat, pacémque Italiæ turbabat. Villani l. 10. c. 215. 227. Pigna l. 4.

6. Impudentissimus scriptorum es Bzoui. Audes tu effutire, Cæsarem Ludouicum horum omnium auctorem fuisse? audes dicere, eum apud Pontificem aliud ostentasse, ac aliud alibi egisse, imò turbasse Italiæ pacem? Tui auctores Villanus & Pigna dum ista commemorant, Cæsaris ne meminere quidem. Nempe non est malum in Israel, quod non fecerit Cęsar hic, aut Bzouius cõfinxerit.

ANNVS

ANNVS CHRISTI
1 3 3 5.
Ludouici Imperatoris XXII.

1. BZouius. *Ne verò vacante imperio Italia ab aliquo externo hoste inuaderetur, Luchinum Vicecomitem, & Ioannem eius fratrem Archiepiscopum Mediolanensem, Mediolani, aliarúmque vrbium quas possidebant, Vicarios* Benedictus *instituit. Eandem quoque dignitatem Mastino Scaligero Veronæ & Vicentiæ, Philippino Gonzaga Mantuæ & Regij, Albertino Carrario Patauij, Obicioni Atestino Mutinæ, suo vt aiebat iure attribuit: quod vacante Imperio omnis eius administratio seu potestas, in summum Pontificem, Iesu Christi supremi Regis vnicum in terris Vicarium recidisset. Obicioni Atestino, titulo fiduciarij iuris Ferraria concessa, hoc vectigal imposuerat, vt in annos singulos decem millia nummûm auri Romanæ Ecclesiæ persolueret. Ciac. in Benedict.* XII. *ex Flauio Blondo dec. 2. lib. 10.* Col. 733. V. post m.

2. Velim doceat me Bzouius, quid sibi velit illud, *Vt aiebat*, vel quod apud Ciaconium [a] significantius est, *vt ipse dicebat?* An Ciaconius (nam Blondus [b] hæc verba non habet) de eo iure dubitabat? Et nos quidem neque vacasse ab anno 1314. impe-

a P. 705. § penult. m.
b P. 362. G. 3.

imperium, & eius administrationem omnem pe-
an. 1314. nes Ludouicum fuisse, alibi perdocuimus. Quod
c.2.n.2. & autem Ludouicus debitæ coronationis repulsam
1316.n.
24. passus atque insuper sine iusta causa excommunicatus, & regno Romano vtcumque priuatus vicissim Pontificem abdicauit, aliúmque ei substituit; id eiusmodi non erat, vt propterea potuerit ac debuerit imperio priuari: vt taceam quod etiam iure priuatus, in integrum tamen debuisset restitui,
N.3. vt anno 1330. ostendimus. Itaque Albericus Rosatus Iureconsultus excellens, qui sub ipso Ludouici imperio Mediolani degit, non vno in loco vt præclarum Principem celebrat, in Romanam Ecclesiam fortè plus quàm par erat iniquum, sed tamen prius lacessitum perhibens, vt Wolfgangus
p.467.f. Hungerus Cancellarius Frisingensis Episcopi in Cuspiniani Cæsares scribit.

Col. 734. 3. Bzouius. *Benignitate Benedicti Pontificis*
VII.v.5. *inuitatus* Ludouicus *Nuncios quoque ad eundem hoc ipso anno destinauit, Comites Oettingenses Ludouicum Seniorem & Ludouicum Iuniorem*, *Fratrem Henricum Siphingenium Ordinis S. Mariæ Fratrum Theutonicorum Commendatorem Domorum in Vlma & Vardes: Eberhardum Tummouium Archidiaconum, Marquardum Randeckium Canonicum, & Vdalricum Augustanum Prothonotarium: quibus omnibus & singulis in solidum potestatē fecit,*

fecit, renunciandi in primis titulum Regis *& Imperatoris Romanorum, quem hactenus præscribebat: tum deinde apud sedem Apostolicam, restitutionem eiusdem postulandi, ac omnia ex æquo & bono apud Benedictum transigendi. Albertus Argentinens. in Chron. Mutius de reb. Germ.*

4. Sedulus est Bzouius, ne quid imprudens narret, quod ad Cæsaris nostri causam faciat, ideo hîc quoque ex Argentinensi præterit, Pontificis & Cardinalium decretum de Ludouico sibi reconciliando. Verum quia & mihi copia libri est, citúmque calamum nactus sum, vicem Bzouij subibo & exscribam quædam: interea Bzouius altiora meditetur, quæ in annales suos postmodum infarciat. Igitur eiuscemodi sunt, quæ Argentinensis tradit. *Huic Benedicto in principio creationis suæ Philippus rex Franciæ, mittens legatos, audacter, quasi nihil sibi denegare auderet, petiit inaudita: inter alia scilicet, vt filium suum primogenitum, generum regis Bohemiæ, faceret regem Viennæ: quòd se faceret Vicarium Italiæ: quòd sibi per totam Christianitatem daret decimam decimarum per decennium: & sibi daret totum Ecclesiæ thesaurum in subsidium terræ sanctæ. De quo ipse & Cardinales territi, se reformare cum Ludouico Romanorum Principe decreuerunt. Quod Ludouicus princeps ex scriptis quorundam familiarium* Pag. 125. §. vlt.

suo-

ſuorum, quos in curia Papa ſemper habuit, qui & hoc ex Cardinalibus certiſsimè intellexerant, intelligens: ſtatim Papa & collegio nuncios & literas humillimas deſtinauit, qui nuncij à Papa & fratribus edocti, qualiter & ſub qua forma redire deberent, & ſub quibus articulis abſolutionem & gratiam petere: iterum à Principe, cum illis articulis & mandatis ſufficien-
P. 13; 17. *tiſsimis ſunt reuerſi.* Similia ſcribit Mutius.

5. Viden, Bzoui, ſuſceptum Pontifici & Cardinalibus conſilium ineundæ cum Ludouico pacis; quod vt ad Cæſarem perlatum eſt, miſit is illico oratores, qui cum Pontifice quidquid litium fuit, componerent. Sed cum tu profitearis te Argentinenſen Mutiúmque ſequi, quærere habeo, cur tu alios inſuper quam Argentinenſis (Mutius enim nullum nominat) legatos deſignes, nam apud Argentinenſem non eſt inuenire Henricum Siphingenium, neque Eberhardum Tummouiũ.
N. 11. Dices in Ludouici epiſtola à te anno 1336. recitata inueniri; ita eſt, ſed tu locum non ſignaſti, nec eoſdem vtrobíque legatos fuiſſe probaſti.

6. Pronunciatum I. *Quibus omnibus & ſingulis in ſolidum poteſtatem fecit renunciandi in primis titulum Regis & Imperatoris Romanorum, quẽ hactenus præſcribebat; tum deinde apud ſedem Apoſtolicam reſtitutionem eiusdem poſtulandi, ac omnia ex æquo & bono apud Pontificem Benedictum tranſigendi.*

gendi. Hæc summa legationis fuit, si Bzouio credimus; mallem credere Argentinensi aut Mutio; si eam apud illos fas esset reperire. Mutius de legatorum oratione nihil, Argentinensis hæc tantùm habet, *Et proposito in publico consistorio per prædictum de Randeck ex parte principis humillimè, super petitione absolutionis & restitutionis, facundo sermone, de quo omnes qui aderant mirabantur: Papa gratiosissimè respondens dixit: se & fratres suos de hoc, quòd nobilis ramus Ecclesiæ Alemanniæ, qui se in persona domini Ludouici, lædi per Ecclesiam æstimans, iam ab arbore ecclesiæ separari cœperat, eidẽ arbori cum tam magno honore sedis redintegraretur, plurimùm gratulari: multùm commendans Alemanniam, & dominum Ludouicum quem nobiliorem mundi dicebat; conquerens regi Italiam per tyrannos ac regnum Armeniæ capi à Paganis, cuius* Principes *tempore Ioannis Papæ, & suo, Christianorum implorabant auxilium, & terram sanctam propter Imperatoris carentiam occupari: vnde meritò dixit absolutionem eidem impertiri se debere, quæ & dari crastino sperabatur.* Vbi Bzoui tua legationis summa est? ostende vel in Argentinensi, vel in Mutio. Soles, cùm decora quæ sunt Ludouico omittis, lacunas sordibus tuis implere.

7. Bzouius. *Quarto Kalendas Maias eos Auinione in amplissimo Patrum consessu, coram Benedi-* Col. 734 VII.

n *cto*

cto Pontifice, causam Ludouici Bauari egisse, Ptolemaus Lucensis qui viuebat & scribebat, memorabat: cùm etiam per id temporis ipsis in curia existentibus Oratores Mediolanensium & aliarum ciuitatum eis confœderatarum Pontifici obedientiam spopondissent, reddidissentque & absolutionem obtinuissent à sententiis, quibus per Ioannem XXII. *fuerant irretiti: promittentes neminem se pro Imperatore recepturos, præterquam illum, quem summus Pontifex designasset, atq; renunciasset. Ad* III. *Nonas Iulij, Oratores Ludouici discesserunt, reuersuri cum ampliore potestate, ad promittendum concedendúmq; nonnulla ex præscripto æquitatis. Namq; Pontifex nonnulla ex re Ecclesiastica à Ludouico postulabat, quibus adimpletis ipsorum concordia sperabatur. Antequam verò tam hi, quam Romæ & Ciuitatum cõfœderatarum Nuncij Auinione discessissent, obsecrabant Benedictum, vt is in vrbem reuerteretur. Cæterum is, pollicitus quidem est omnibus, verumtamen diem certam non designauit, quo Cathedram Pontificiam, Romam reuocaret, aut eo se conferret. Ptolemæus* Lucens. *in Bened.* XII.

8. Ex Ptolemæo Lucensi doces priorem legationem auditam Auinione 4. Calend. Maias, indéque discessisse ad 3. Nonas Iulij. Quod si verum est, vtique secunda legatio, per quam Ludouicus tantopere expetitam concordiam se consecutu-

rum

rum ſperabat, inſtituta fuit hoc quoque anno, quippe cuius adhuc dimidium ſuperfuerit. Vnde tu vaniſſimus es, qui priorem legationem in hunc annum, poſteriorem in ſequentem reiicis. Deinde Ludouici & aliorum legati, vt narras, obſecrabant Benedictum, vt in vrbem reuerteretur. Quod ſi factum eſſet, reconciliatio Ludouici per Gallum & Siculum non fuiſſet impedita, nec Benedictus cum lachrymis legatos Ludouici re infecta año ſequente fuiſſet coactus dimittere. *N. I.* *Argentin. p. 127. 36*

9. Bzouius. *Circa hunc annum, Vlricus Groildonis Hagenauuer, Auguſta Rhetorum ciuitate oriundus, fatis functus eſt. Is quod ſe prudentiæ & eruditionis nomine iactaret, multáque & ſcribendi, & dicendi potentia polleret, apud Ludouicum Bauarum, aduerſus Ioannem Pontificem diras & minas ſpirantem, nimis multùm, imò ſupra nimis multum potuit. Præfecerat illum Ludouicus ſcriniis, atque ſuum Cancellarium delegerat. Qua ille poteſtate abuſus, cum iniquior Romano Pontifici Ioanni fuiſſet, quaſi ex induſtria, inter hunc & Ludouicum Bauarum, ſemina diſcordiæ ſeminauit. Eam appellationis formulam, quam ante plures annos Ludouicum Bauarum aduerſus Ioannem* XXII. *ad Concilium Generale, vel ad futurũ Romanũ Pontificẽ, interpoſuiſſe, promulgaſſéque, aliqui* Romanorum *Pontificum hoſtes, in omnibus compitis & plateis euulgabant,* *Col. 739. XVI.*

 Ludo-

Ludouicus Bauarus, datis ad Benedictum Pontificem anno subsequente, die 28. Octobris Nuremberga literis, negabat esse suam: hac diserta usus protestatione, missa per viros illustres, Guilelmum Iuliacensem Comitem, & Robertum Bauariæ Ducem, Oratores suos apud Benedictum Pontificem. Ita habet. *Item constituimus supra dictos Procuratores & Ambasiatores, vice & nomine nostro, & pro nobis, ad confitendum, quod reperitur, quod Notarius qui hoc (scilicet tam infamem appellationem scripsit) fecit, scilicet Vlricus Groildonis, malitiosè, & in vindictam contra nos, dicendo se per nos fuisse læsum, istam appellationem de consilio aliquorum volentium talem diuisionem seminare, quod nunquam valeret eam aliquis reparare, fieri procurauit: & hoc confessus est in morte, vt à pluribus asseritur.* *Sunt qui asserant, Vlricum, in literis siue ad Ioannem Pontificem, siue ad alios, occasione negotij inter Ludouicum Bauarum & sedem Apostolicam, Ludouici Bauari nomine scriptis, multa temerè, & præter sensum Ludouici Bauari, inseruisse, plurimáque mentitum, plusquam barbarica & hostili licentià finxisse, suscitando fouendóque schismati à Ludouico Bauaro, Regiis, Imperatoriisque spiritibus inflato, atque à Petro Corbario Antipapa, & quamplurimis Minoritariis, ad probrum Christiani nominis excitato. Et quidem Vlricus ea contentione apud Principes refractarios, magnum sibi nomen conciliauerat: apud Ecclesiam autem Catholicam, viuens, & vita functus probrum sibi comparauerat: adeò vt diffideret, se posse apud quemquam proborum gratiam mereri.*

Quin

Quin quod grauius est, iure merito dubitauerit se Ecclesiastica sepultura dignandum iri. Quamobrem diris conscientiæ stimulis exagitatus, cùm mortis tempus adesse videret, testamento cauit: ne in templo, aut cœmiterio, aut cœnobio, verum extra in loco aliquo honesto sepeliretur: quod vereretur effossi corporis contumeliam: ne iussu Pontificio, quemadmodum demeruerat, è loco sacro effoderetur, & asini sepultura sepeliretur: futurus exemplo omnibus, in ea dignitate constitutis, ne ingenio & calamo abutantur: neue ineluibilem maculam sibi ac Principibus inducant, adeóque se, Reges *& Regna perdant. Auentinus lib. 7.*

10. Moneo lectorem, vti summam diligentiam Bzouij aduertat; hæc omnia hausisse videri vult ex Auentino, qui tamen mortem duntaxat Vlrici, & de sepultura (qua se dignandum iri, vt Bzouius loquitur, dubitauit) mandatum commemorat, sed non hoc anno, verum 1346. vel sequente; nec de Vlrico Groildonis Notario, sed de Vlrico Protonotario seu Cancellario loquitur, vt supra *an. 1333.* vidimus. Cætera omnia tam falsè exputata Auen- *IX.* tini non sunt. Fortasse sunt alterius; non nego: sed & Bzouius alter est.

ANNVS CHRISTI 1336.

Ludouici Imperatoris XXIII.

Col. 740. l. 1. BZouius. *Quid hoc & superiore anno inter Benedictum summum* Pontificem *& Ludouicum Bauarum gestum sit, Albertus Argentinensis qui viuebat & scribebat, hæc retulit. Placuit verbis illius rem vniuersam narrare. Ita refert.*

Cum Ludouicus Bauarus, ex scriptis quorundam familiarium suorum, quos in Curia Papæ semper habuit, & qui hoc ex Cardinalibus certissimè intellexerant, accepisset, Benedictum Pontificem *& Cardinales desiderare illius reformationem, statim Papæ & Collegio Nuncios & literas humillimas destinauit: qui Nuncij à Papa & Fratribus edocti, qualiter & sub qua forma redire deberent, & sub quibus articulis absolutionem & gratiam petere, iterum à* Principe, *cum illis articulis & mandatis sufficientissimis sunt reuersi. Inter quos duo erant Comites de Oetingen, &* Præpositus *Augustensis, & Marquardus de* Randecke *Canonicus Augustensis R. Bambergensis, postea per* Papam *eiusdem Ecclesiæ Præpositus effectus, & Magister Vdalricus* Protonotarius Principis, *decretista. Et proposito in publico Consistorio,*

rio, per prædictum de Randeck ex parte Principis humillimè, super petitione absolutionis & restitutionis facundo sermone, de quo omnes qui aderant mirabantur: Papa gratiosissimè respondens dixit: se & Fratres suos de hoc, quod nobilis ramus Ecclesiæ Alemanniæ, qui se in persona Domini Ludouici lædi per Ecclesiam æstimans, iam ab arbore Ecclesiæ separari cœperat, eidē arbori cum tam magno honore sedis redintegraretur, plurimum gratulari: multum commendans Alemanniam, & Dominum Ludouicum, quem nobiliorem mundi dicebat: conquerens dilacerari Italiam per tyrannos, atque Regnum Armeniæ intercipi à Paganis, cuius Principes tempore Ioannis Papæ, & suo, Christianorum implorabant auxilium: insuper terrā sanctā propter Imperatoris carentiā occupari. Vnde merito dixit, absolutionem eidem impertiri se debere: quæ & dari in crastino sperabatur. Ista Albertus referebat.

2. Pronunciatum I. *Quid hoc & superiore anno gestū sit, placuit narrare.* Quid attinet tautologicè repetere, quid superiore anno gestum fuerit?

3. Pronunciatum II. *Placuit verbis illius rem vniuersam narrare; ita refert.* Nec verba Argentinensis contra promissa omnino refers, nec eodē ordine, nec sensu. Sic enim Argentinēsis, *De quo* regis Galliæ postulato *Benedictus & Cardinales territi, se reformare cū Ludouico Romanorū Principe decreuerunt. Quod Ludouicus Princeps ex scriptis quorundā* fami-

familiarium suorum, quos in curia Papa semper habuit, qui & hoc ex Cardinalibus certißimè intellexerant, intelligens: statim Papa & Collegio &c. *conquerens regi Italiam per tyrannos, ac regnum Armeniæ capi à paganis, cuius principes tempore Ioannis Papæ & suo, Christianorum implorabant auxilium, ac terram sanctam propter Imperatoris carentiam occupari,* &c. Conferat reliqua verba cui libet: cur *Romanorum Principem* in *Bauarũ* mutas? cur *reformationem* primo loco ab Argentinensi locatam in medium reiicis? Cur illud quasi Alberti dictum refers, *Pontificem & Cardinales desiderare Ludouici reformationem*, cum Albertus dicat, *eos sui ipsorum reformationem cum Ludouico decreuisse?* Nempe tu Ludouicum non Pontificem & Cardinales deformatos, & reformationis seu reconciliationis indigos videri volebas. Hæc tua fides est Bzoui? Placet hoc loco, vt pius animus Ludouici toti mundo notus sit, literas eius ad Pontificẽ datas ex Bzouio ex-
N. 11. scribere & oculis legentium explicare: erit certè intelligentium iudicium Ludouicum non debuisse plura polliceri, neque Pontificem plura exigere.

Literæ Ludouici ad Pont.

4. *Sanctißimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino Benedicto* XII. *diuina prouidente clementia sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici. Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, suus filius deuotus, cum sui & Regni Roma-*

Romanorum recommendatione, deuota pedum oscula Beatorum.

Nouerit sanctitas vestra nobis quam plurimum veneranda, quod nos confisi de fidelitate, prouidentia & sinceritate spectabilium virorum Ludouici senioris & Ludouici iunioris de Oetingen Comitum: Fratris Henrici de Siphingen Ordinis Sanctæ Mariæ Fratrum Theutonicorum Commendatoris Domorum in Vlma & Vardes: Eberhardi de Tummouu Archidiaconi, Marquardi de Randeck iunioris Canonici professoris Canonicorum Sancti Augustini, & Magistri Vdalrici de Augusta nostri Prothonota*rij, Secretariorum nostrorum specialium, eosdem Ludouicum de Oetingen Comitem iuniorem, Fratrem Henricum de Siphingen, Marquardum de* Randeck, *& Magistrum Vdalricum Prothonotarium nostrum præfatos absentes tanquam præsentes, Ludouicum de Oetingen Comitem Seniorem, & Eberardum de Tummouu præsentes & mandatum nostrum sponte recipientes, & quemlibet eorum tam absentiũ, quàm præsentium in solidum; ita quod non sit melior conditio occupantis seu occupantium, sed quod vnus vel plures ipsorum inceperint, alius vel alij prosequi valeant, & finire: in præsentia Notariorum publicorum, & Testium infra scriptorum ad hoc vocatorum specialiter & rogatorum, fecimus & constituimus, & per præsentes nostras literas facimus & constituimus,* Constitutio procuratoria cũ potestatibus infra positis.

creamus et ordinamus, modis omnibus quibus melius de iure facere poßumus & valemus, nostros veros, certos et legitimos Procuratores, Ambaßiatores, negotiorum gestores, et Nuncios speciales, et quocunque alio nomine melius dici vel nuncupari poßint: non tamen reuocando propter hoc potestatem, alias seu antea prædictis Procuratoribus nostris, & eorũ cuilibet in alijs nostris Procuratorijs ad infrascripta, vel ad infrascriptorum aliquid per nos traditam et concessam: sed volumus potius et mandamus huiusmodi Procuratoria, ac omnia et singula in eis contenta, nec non omnia et singula, quæ virtute ipsorum per ipsos Procuratores nostros, seu eorum aliquem incepta, tractata, facta, vel quomodolibet ordinata existunt, in suo pleno robore & efficacia permanere: dantes & concedentes in ijs scriptis, eis omnibus, & cuilibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupãtis, seu occupantium: sed quod vnus, vel plures ipsorum inceperint, alius vel alij prosequi, mediare, & finire valeant, plenam, meram, liberam & integram potestatem, facultatem, auctoritatem, & speciale mandatum, vice & nomine nostro, & pro nobis sanctitati vestræ & coram sanctitate vestra, & vbicunque eidem sanctitati vestræ placuerit, & visum fuerit expedire; præstandi, concedendi & promittendi, faciendi & confirmandi, vice & nomine nostro, & pro nobis, omnia iuramenta, omnes

ob-

*obedientias, promißiones, conceßiones, donationes, notificationes, confirmationes & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum, & assumpti ad imperium, siue etiam non assumpti, siue antequam assumerentur, siue post, per se vel alios, summis Pontificibus & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu aliorum * alteri, per se vel alios recipientibus, seu recipienti, reperiuntur suis temporibus præstitisse, fecisse, confirmasse, seu quomodolibet conceßisse.*

* lege *aliorum.*

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis annullandi & reuocandi, nulla & irrita pronunciandi omnia, quæ dicta & facta sunt contra Dominum quondam fel. rec. Dominum Papam Ioannem XXII. *& contra sanctæ Ecclesiæ determinationes & quæcunque alia titulo imperiali dicta vel facta per nos existunt: & sicut de facto dicta vel facta existunt, ita ea omnia irrita & nulla pronunciandi.*

Reuocādi & annullādi contra Ioan. XXII. facta.

Item, quia per Dominum Henricum Imperatorem vltimum seu authoritate ipsius plures processus, & etiam plures sententiæ capitales & proscriptionis bonorū & aliarum pœnarū & mulctarum diuersarū inflictiuæ, diuersis temporibus promulgatæ fuisse dicuntur, tam contra Excellentem Principē Dominum Robertum Regē Siciliæ Illustrē, & contra magnificos viros Dominos Philippū quondā Principē Tarāti, &

Reuocādi processus & pœnas promulgatas contra eos qui Hērico Imp. non adhęserant.

Joannem Ducem Duratij tunc Principem Achaia, quondā eiusdem Regis germanos, ac etiam contra vasallos & alios eidem Regi Siciliæ mediatè vel immediatè subiectos Regni Siciliæ, & Comitatus Prouinciæ, & & *Folcacquerij &* Pedis *Montium, & aliarum terrarum eiusdem Regis Siciliæ; quam contra nonnullos ciues & incolas ciuitatis Romanæ, nec non contra ciuitatem & commune Florentinorum, & Potestatem, Capitaneos, Officiales, Ministros, & nonnullas singulares eiusdem ciuitatis personas, & etiam contra plures alias ciuitates & loca, & contra nonnullas personas singulares: quæ quidem ciuitates & personæ tempore dicti Domini Henrici adhæserunt* Regi *Siciliæ præfato: damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum potestatem promittendi, & nos obligandi, quod omnes huiusmodi processus & sententias, propter quoscunque etiam vel qualescunque excessus, inobedientias, rebelliones & iniurias ipsi processus facti fuerint, & sententiæ promulgatæ, priusquam assumpti fuerimus à sanctitate vestra in Regem* Romanorum, *reuocabimus: & eos, & effectum eorum annullabimus, & tollemus in totum, & quicquid etiam ex eis secutum est, vel ob eos, vel sequi posset ex eis, vel aliquo eorum: & insuper omnes excessus, rebelliones, inobedientias, iniurias & offensas, qui vel quæ, commissi seu commissæ fuerint per supra dictos, vel eorum aliquos, vel aliquem: & per Ciuita-*

tes,

tes, Communitates & loca prædicta, in omnibus partibus Italiæ, contra præfatum Dominum Henricum, vel suos Officiales, seu contra Imperium quouis modo, remittemus, tollemus, & penitus abolebimus, & in integrum aduersus prædicta restituemus omnes & singulos supra scriptos: ac Ciuitates, Communitates, & loca prædicta, sic quod illorum occasione vel causa ipsi vel successores ipsorum non possint per nos vel nostros quoslibet successores vel per alios, nostro vel nostrorum successorum nomine ullo unquam tempore impeti, seu inquietari, vel etiam alias quomodolibet molestari.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, potestatem ut supra, omnes processus factos, & quaslibet sententias latas, & quæcunque alia quocunque nomine censeantur, Romæ seu ubicunque alibi gesta per nos vel per alios nostro nomine, vel authoritate sub imperiali titulo, nulla esse & cassa & irrita, vice & nomine nostro, & pro nobis, pronunciandi & declarandi; illa etiam quatenus processerunt de facto, annullandi & penitus reuocandi. Specialiter etiam damus ipsis, & cuilibet eorum insolidum, nomine quo supra, potestatem reuocandi donationes Terrarum Ecclesiæ in speciali, si quæ per nos vel auctoritate nostra factæ sunt, vel apparent, vel in futurum apparebunt.

Reuocandi donationes terrarum Ecclesiæ per ipsum vel eius nomine factas.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris,

catus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Castra, Comitatum Venusii, Terras alias seu territoria vel loca Ecclesiæ Romanæ in Italia, vel vbilibet extra Italiam constituta, & specialiter nec regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, quæ directo dominio & feudo eiusdem Ecclesiæ Romanæ esse noscuntur: nec alia feuda, retrofeuda, seu qualibet alia loca ad eamdem Ecclesiam, mediatè vel immediatè spectantia: nec iura, personas, vel res aliquas in eisdem: nec dabimus nec concedemus vllo vnquam tempore in perpetuum, vel ad tempus, aliquid de prædictis sub colore, conditione aut titulo quibuscunque.

Vasallos & subditos Ecclesiæ non molestare.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro, ac pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod prædictam R*omanam Ecclesiam, aut vos seu successores vestros, vel Officiales, Ministros, Vasallos & subditos eorum non inquietabimus, vel quomodolibet molestabimus in Roma,* R*egnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusii, locis, terris aliis & territoriis supradictis, seu aliquo prædictorum. Nec in casu etiam aliquo Reges prædictorum Regnorum, aut Ministros, Vasallos & subditos eorum in Regnis prædictis, seu pro eis, vel aliqua eorum parte aliquatenus molestabimus: nec aliquod dominium, iurisdictionem, superioritatem, seruitu-*

uitutem, Potestariam, Capitaneatum, vel aliud officium quodcunque, quocumque nomine censeatur, accipiemus, vel per nos, vel alios exercebimus in prædictis, Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs & territorijs supradictis vel in aliquo de eisdem. Nec etiam fidelitatem, recognitionem, aduocationem aliquam, quouismodo recipiemus pro Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs & territoriis supradictis, vel pro aliquo eorundem. Nec etiam pro quibuscunque rebus, vel iuribus in præmissis, Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in eorum pertinentijs scilicet vel aliquibus eorum pertinentiis constitutis; etiamsi nobis à quibuslibet Ciuitatibus, vel personis singularibus offerentur: nec ius etiam aliud qualecumque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, seu quomodolibet per nos, vel alium, seu alios vsurpabimus, recipiemus, vel exercebimus: nec concedemus etiam recipi, vel haberi in Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris aliis, & territoriis supradictis, & specialiter in Pro-

cto Pontifice, causam Ludouici Bauari egisse, Ptolemaus Lucensis qui viuebat & scribebat, memorabat: cùm etiam per id temporis ipsis in curia existentibus Oratores Mediolanensium & aliarum ciuitatum eis confœderatarum Pontifici obedientiam spopondissent, reddidisséntque & absolutionem obtinuissent à sententiis, quibus per Ioannem XXII. *fuerant irretiti: promittentes neminem se pro Imperatore recepturos, præterquam illum, quem summus Pontifex designasset, atq; renunciasset. Ad* III. *Nonas Iulij, Oratores Ludouici discesserunt, reuersuri cum ampliore potestate, ad promittendum concedendúmq; nonnulla ex præscripto æquitatis. Namq; Pontifex nonnulla ex re Ecclesiastica à Ludouico postulabat, quibus adimpletis ipsorum concordia sperabatur. Antequam verò tam hi, quam Romæ & Ciuitatum cõfœderatarum Nuncij Auinione discessissent, obsecrabant Benedictum, vt is in vrbem reuerteretur. Cæterum is, pollicitus quidem est omnibus, verumtamen diem certam non designauit, quo Cathedram Pontificiam, Romam reuocaret, aut eo se conferret. Ptolemæus* Lucens. *in Bened.* XII.

8. Ex Ptolemæo Lucensi doces priorem legationem auditam Auinione 4. Calend. Maias, indéque discessisse ad 3. Nonas Iulij. Quod si verum est, vtique secunda legatio, per quam Ludouicus tantopere expetitam concordiam se consecutu-

rum

rum ſperabat, inſtituta fuit hoc quoque anno, quippe cuius adhuc dimidium ſuperfuerit. Vnde tu vaniſſimus es, qui priorem legationem in hunc annum, poſteriorem in ſequentem reiicis. Deinde Ludouici & aliorum legati, vt narras, obſecrabant Benedictum, vt in vrbem reuerteretur. Quod ſi factum eſſet, reconciliatio Ludouici per Gallum & Siculum non fuiſſet impedita, nec Benedictus cum lachrymis legatos Ludouici re infecta año ſequente fuiſſet coactus dimittere. *N. I.* *Argentin. p. 127. 36*

9. Bzouius. *Circa hunc annum, Vlricus Groildonis Hagenauuer, Augusta* Rhetorum *ciuitate oriundus, fatis functus est. Is quod ſe prudentia & eruditionis nomine iactaret, multáque & ſcribendi, & dicendi potentia polleret, apud Ludouicum Bauarum, aduerſus Ioannem Pontificem diras & minas ſpirantem, nimis multùm, imò ſupra nimis multum potuit. Præfecerat illum Ludouicus ſcriniis, atque ſuum Cancellarium delegerat. Qua ille poteſtate abuſus, cum iniquior* Romano *Pontifici Ioanni fuiſſet, quaſi ex induſtria, inter hunc & Ludouicum Bauarum, ſemina diſcordiæ ſeminauit. Eam appellationis formulam, quam ante plures annos Ludouicum Bauarum aduerſus Ioannem* XXII. *ad Concilium Generale, vel ad futurũ Romanũ Pontificẽ, interpoſuiſſe, promulgaſſéque, aliqui* Romanorum *Pontificum hoſtes, in omnibus compitis & plateis euulgabant,* *Col. 739. XVI.*

Ludouicus Bauarus, datis ad Benedictum Pontificem anno subsequente, die 28. Octobris Nurembergæ literis, negabat esse suam: hac diserta usus protestatione, missa per viros illustres, Guilelmum Iuliacensem Comitem, & Robertum Bauariæ Ducem, Oratores suos apud Benedictum Pontificem. Ita habet. *Item constituimus supra dictos Procuratores & Ambasiatores, vice & nomine nostro, & pro nobis, ad confitendum, quod reperitur, quod Notarius qui hoc (scilicet tam infamem appellationem scripsit) fecit, scilicet Vlricus Groildonis, malitiosè, & in vindictam contra nos, dicendo se per nos fuisse læsum, istam appellationem de consilio aliquorum volentium talem diuisionem seminare, quod nunquam valeret eam aliquis reparare, fieri procurauit: & hoc confessus est in morte, vt à pluribus asseritur.* *Sunt qui asserant, Vlricum, in literis siue ad Ioannem Pontificem, siue ad alios, occasione negotij inter Ludouicum Bauarum & sedem Apostolicam, Ludouici Bauari nomine scriptis, multa temerè, & præter sensum Ludouici Bauari, inseruisse, plurimáque mentitum, plusquam barbarica & hostili licentia finxisse, suscitando fouendóque schismati à Ludouico Bauaro, Regiis, Imperatoriisque spiritibus inflato, atque à Petro Corbario Antipapa, & quamplurimis Minoritariis, ad probrum Christiani nominis excitato. Et quidem Vlricus ea contentione apud Principes refractarios, magnum sibi nomen conciliauerat: apud Ecclesiam autem Catholicam, viuens, & vita functus probrum sibi comparauerat: adeò vt diffideret, se posse apud quemquam proborum gratiam mereri.*

Quin

Quin quod grauius est, iure merito dubitauerit se Ecclesiastica sepultura dignandum iri. Quamobrem diris conscientiæ stimulis exagitatus, cùm mortis tempus adesse videret, testamento cauit: ne in templo, aut cœmiterio, aut cœnobio, verum extra in loco aliquo honesto sepeliretur: quod vereretur effoßi corporis contumeliam: ne iussu Pontificio, quemadmodum demeruerat, è loco sacro effoderetur, & asini sepultura sepeliretur: futurus exemplo omnibus, in ea dignitate constitutis, ne ingenio & calamo abutantur: neue ineluibilem maculam sibi ac Principibus inducant, adeóque se, Reges *& Regna perdant. Auentinus lib. 7.*

10. Moneo lectorem, vti summam diligentiam Bzouij aduertat; hæc omnia hausisse videri vult ex Auentino, qui tamen mortem duntaxat Vlrici, & de sepultura (qua se dignandum iri, vt Bzouius loquitur, dubitauit) mandatum commemorat, sed non hoc anno, verum 1346. vel sequente; nec de Vlrico Groildonis Notario, sed de Vlrico Protonotario seu Cancellario loquitur, vt supra *an. 1333.* vidimus. Cætera omnia tam falsè exputata Auen- *IX.* tini non sunt. Fortasse sunt alterius; non nego: sed & Bzouius alter est.

ANNVS CHRISTI 1336.

Ludouici Imperatoris XXIII.

Col. 740. l. 1. BZouius. *Quid hoc & superiore anno inter Benedictum summum* Pontificem *& Ludouicum Bauarum gestum sit, Albertus Argentinensis qui viuebat & scribebat, hæc retulit. Placuit verbis illius rem vniuersam narrare. Ita refert.*

Cum Ludouicus Bauarus, ex scriptis quorundam familiarium suorum, quos in Curia Papæ semper habuit, & qui hoc ex Cardinalibus certißimè intellexerant, accepisset, Benedictum Pontificem *& Cardinales desiderare illius reformationem, statim Papæ & Collegio Nuncios & literas humillimas destinauit: qui Nuncij à Papa & Fratribus edocti, qualiter & sub qua forma redire deberent, & sub quibus articulis absolutionem & gratiam petere, iterum à* Principe, *cum illis articulis & mandatis sufficientißimis sunt reuersi. Inter quos duo erant Comites de Oetingen, &* P*ræpositus Augustensis, & Marquardus de* Randecke *Canonicus Augustensis* R. *Bambergensis, postea per* P*apam eiusdem Ecclesiæ Præpositus effectus, & Magister Vdalricus* P*rotonotarius* P*rincipis, decretista. Et proposito in publico Consistorio,*

rio, per prædictum de Randeck ex parte Principis humillimè, super petitione absolutionis & restitutionis facundo sermone, de quo omnes qui aderant mirabantur: Papa *gratiosissimè respondens dixit: se & Fratres suos de hoc, quod nobilis ramus Ecclesiæ Alemanniæ, qui se in persona Domini Ludouici lædi per Ecclesiam æstimans, iam ab arbore Ecclesiæ separari cœperat, eidē arbori cum tam magno honore sedis redintegraretur, plurimum gratulari: multum commendans Alemanniam, & Dominum Ludouicum, quem nobiliorem mundi dicebat: conquerens dilacerari Italiam per tyrannos, atque Regnum Armeniæ intercipi à* Paganis, *cuius* Principes *tempore Ioannis* Papæ, *& suo, Christianorum implorabant auxilium: insuper terrā sanctā propter Imperatoris carentiā occupari. Vnde merito dixit, absolutionem eidem impertiri se debere: quæ & dari in crastino sperabatur. Ista Albertus referebat.*

2. Pronunciatum I. *Quid hoc & superiore anno gestū sit, placuit narrare.* Quid attinet tautologicè repetere, quid superiore anno gestum fuerit?

3. Pronunciatum II. P*lacuit verbis illius rem vniuersam narrare; ita refert.* Nec verba Argentinensis contra promissa omnino refers, nec eodē ordine, nec sensu. Sic enim Argentinēsis, *De quo* regis Galliæ postulato *Benedictus & Cardinales territi, se reformare cū Ludouico Romanorū Principe decreuerunt. Quod Ludouicus* Princeps *ex scriptis quorundā fami-*

familiarium suorum, quos in curia Papa semper habuit, qui & hoc ex Cardinalibus certissimè intellexerant, intelligens: statim Papa & Collegio &c. *conquerens regi Italiam per tyrannos, ac regnum Armenia capi à paganis, cuius principes tempore Ioannis Papa & suo, Christianorum implorabant auxilium, ac terram sanctam propter Imperatoris carentiam occupari,* &c. Conferat reliqua verba cui libet: cur R*omanorum* P*rincipem* in *Bauarũ* mutas? cur *reformationem* primo loco ab Argentinensi locatam in medium reiicis? Cur illud quasi Alberti dictum refers, *Pontificem & Cardinales desiderare Ludouici reformationem*, cum Albertus dicat, *eos sui ipsorum reformationem cum Ludouico decreuisse?* Nempe tu Ludouicum non Pontificem & Cardinales deformatos, & reformationis seu reconciliationis indigos videri volebas. Hæc tua fides est Bzoui? Placet hoc loco, vt pius animus Ludouici toti mundo notus sit, literas eius ad Pontificẽ datas ex Bzouio ex- *N. 11.* scribere & oculis legentium explicare: erit certè intelligentium iudicium Ludouicum non debuisse plura polliceri, neque Pontificem plura exigere.

Literæ Ludouici ad Pont. 4. *Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo, Domino Benedicto* XII. *diuina prouidente clementia sacrosancta Romana & vniuersalis Ecclesia summo Pontifici. Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, suus filius deuotus, cum sui & Regni Roma-*

Romanorum recommendatione, deuota pedum oscula Beatorum.

Nouerit sanctitas vestra nobis quam plurimum veneranda, quod nos confisi de fidelitate, prouidentia & sinceritate spectabilium virorum Ludouici senioris & Ludouici iunioris de Oetingen Comitum: Fratris Henrici de Siphingen Ordinis Sanctæ Mariæ Fratrum Theutonicorum Commendatoris Domorum in Vlma & Vardes: Eberhardi de Tummouu Archidiaconi, Marquardi de Randeck iunioris Canonici professoris Canonicorum Sancti Augustini, & Magistri Vdalrici de Augusta nostri Prothonotarij, Secretariorum nostrorum specialium, eosdem Ludouicum de Oetingen Comitem iuniorem, Fratrem Henricum de Siphingen, Marquardum de Randeck, & Magistrum Vdalricum Prothonotarium nostrum præfatos absentes tanquam præsentes, Ludouicum de Oetingen Comitem Seniorem, & Eberardum de Tummouu præsentes & mandatum nostrum sponte recipientes, & quemlibet eorum tam absentiũ, quàm præsentium in solidum; ita quod non sit melior condi-ditio occupantis seu occupantium, sed quod vnus vel plures ipsorum inceperint, alius vel alij prosequi valeant, & finire: in præsentia Notariorum publicorum, & Testium infra scriptorum ad hoc vocatorum specialiter & rogatorum, fecimus & constituimus, & per præsentes nostras literas facimus & constituimus,

Constitutio procuratoria cũ potestatibus infra positis.

creamus et ordinamus, modis omnibus quibus melius de iure facere poßumus & valemus, nostros veros, certos et legitimos Procuratores, Ambaßiatores, negotiorum gestores, et Nuncios speciales, et quocunque alio nomine melius dici vel nuncupari poßint: non tamen reuocando propter hoc potestatem, alias seu antea prædictis Procuratoribus nostris, & eorũ cuilibet in alijs nostris Procuratorijs ad infrascripta, vel ad infrascriptorum aliquid per nos traditam et concessam: sed volumus potius et mandamus huiusmodi Procuratoria, ac omnia et singula in eis contenta, nec non omnia et singula, quæ virtute ipsorum per ipsos Procuratores nostros, seu eorum aliquem incepta, tractata, facta, vel quomodolibet ordinata existunt, in suo pleno robore & efficacia permanere: dantes & concedentes in ijs scriptis, eis omnibus, & cuilibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupãtis, seu occupantium: sed quod vnus, vel plures ipsorum inceperint, alius vel alij prosequi, mediare, & finire valeant, plenam, meram, liberam & integram potestatem, facultatem, auctoritatem, & speciale mandatum, vice & nomine nostro, & pro nobis sanctitati vestræ & coram sanctitate vestra, & vbicunque eidem sanctitati vestræ placuerit, & visum fuerit expedire; præstandi, concedendi & promittendi, faciendi & confirmandi, vice & nomine nostro, & pro nobis, omnia iuramenta, omnes

ob-

*obedientias, promißiones, conceßiones, donationes, notificationes, confirmationes & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum, & assumpti ad imperium, siue etiam non assumpti, siue antequam assumerentur, siue post, per se vel alios, summis Pontificibus & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu aliorum * alteri, per se vel alios recipientibus, seu recipienti, reperiuntur suis temporibus præstitisse, fecisse, confirmasse, seu quomodolibet conceßisse.* * lege aliorum.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis annullandi & reuocandi, nulla & irrita pronunciandi omnia, quæ dicta & facta sunt contra Dominum quondam fel. rec. Dominum Papam Ioannem XXII. *& contra sanctæ Ecclesiæ determinationes & quæcunque alia titulo imperiali dicta vel facta per nos existunt: & sicut de facto dicta vel facta existunt, ita ea omnia irrita & nulla pronunciandi.* Reuocādi & annullādi contra Ioan. XXII. facta.

Item, quia per Dominum Henricum Imperatorem vltimum seu authoritate ipsius plures processus, & etiam plures sententiæ capitales & proscriptionis bonorū & aliarum pœnarū & mulctarum diuersarū inflictiuæ, diuersis temporibus promulgatæ fuisse dicuntur, tam contra Excellentem Principē Dominum Robertum Regē Siciliæ Illustrē, & contra magnificos viros Dominos Philippū quondā Principē Tarāti, & Reuocādi processus & pœnas promulgatas contra eos qui Hērico Imp. non adhęserant.

 Ioan-

Joannem Ducem Duratij tunc Principem Achaiæ, quondã eiusdem Regis germanos, ac etiam contra vasallos & alios eidem Regi Siciliæ mediatè vel immediatè subiectos Regni Siciliæ, & Comitatus Prouinciæ, & & Folcacquerij & Pedis Montium, & aliarum terrarum eiusdem Regis Siciliæ; quam contra nonnullos ciues & incolas ciuitatis Romanæ, nec non contra ciuitatem & commune Florentinorum, & Potestatem, Capitaneos, Officiales, Ministros, & nonnullas singulares eiusdem ciuitatis personas, & etiam contra plures alias ciuitates & loca, & contra nonnullas personas singulares: quæ quidem ciuitates & personæ tempore dicti Domini Henrici adhæserunt Regi Siciliæ præfato: damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum potestatem promittendi, & nos obligandi, quod omnes huiusmodi processus & sententias, propter quoscunque etiam vel qualescunque excessus, inobedientias, rebelliones & iniurias ipsi processus facti fuerint, & sententiæ promulgatæ, priusquam assumpti fuerimus à sanctitate vestra in Regem Romanorum, reuocabimus: & eos, & effectum eorum annullabimus, & tollemus in totum, & quicquid etiam ex eis secutum est, vel ob eos, vel sequi posset ex eis, vel aliquo eorum: & insuper omnes excessus, rebelliones, inobedientias, iniurias & offensas, qui vel quæ, commißi seu commissæ fuerint per supra dictos, vel eorum aliquos, vel aliquem: & per Ciuitates,

tes, Communitates & loca prædicta, in omnibus partibus Italiæ, contra præfatum Dominum Henricum, vel suos Officiales, seu contra Imperium quouis modo, remittemus, tollemus, & penitus abolebimus, & in integrum aduersus prædicta restituemus omnes & singulos supra scriptos: ac Ciuitates, Communitates, & loca prædicta, sic quod illorum occasione vel causa ipsi vel successores ipsorum non possint per nos vel nostros quoslibet successores vel per alios, nostro vel nostrorum successorum nomine vllo vnquam tempore impeti, seu inquietari, vel etiam alias quomodolibet molestari.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, potestatem vt supra, omnes processus factos, & quaslibet sententias latas, & quæcunque alia quocunque nomine censeantur, Romæ seu vbicunque alibi gesta per nos vel per alios nostro nomine, vel authoritate sub imperiali titulo, nulla esse & cassa & irrita, vice & nomine nostro, & pro nobis, pronunciandi & declarandi; illa etiam quatenus processerunt de facto, annullandi & penitus reuocandi. Specialiter etiam damus ipsis, & cuilibet eorum insolidum, nomine quo supra, potestatem reuocandi donationes Terrarum Ecclesiæ in speciali, si quæ per nos vel auctoritate nostra factæ sunt, vel apparent, vel in futurum apparebunt.

Reuocandi donationes terrarum Ecclesiæ per ipsum vel eius nomine factas.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris,

Concedē-di faculta-tem Pont. vt remit-tat omnes iniurias & rebellio-nes & alia contra Im-perium à 50. annis citra facta.

& cuilibet eorum insolidum potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis, ob reuerentiam sanctitatis vestræ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et etiam propter bonum pacis, vobis & successoribus vestris, dandi, concedendi irreuocabiliter plenam & liberam potestatem per biennium duraturam, computandum à tempore quo approbati fuerimus, & potestatem huiusmodi concesserimus vestræ sanctitati, quietandi, & remittendi omnibus Ciuitatibus & Communitatibus, quorumcunque locorum omnium partium Italiæ, nec non de quibuslibet personis singularibus partium earumdem, cuiuscunque status aut conditionis existant, omnes iniurias, rebelliones, inobedientias & offensas commissas hactenus quantumcunque & quomodocunque contra imperium, & Reges ac Imperatores Romanos, seu Officiales, Ministros vel gentes eorum à quinquaginta annis citra: ac etiam processus quoscunque, & quascunque sententias inde secutas, quatenus ad Reges & Imperatores eosdem, qui fuerunt pro tempore, pertinuit cognitio & punitio prædictorum: & ad nos, si in Regem Romanorum, aut etiam in Imperatorem assumpti fuerimus, illorum prosecutio iure regni vel imperij potuerit pertinere, tollendi, cassandi, reuocandi, & totaliter annullandi, pœnásque quaslibet corporum & bonorum, mulctas etiam & infamias, à iure vel ab homine illorum excessuum

occa-

occasione, vel causa inflictas, vel infligi possibiles in futurum, infringendi, & penitus abolendi: & contra prædictos excessus, processus, sententias, pœnas, infamias huiusmodi in integrum restituendi, & alias de illis, & super illis omnibus & singulis, quantumcunque & quotiescunque sanctitati vestræ placuerit, omnes simul vel diuisim per vos vel alium ordinandi et disponendi, altè vel bassè pro vestra libito voluntatis: quódque vestra placuerit sanctitati, et hoc in scriptis vel sine scriptis, nobis etiam absentibus & non vocatis, nec alio quocumque pro nobis; nos ratum quoque & gratum pro nobis, & nostris etiam successoribus habituros, promittendi: quódque super prædictis, & eorum quolibet, per vos seu successores vestros, remissum, cassatum, sublatum, annullatum, reuocatum, restitutum & abolitum fuerit; vel quomodolibet ordinatum: & quod super hoc sufficientes & patentes dabimus literas nostro cōmunitas sigillo, quotiens super hoc fuerimus requisiti, iuxta voluntatem vestræ sanctitatis, vel successorum vestrorum.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum, plenam & liberam potestatem, ut supra, vice & nomine nostro, ac pro nobis promittendi, & in animā nostram iurandi: quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquirem⁹, nec quouis modo vsurpabimus Romā, aut Prouincias, Ducatus,

Promittendi non occupare vel recipere vel vsurpare terras & loca Ecclesiæ Rō.

catus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Castra, Comitatum Venusii, Terras alias seu territoria vel loca Ecclesiæ Romanæ in Italia, vel vbilibet extra Italiam constituta, & specialiter nec regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, quæ directo dominio & feudo eiusdem Ecclesiæ Romanæ esse noscuntur: nec alia feuda, retrofeuda, seu qualibet alia loca ad eamdem Ecclesiam, mediatè vel immediatè spectantia: nec iura, personas, vel res aliquas in eisdem: nec dabimus nec concedemus vllo vnquam tempore in perpetuum, vel ad tempus, aliquid de prædictis sub colore, conditione aut titulo quibuscunque.

Vasallos & subditos Ecclesiæ non molestare.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro, ac pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod prædictam Romanam *Ecclesiam, aut vos seu successores vestros, vel Officiales, Ministros, Vasallos & subditos eorum non inquietabimus, vel quomodolibet molestabimus in Roma,* Regnis, *Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusii, locis, terris aliis & territoriis supradictis, seu aliquo prædictorum. Nec in casu etiam aliquo Reges prædictorum Regnorum, aut Ministros, Vasallos & subditos eorum in Regnis prædictis, seu pro eis, vel aliqua eorum parte aliquatenus molestabimus: nec aliquod dominium, iurisdictionem, superioritatem, seruitu-*

uitutem, Potestariam, Capitaneatum, vel aliud officium quodcunque, quocumque nomine censeatur, accipiemus, vel per nos, vel alios exercebimus in prædictis, Roma, Regnis, *Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs & territorijs supradictis vel in aliquo de eisdem. Nec etiam fidelitatem, recognitionem, aduocationem aliquam, quouismodo recipiemus pro Roma,* Regnis, *Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs & territoriis supradictis, vel pro aliquo eorundem. Nec etiam pro quibuscunque rebus, vel iuribus in præmissis,* Roma, *Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris alijs, & territorijs supradictis, vel in eorum* pertinentijs scilicet *vel aliquibus eorum pertinentiis constitutis; etiamsi nobis à quibuslibet Ciuitatibus, vel personis singularibus offerentur: nec ius etiam aliud qualecumque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, seu quomodolibet per nos, vel alium, seu alios vsurpabimus, recipiemus, vel exercebimus: nec concedemus etiam recipi, vel haberi in Roma, Regnis, Prouincijs, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris aliis, & territoriis supradictis, & specialiter in Prouin-*

uinciis, Ciuitatibus, terris et locis et territoriis eorundem, expreßis in quibuſdam literis dicti Domini quondam Henrici Imperatoris: quarum tenor ſequitur in hac verba.

Literæ Henrici Imp. ſuper dominio temporali ſedis Apoſtolicæ contra obtrectatores.

Sanctißimo in Christo Patri & Domino ſuo Domino Clementi Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici. Henricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, cum reuerentia debita, deuota pedum oſcula beatorum.

Feruenti deſiderio cupientes Sanctitatis veſtræ pedibus, & Apoſtolicæ ſedi toto corde & animo zelum noſtræ reuerentiæ, fidei, et deuotionis offerre, veſtris ſanctis monitis, exhortationibus & mandatis, nos pro viribus coaptando, & honorem veſtrum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ et aliarum Eccleſiarum iura diligere, et pro poſſe protegere & ſeruare; attendentes propenſius, quod nihil eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe, nihilq; eſt, quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quàm vera religio: & quod ad Dei timorem ſeruandum, mandatáque eius cuſtodienda factus eſt omnis homo: ſed præcipuè Imperialis et Regalis poteſtas, quæ à Domino Deo eſt: et ad eius miniſterium exequendum, & ad fidem et reuerentiam ſui nominis dilatandam in omnes regiones, et regna promittimus & obligamus nos cum omni efficacia Deo omnipotenti, Vobíſque Domino noſtro Clementi ſummo Pontifici, veſtríſque ſucceſſoribus, & Sa-

Sacrosancta sedi Apostolicæ et Romanæ Ecclesiæ, quæ Ecclesiarum omnium est caput & Magistra, quod sacrosanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, Fidémque Catholicam fundatam super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso scilicet angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in cuius nomine omne genu flectitur, cælestium, terrestrium & infernorum, nec est nomen aliud sub cælo in quo saluari oporteat credentes, toto corde & animo, pura fide & sancta intentione conseruabimus, reuerebimur, atque defendemus totis viribus, & toto posse: ac omnem hæresin & schisma, extollentem se contra sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam exterminabimus pro viribus: ac omnes hæreticos cuiuscunque secta & conditionis existant, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quibus vineam Domini Dei Sabbaoth perdere & vastare nituntur, omnésque fautores, adiutores, valitores, & receptatores, ac defensores eorum; & quod nullo tempore coniungemur, confœderabimur parentela vel fœdere, vel vnione quacunque cum quocunque Sarraceno, vel pagano, vel schismatico Rege, vel Principe, vel quocunque alio, fidei Catholicæ communionem non habente; neque cum aliquo rebelli vel inimico ipsius Romanæ Ecclesiæ, vel eidem manifestè suspecto.

Item promittimus & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, quod personam vestram, statum & honorem, & successorum vestrorum, contra quemcunque seu quoscunque homines, cuiuscunque status, praeminentiae, vel dignitatis existant, conseruabimus, defendemus, manutenebimus: nec non omnia Priuilegia Regum, & Principum, & Imperatorum Romanorum praedecessorum nostrorum, cuiuscunque tenoris vel continentiae existant, quocunque tempore concessa Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Romanis Pontificibus, & sedi Apostolicae, & quibuscunque Ecclesiasticis Praelatis & Ministris ipsorum, conseruabimus & manutenebimus, nec in aliquo vnquam tempore contra veniemus, vel aliquem quantum in nobis erit venire permittemus, quacunque occasione, vel titulo allegato iuris vel facti. Imo ad perpetuam rei memoriam, & sanctae Ecclesiae securitatem, atque cautelam, ipsa priuilegia omnia, pro nobis & successoribus nostris ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innouamus, & denuo concedimus, prout melius, & plenius possumus ex certa scientia, ac omni efficacia & effectu, volentes, ac etiã decernentes, quod ipsa generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innouatio, & de nouo concessio perinde robur obtineant perpetuae firmitatis, ac si omnia & singula priuilegiorum verba singulariter, & expressè, ac de verbo ad verbum praesentibus inserta fuissent. Specialiter autem

tem & expressè, cum omni efficacia & effectu supradictis, ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innouamus, & denuo concedimus omnia Priuilegia Constantini, Caroli, Henrici, Ottonis Quarti, Friderici Secundi, atque Rudolphi Regum, *& Principũ, seu Imperatorum Romanorum, quocunque tempore concessa, super quibuscunque cuiuscunque continentiæ vel tenoris existant, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Romanísque Pontificibus & Apostolicæ sedi.* Promittimus *etiam & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, omni modo & forma, quo melius & efficacius fieri potest, manutenere, & conseruare omnia priuilegia cuiuscunque conditionis, vel tenoris existant; & nullo vnquam tempore contra venire, vel aliquem quantum in nobis est venire permittere, quacunque occasione, vel causa, vel titulo allegato iuris vel facti, per quoscunque* Reges, *vel* Principes, *seu Imperatores Romanos, & præcipuè per supradictos Constantinũ, Carolum, Henricum, Ottonem Quartũ, Fridericum Secundum, atque Rudolphum concessa Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus & Apostolicæ sedi, super recognitione, innouatione, adnotatione, concessione, quietatione, renunciatione, & liberæ dimissione Terrarum & Prouinciarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vbicunque positarum, præcipuè Marchiæ Anconitanæ, cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus suis integraliter, cũ*

omnibus iuribus, & iurisdictionibus earundem. Exarchatus Rauennæ & Pentapoli ac Romandiolæ, & Bertenorij Comitatus, cum ciuitate Bononiensi, & cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem. Vallis quoque quæ Spoletana dicitur, siue Ducatus cum Ciuitatibus Perusij atque Castelli, & cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem. Massa quoque quæ Trebariæ nuncupatur, cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus & confinibus integraliter, & cum omnibus iuribus & iurisdictionibus earundem. Patrimonium etiam Beati Petri in Tuscia, cum ciuitatibus Tuderti, Narniæ, vrbis veteris, & Reatæ & cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, cum omnibus iuribus & iurisdictionibus eorundem. Comitatus quoque Sabinæ, cum ciuitate Interamnens. & cum arce Cæsaris, et terra quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus Ciuitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earundem. Comitatus quoque Campaniæ atque maritimæ, cum omnibus Ciuitatibus, Terris, limitibus, terminis & confinibus suis integraliter, et cum omnibus iuribus & iurisdictionibus eorundem, et ex abundanti, denuo, & ad maio-

maiorem cautelam supradictas omnes terras atque Prouincias cum omnibus iuribus et iurisdictionibus, terminis, limitibus, & confinibus eorundem, & ius, et possessionem, et proprietatem ipsorum cum omni plenitudine recognoscimus iure plenissimo, ad ius et proprietatẽ Sanctæ Romanæ *Ecclesiæ spectare et omnimodo pertinere, ac ipsas omnes terras atque Prouincias adnotamus, innouamus, atque concedimus, quietamus libere et dimittimus, restituimus & renunciamus. nec non ad omnẽ scrupulũ remouendũ, et vt pax et quies, atque tranquillitas inter Ecclesiã et Jmperiũ iugiter vigeat, & futuris dante Domino tẽporibus feliciter augeatur, et omnis contentionis & dissensionis cuiuslibet materia præcidatur, prout melius & efficacius fieri et intelligi potest, concedimus ipsas, conferim⁹ et donamus de nouo. Promittentes, et obligantes nos, prout plenius et efficacius possumus, quod nullo vnquã tempore occupabimus, vel occupari, quantũ in nobis est permittemus, Ciuitates, loca, Castra, Terras et* Pro*uincias supradictas, vel aliquã ipsarũ, vel earum partem, nec in ipsis vel aliqua ipsarum, vel earum parte iurisdictionem aliquã per nos, vel per alium geremus, vel exercebimus, nec iura aliqua, possessiones, vel tenutas habebimus, vel possidebimus in eisdẽ Terris vel Prouinciis, vel aliqua ipsarum, seu parte earum, nec officium aliquod geremus per nos, vel per alios Potestariæ, vel Capitaniæ, seu quocunque nomine*

cen-

censeantur in ipsis, vel aliqua ipsarum vel earum parte: & quod tanquam Princeps *Catholicus, Aduocatus & Defensor S.* Romanæ *Ecclesiæ iuuabimus ipsam, sibique assistemus contra quoscũque occupantes, inuadentes, vel turbantes Prouincias ipsas, Ciuitates, loca, castra & Terras, vel aliquas ipsarum, vel earum partem: & quoscunque inobedientes seu rebelles Ecclesiæ, præcipuè in* Prouinciis, *Ciuitatibus, locis, Castris, & Terris eisdem in nullo fouebimus, vel manutenebimus, seu per quoscunque foueri, seu manuteneri, quantum in nobis est, permittemus; sed contra ipsos assistemus consiliis, auxiliis, & fauoribus opportunis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus & Apostolicæ sedi, quousque rebelles & subditi ad plenam reuerentiam & obedientiam reducantur. Promittentes quoque Sanctam* Romanam *Ecclesiam, & Ecclesias alias, & libertatem Ecclesiasticam, & bona, iura, Prælatos & Ministros ipsarum manu tenere, conseruare, & pro viribus defensare: vasallos quoque* Romanæ *Ecclesiæ contra iustitiam non offendere; & quod deuotos, & fideles Ecclesiæ, etiam in Imperio constitutos benigne tractabimus, & contra iustitiam non opprimemus, nec per alium, quantum in nobis est, opprimi permittemus, sed conseruabimus in iuribus & iustitiis eorundem. Prædicta autem omnia & singula inuiolabiliter obseruare, & obseruari facere; & nullo vnquam tempore contra venire, iuramus ad*

ad sancta Dei Euangelia, tacto libro in manibus discreti viri Ioannis de Malans Scholastici Ecclesiæ Tullensis, vestri Capellani, nomine Romanæ Ecclesiæ et sedis Apostolicæ ac vestro, ac de vestro mandato specialiter recipientis. de qua etiam receptione tam per nostras præsentes, quam per ipsius recipientis literas seu publicum instrumentum planè constat.

Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sedis Apostolicæ, & Romanorum Pontificum securitatem atque cautelam, præsentes literas Regio Maiestatis Sigillo munitas fecimus communiri. Promittentes & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod post Imperialis diadematis coronationem suceptam, prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoscemus, et faciemus, et seruabimus atque iurabimus, et de supradictis omnibus infra octo dies nostras patentes dabimus literas quadruplicatas harum seriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, & ad securitatem, et cautelam vestram, et successorum vestrorum, & S. Romanæ Ecclesiæ, et Apostolicæ sedis, Imperialis Maiestatis typario communitas. Datum Rusannæ v. Idus Octobris, Anno Domini Millesimo Trecentesimo Decimo, Regni verò nostri anno secundo.

Item damus dictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, plenam potestatem vt supra, pro prædictis adimplendis & obseruandis, pœnas infra- Aliç potestates Ludouici Procuratoribus datæ.

frascriptas vice & nomine nostro, & pro nobis recipiendi, & ad eas nos obligandi, & adstringendi; videlicet quod si super præmissis, vel aliquo præmissorum, quæ in duobus dictis articulis immediatè præcedentibus continentur, molestauerimus, seu molestari fecerimus Romanam Ecclesiam, Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Castra, Comitatum Venusinum, loca, Terras alias, & territoria supradicta, vel aliquid eorum inuadendo, occupando, seu quomodolibet acquirendo, vel eorum aliquid in toto, vel in parte aliqua, nisi super hoc moniti per Romanum Pontificem vel auctoritate ipsius infra tres menses post monitionem huiusmodi immediatè sequentes à taliter attentatis destiterimus, et ea omnia et singula in quibus offenderimus, in pristinum statum reduxerimus, excommunicationis sententiam cum valitoribus & sequacibus nostris eo ipso incurramus, & si infra tres menses alios, dictos tres menses immediatè sequentes hoc nõ fecerimus, tota terra nobis subiecta, ad hoc nobis vel nostris præbens auxilium vel fauorem, sic eo ipso Ecclesiastico supponatur interdicto. Quod si infra tres menses alios, prædictos sex menses immediatè sequentes monitioni prædictæ non paruerimus cum effectu, & per alios tres menses, prædictos nouem menses immediatè sequentes de gratia expectati, monitioni non paruerimus vt præfertur, liberum sit

Subiicit se pœnis à Pontifice infligẽdis in euentũ contrauentionis.

sit Romano Pontifici*, prout sibi expedire videbitur, ad alias pœnas procedere contra nos, priuando etiam nos, si sibi videbitur, Imperiali, Regia, & qualibet alia dignitate, absque alia vocatione, vel iuris solennitate. Monitio tamen prædicta sic fiat, si commodè fieri poßit, vt nos personaliter apprehendat.*

Quod si sic non poßit commodè fieri, super quo stare promittimus simplici aßertioni Domini nostri summi Pontificis, poßit fieri ipsa monitio in Romana curia per publicum instrumentum & solemne, sicut consueuerunt fieri in Romana *Curia citationes & processus contra absentes, quorum præsentia, siue domicilia non poßunt liberè, tutéue adiri.*

Item damus prædictis Procuratoribus *nostris, & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem vt supra, promittendi vice & nomine nostro, & pro nobis & in animam nostram iurandi; quod ad euitandam occasionem veniendi contra prædicta vel aliquod prædictorum, ante diem nobis pro coronatione nostra Imperiali præfigendum, non ingrediemur Vrbem Romanam, quodque eadem die, vero & legitimo impedimento cessante, Imperialem recipiemus coronam, & si illa die fuerimus verè & legitimè impediti, die alia dictam accipiemus coronam, & ipsa die qua coronā huiusmodi receperimus, dictam vrbem, vero ac legitimo* Romā nō venire nisi ad diē sibi assignatā & eodem die exire.

impedimento cessante, exibimus cum tota etiam, quãtum in nobis fuerit, gente nostra: & cessante etiam impedimento legitimo continuatis moderatis dictis, extra totam terram Romanæ Ecclesiæ. nos nostro gressu transferemus versus terras nobis subiectas, nunquam postmodum ad vrbem, vel ad alias terras Romanæ Ecclesiæ nisi de speciali licentia sedis Apost. accessuri: et siue ibi, siue alibi Imperialẽ receperimus coronã, terras Ecclesiæ non introibimus, nec in ipsis manebimus.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem vt supra, vice et nomine nostro, & pro nobis promittendi, ac in animam nostram iurandi, quod super ijs, vel eorum aliquo nullum impedimentum fingemus aut præstabimus, aut fingi vel præstari per nos, vel alios quantum in nobis fuerit permittemus.

Item vice & nomine nostro, et pro nobis promittendi, ac in animam nostrã iurandi, quod contra præfata, vel eorũ aliquod nullatenus per nos, vel alios veniemus; & si contrariũ quouis modo contingeret fieri per nos vel alios nomine nostro quãdocunq;, statim cũ hoc ad nostrã notitiã deductũ fuerit, illud reuocabim⁹, & faciemus quantum in nobis fuerit, effectualiter reuocari, et pro nõ facto volemus et decernemus haberi.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum plenã potestatẽ vt supra, si per præfatum Dominum Henricum Imperatorẽ, per nos,

nos, seu quemcunque alium vel alios nostro vel alterius nostrum nomine, seu auctoritate, aliqua sententiæ fuerint promulgatæ, seu processus facti, seu arrestationes personarum aut rerum, aut aliqua ad iurisdictionem pertinentia quãdocunque attentata, in Roma, *Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Ciuitatibus, Comitatib⁹, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis & terris aliis, & territoriis supradictis, vel in aliquo eorundem immediatè vel mediatè subiectis, illa omnia vice et nomine nostro, & pro nobis decernendi & promulgandi esse nulla. quodque si aliquæ fidelitates, homagia, obediẽtiæ, adnotationes, donationes, obligationes, occupationes seu concessiones qualescunque à prædicto Domino Henrico, vel à nobis aut altero nostrum, per nos, vel alium seu alios factæ fuerint, seu receptæ, pro* Roma, *Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatib⁹, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris, aliis & territoriis supradictis, vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus & iuribus in eis, vel sub eis, etiam constitutis à quibuscunque ciuitatibus vel personis etiã singularibus quouis modo, illa omnia fore nulla pronunciandi, & quatenus processerunt de facto totaliter reuocandi: & vice ac nomine nostro promittendi, & firmandi, quod ea omnia & singula pro non facto volemus & decernemus & promulgabimus haberi.*

Attentata contra iurisdictionem Eccl. reuocabit.

Item damus dictis nostris Procuratoribus, *& eorum cuilibet insolidum, plenam potestatem vt supra,*

vice & nomine nostro promittendi & iurandi, quod non ingrediemur partes Italiæ, nec in eis, nec de eis per nos, vel alium, seu alios aliquid administrabimus, aut quomodolibet disponemus, donec approbationem Apostolicam personæ nostræ fuerimus assecuti.

Promissiones aliæ pro defensione iurium & bonorum Ecclesiæ.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, plenam potestatẽ vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi vt supra, quod quandocunq; post approbationem prædictã, in Lombardiam & Tusciam, vel earum alteram, aliquem vel aliquos mittemus, vel constituemus in eis, faciemus eum & eos iurare, vt adiutor, & adiutores Domini Papæ, & ei⁹ Officialiũ sint ad defendendũ Romanam Ecclesiam, nec non Regna, Prouincias, Ducatus, Comitat⁹, Ciuitates, Oppida, Castra, Comitatũ Venusinũ, loca, terras alias, & territoria supradicta.

Item quod non occupabunt, nec recipient, nec acquirent, nec quouis modo vsurpabunt, Romam, aut Prouincias, Regna, *Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Castra, Comitatum Venusinum, loca, terras alias, & territoria supradicta* Romanæ *Ecclesiæ, in Italia vel vbilibet extra Italiam constituta: & specialiter, nec* Regna *Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, quæ de directo dominio, iure & feudo eiusdem* Romanæ *Ecclesiæ esse noscuntur; nec alia feuda, retrofeuda, seu qualibet alia loca ad eandem Ecclesiam mediatè vel immediatè spectantia, nec iura, personas, vel res ali-*

quas

quas in eisdem, nec dabunt, nec concedent vllo vnquã tempore in perpetuum, vel ad tempus aliqua de prædictis, sub colore, conditione, vel titulo quibuscunque.

Item quod prædictam Romanam Ecclesiam, aut vos, seu successores vestros, vel Officiales, Ministros, Vasallos & subditos eorum nõ inquietabunt, vel quomodolibet molestabunt in Roma, Regnis, Prouinciis, *Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris aliis, & territoriis supradictis, seu aliquo prædictorum, nec in casu etiam quo* Reges *prædictorum* Regnorum, *aut Ministros, Vasallos & subditos eorundem in regnis prædictis, seu pro eis, vel aliqua eorum parte aliquatenus molestabunt: nec aliquod dominium, iurisdictionem, superioritatem, seruitutem, Potestariam, Capitaneatum, vel aliud officium quodcunque, quocunque nomine censeatur, accipient, aut per eos, vel alios exercebunt in Roma,* Regnis, Prouinciis, *Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris aliis, & territoriis supradictis, vel in aliquo de eisdem: nec etiam fidelitatem, recognitionem, adnotationem aliquam quouis modo recipient, per se, alium, vel alios pro Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris aliis, & territoriis supradictis, vel pro aliquo eorundẽ, nec etiam pro quibuscunq; rebus, vel iuribus*

iuribus in præmißis, Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris aliis, & territoriis supradictis, vel in eorum, vel aliquibus eorum pertinentiis constitutis; etiamsi eis vel alicui eorum à quibuslibet communitatibus, vel personis singularibus, offerentur; nec etiam ius in aliud qualecunque vendicabunt, acquirent, vel occupabunt, seu quomodolibet, per se, vel alium, seu alios vsurpabunt, recipient vel exercebunt: nec concedent etiam recipi vel haberi in Roma, Regnis, Prouinciis, Ducatibus, Comitatibus, Oppidis, Castris, Comitatu Venusino, locis, terris aliis, & territoriis supradictis, vel in aliquo de eisdem, & specialiter in Prouinciis, Ciuitatibus, & terris supradictis, vel in aliquo de eisdem; & specialiter in Prouinciis, Ciuitatibus, terris & territoriis eorum & locis expreßis, in prædictis literis dicti Domini quondam Henrici Imperatoris.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis acceptandi, quod si huiusmodi officiales nostri, vel eorum aliquis super præmißis, vel aliquo præmissorum, quæ in dictis articulis immediatè præcedentibus continentur, molestauerint, seu molestari fecerint Romanam Ecclesiam, Regna, Prouincias, Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Castra, Comitatum Venusinum, loca, terras alias,

alias, & territoria supradicta, vel aliquod eorundem, inuadendo, occupando, seu quomodolibet acquirendo illa, vel aliqua prædictorum, in toto, vel in parte aliqua, vltra periurium in quod incident, sententiam excommunicationis ipso facto incurrant: & nisi infra duos menses ab attentatis destiterint, & ea omnia in quibus offenderint, in pristinum statum reduxerint, pœnas priuationis priuilegiorum quæ à Romana Ecclesia, vel aliis Ecclesiis, & feudorum quæ ab Ecclesia Romana, *vel aliis Ecclesiis tenent, & ab ipso imperio, incurrent.*

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, plenam potestatẽ vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, quod prædictos Officiales nostros, per nos in Lombardiam, vel Italiam mittendos iurare faciemus, quod nullam iurisdictionem exercebunt in Roma, Regnis, *& terris Ecclesiæ supradictis.*

Item damus dictis Procuratoribus *nostris, & eorum cuilibet insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, & in animam nostram iurandi, quod omnes supradictas promissiones, & iuramenta, & etiam infrascripta renouabimus, & iterum faciemus singulariter & expressè post approbationem personæ nostræ infra triduum in persona propria, si præsentes fuerimus; si verò*

r non,

non, idem faciemus fieri per Procuratores nostros, habentes ad hoc sufficiens & speciale mandatum.

Item damus dictis Procuratoribus nostris & cuilibet eorũ insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, quod nihilominus post consecrationẽ & coronationem nostram Imperialem infra dies octo, consecrationem & coronationem eandem immediatè sequentes, pro firmitate maiori omnium prædictorum, ipsa omnia & singula ratificabimus, & etiam renouabimus singulariter & expreßè, & quod super præmißis omnibus & singulis, & qualibet vice de prædictis iuxta præmissam distinctionem temporum dabimus literas nostras quadruplicatas eiusdẽ tenoris patentes & sufficientes & sigillo, quo dictis vtemur temporibus, communitas.

Item damus dictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam & liberam potestatem, & speciale mandatum in animam nostram iurandi, quod nullam promißionem, nullum pactum, nullúmq; iuramentum, nec aliquid aliud faciemus, per quod præmißis vel eorum alicui posset in aliquo quomodolibet derogari; & quod illi, vel illis, adhuc per sanctitatem vestram specialiter deputandis, & Notariis tanquam personis publicis pro vobis & pro Romana Ecclesia, & pro omnibus supra expreßis, quocunque nomine censeantur, ac etiam pro omnibus aliis quorum interest, vel intererit seu interesse poterit in futurum, reci-

recipientibus, & solenniter stipulantib' promittemus, & super sancta Dei Euangelia corporaliter manutacta iurabimus præmissa omnia et singula nos facturos, completuros, & nullo unquã tempore per nos vel alios, contra illa, vel aliqua de illis quouis modo venturos, & si, quod absit, contingeret nos facere, dicere, promittere, vel iurare aliqua vel aliquod, quod præmissis, vel præmissorũ alicui posset aliqualiter obuiare, vel nos, vel alios ad aliquid secus agendũ inducere, vel nobis occasionẽ agendi contra prædicta, vel aliquod prædictorũ quomodolibet ministrare, nihilominus illis nequaquã obstantibus, prædicta omnia cõplebimus, & inuiolabiliter obseruabimus, & ad ea complenda, & inuiolabiliter obseruanda ex promissionibus & iuramentis præmissis, sẽper nos volum' remanere obligatos. & ex nũc etiã attestamur et protestamur, nos velle et intelligere omnia præmissa et singula sic exclusa fore ab omnibus factis et faciẽdis, per quæ præmissis vel eorũ alicui posset quomodolibet derogari, quod illorũ prætextu vel occasione nullo modo liceat, licereue possit mutare aliquid in præmissis, vel facere contra ea, vel aliqua de eisdẽ.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis, bona fide promittendi, quod intrusos in Ecclesiis infra prædictum regnũ & Imperiũ consistentibus, & qui eas contra ius, libertatem, superioritatẽ et auctoritatẽ Ecclesiæ Roma-

næ detinent occupatas, vel eas detinuerint in futurum, si super hoc per sanctitatem vestram, vel sedem Apostolicam fuerimus requisiti, expellemus, ac pro posse expelli faciemus de illis, & prouisos per sedem Apostolicam iuuabimus, & faciemus iuuari, vt ad Ecclesias, quibus de eis per sedem Apostolicam prouisum est vel fuerit in futurum, realiter admittantur, suisque iuribus liberè vti poßint.

Jtem damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, quod nos bona, plena & integra fide, & quantum in nobis erit procurabimus, quod Principes & Prælati, Barones maiores de Alemannia iurabunt, & se sub literis sigillis eorum sigillatis obligabunt, quod si nos non seruauerimus promissa supra dicta, vel aliqua promissorum, quod nos non iuuabunt, sed contra nos erunt, & Ecclesiam adiuuabunt.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum plenam potestatem vt supra, Principes *prædictos ex nunc ab omni iuramento quo essent nobis adstricti, vice & nomine nostro, & pro nobis liberandi & absoluendi, & à fidelitate ex nunc prout ex tunc absoluendi, in casu, in quo nos fuerimus contra Ecclesiam, vel inuademus per nos, vel alios vrbem* Romanam, Regna, *Prouincias,*

Duca-

Ducatus, Comitatus, Ciuitates, Oppida, Castra, Comitatum Venusinum, loca, terras alias & territoria supradicta, aut aliquod de eisdem.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris & eorundem cuilibet insolidum plenam potestatem vt supra, vice & nomine nostro promittendi, quod circa terras, quas Dominus Rex Siciliæ tenet, extra terras, quas tenet ab Ecclesia, faciemus quoad commutationem, donationem, confirmationem, seu alias, prout vestra sanctitas volet, & ipsi Regi erit gratum, quem intendimus tractare sicut consanguineum & affinem præcipuum.

Item vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, quod dicto Domino Regi Siciliæ offeremus vnum nostrum filium vxorandum & gubernandum, prout vestræ sanctitati & ipsi Regi videbitur expedire.

Item vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, quod pro securitate fidelium Ecclesiæ in Tuscia, in terris videlicet Imperij faciemus dictum Dominum Regem Robertum Vicarium nostrum in vita sua irreuocabiliter, si, quantum, prout vestræ sanctitati placebit.

Item vice & nomine nostro, & pro nobis promittendi, quod cum prædicto Domino Rege Siciliæ, vnionem & confœderationem faciemus, prout vestra sanctitas duxerit ordinandum.

Item damus prædictis Procuratoribus nostris, & cuilibet eorum insolidum, plenam potestatem ut supra, vice & nomine nostro, & pro nobis consentiendi, & promittendi, quod si in præmissis articulis vel aliquo eorundem, aliquod esset ambiguum, dubium vel incertum, declarationi, interpretationi, correctioni, & suppletioni, & ordinationi Sanctitatis vestræ & Domini summi Pontificis, qui pro tempore fuerit, stabimus cum effectu.

Insuper damus & concedimus supra dictis Procuratoribus nostris omnibus, & cuilibet eorum insolidum plenam, meram, & liberam facultatem, auctoritatem & speciale mandatum, vice & nomine nostro, & pro nobis coram Sanctitate Vestra, & ubicunque Sanctitati Vestræ placuerit, vel visum fuerit expedire, obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, annullationes, & reuocationes quascunque vel qualescunque superius expressas, aut non expressas concedendi & promittendi, faciendi, firmandi, & confirmandi, finiendi & perficiendi, securitates etiam & cautiones, firmitates, cautelas, et obligationes, nec non pœnitentias & pœnas in prædictis articulis expressas aut non expressas quascunque & qualescunque ex parte nostra exhibendi, offerendi, suscipiendi, faciendi, complendi, firmandi & perficiendi, & etiam nos ad obseruationem omnium eorundem

dem & singulorum, & uniuscuiusque ipsorum astringendi et obligandi. Confœderationem insuper, ligam, concordiam & unionem cum Magnifico Principe Rege Roberto, ad ordinationem & voluntatem sanctitatis vestræ ex voluntate vestra faciendi, firmandi, complendi, perficiendi & roborandi, sub pactis, cautionibus, obligationibus, cautelis & firmitatibus quibuscunque, & cautiones, obligationes, pœnas & cautelas similes ab eodem Rege, nomine nostro recipiendi, & subscribendi supra scriptis omnibus articulis, & singulis, et unicuique ipsorum addendi, supplendi et adiungendi, ac ipsos & quemlibet ipsorum mutandi, corrigendi, et emendandi omnia et singula iuramenta, prout superius in articulis sunt conscripta: ac omnia et singula iuramenta per Imperatorem Henricum ultimum, et alios Reges, et Imperatores Romanos præstita, et quæcunque alia iuramenta, quæ Sanctitati vestræ præstanda videbuntur, in quocunque casu, seu casibus suprascriptis, vel aliis quibuscunque nomine et vice nostra in animam nostram iurandi, præstandi, et faciendi præmissa, et omnia et singula et unumquodque ipsorum, et generaliter omnia et singula, et quæcunque alia dictum negotium tangentia, in toto vel in parte aliqua, aut quæcunque, seu qualibet sui parte, seu ex eo pendentia directè vel indirectè superius expressa et non expressa, faciendi, geren-

*gerendi, exercendi, acceptandi, offerendi, laudandi, iurandi, approbandi, complendi, ratificandi, finiendi, firmandi, perficiendi, & effectũ, * mandatum singulariter & expreßè, etiamsi maiora & grauiora existerent quàm præmissa, & quæ nosmet facere possemus, si præsentes essemus propria in persona, etiamsi mandatum qualecunque & quandocunque exigerent speciale.*

* Locus deprauat°.

Promittimus insuper, quod prædictos nostros Procuratores omnes vel aliquos, vel aliquem ipsorum, pendente coram sanctitate vestra tractatu & negotio nostro prædicto, non reuocabimus, & si qua reuocatio, verbis vel factis, vel literis apparebit, ipsam pro nulla & irrita haberi volumus, & eam præsentibus irritamus, reuocamus, & annullamus; ita quod in quemcunque casum aut euentum vigorem habere non poßit, nec præmißis vel alicui præmissorum officere valeat, vel aliqualiter derogare.

Insuper vt præmissa omnia & singula, & vnumquódque præmissorum per nos efficaciter compleantur, & inuiolabiliter obseruentur, promittimus bona fide, & nihilominus sub hypotheca & obligatione omnium bonorum, rerum nostrarum, nos & omnia bona nostra, præsentia & futura, Notariis infrascriptis recipien-

cipientibus & stipulantibus legitimè vice & nomine Sanctißimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Benedicti Papæ XII. *prædicti, nec non vice & nomine Sacrosanctæ* Romanæ *Ecclesiæ, ac omnium & singulorum quorum interest, vel interesse poterit, quomodolibet in futurum, obligamúsque omnia & singula, quæ in præmißis & circa præmissa, aut quodcunque præmissorum per prædictos* Procuratores *& Ambasiatores omnes, aliquos, vel aliquem ipsorum præstita, promissa, iurata, annullata, reuocata, cassata, irritata, remissa, abolita, pronunciata, declarata, concessa, data, acceptata, recepta, laudata, obligata, astricta, decreta, promulgata, liberata, absoluta, commutata, donata, oblata, exhibita, suscepta, suppleta, addita, mutata, correcta, emendata, adiuncta, supplicata, completa, ratificata, finita, inita, concordata, roborata, confirmata, acta, gesta, & facta, seu quomodolibet procurata, ordinata, disposita & tractata fuerint, rata, firma, stabilia, solida, permanentia, certa, indubitata, placita, accepta & grata perpetuis habebimus temporibus, & ex nunc, prout ex tunc habemus: & quod contra ipsa vel aliquod ipsorum in toto, vel in parte aliqua, nullo vnquam tempore veniemus scienter, vel faciemus, per nos vel alios, verbis, literis vel factis, directè vel indirectè, tacitè vel expreßè, sub ratione, colore, conditione, titulo, vel causa quibuscunque: & quod prædictas, & prædicta,*

f *pro-*

promißiones, iuramenta, confirmationes, annullationes, reuocationes, cassationes, declarationes, concessiones, acceptationes, pœnarum receptiones, laudationes, obligationes, constitutiones, cautelas, decreta, promulgationes, liberationes, absolutiones, commutationes, oblationes, donationes, susceptiones, suppletiones, additiones, mutationes, correctiones, emendationes, adiunctiones, supplicationes, completiones, ratificationes, firmitates, & roborationes omnes & singulas, omnia & singula, ac omnia alia & singula, quæ prædicti Procuratores nostri, vel eorum aliquis, nomine & vice nostra fecerint, aut nos facturos promiserint: nos postquam assumpti fuerimus in Regem Romanum, faciemus in propria persona coram sanctitate vestra, vel alias, vbi & quando sanctitati vestræ videbitur expedire: nec non quod ipsas & ipsa, ac omnia & singula præmissa, & quodlibet præmissorum de nouo muniemus, firmabimus, & approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus, roborabimus nostris iuramentis, & instrumentis publicis, manu publicorum Tabellionum confectis, nec non nostris literis & sigillis & omni alia firmitate, & firmitatibus, ac modis quibus melius valere poterunt, & Sanctitati Vestræ videbitur expedire.

Et ad maiorem omnium & singulorum roboris firmitatem iuramus super sancta Dei Euangelia per

nos

nos corporaliter manu tacta, quod omnia & singula suprascripta, & quacunque alia, qua in pramissis & quolibet pramissorum per pradictos Procuratores nostros omnes, aliquos vel aliquem ipsorum facta, gesta, promissa, ordinata, & obligata fuerint, tenebimus, adimplebimus, cum omni efficacia & effectu, ac ea omnia & singula inuiolabiliter obseruabimus, & in contrarium per nos, vel alium, directè vel indirectè nunquam veniemus.

In quorum testimonium & roboris firmitatem presentes per discretos viros Fridericum de Ratispona Rectorem *Ecclesia in* W*olforshusen*, W*ernherum dictum Bellenbergh de* W*izzenhorn Diœcesis Augustana publicos Notarios infrascriptos publicari mandauimus, & sigilli nostri, quo hactenus vsi sumus, fecimus appensione muniri. Datum & Actum Vlma, Anno Domini M. CCC. XXXVI. Quinta die intrante Martio.* Presen*tibus Nobilibus & spectabilibus viris Ludouico Duce de Tegche, Bertholdo Comite de Traispach & Marsteren dicto de Nysen, Friderico Comite de Oetingen, & Religioso viro Fratre* W*olfermo de Nellemburch Magistro Ordinis Fratrum Theutonicorum Sancta Maria per Alemaniam, nec non honorabilibus viris Magistro Otthone de Rain Canonico Ecclesia Ratisponen. ad hac vocatis specialiter & rogatis.*

 Et

Et ego Fridericus de Ratiſpona Rector Eccleſiæ in Wolforshuſen Friſingenſis diœceſis præſcriptus publicus Imperiali auctoritate Notarius prædictorum Procuratorum ſeu Ambaſiatorum conſtitutioni, & ordinationi, ad omnes & ſingulos actus præmiſſos, nec non iuramentis & promiſſionibus, obligationibus & oblationibus, ac omnibus aliis & ſingulis ſupradictis per Sereniſſimum Principem Dominum Ludouicum præfatum geſtis & habitis, dum per ipſum agerentur & fierent, vna cum præſcriptis teſtibus præſens interfui, ac ipſa vidi & audiui, omnia iuramenta, promiſſiones, obligationes, oblationes, ac omnia alia & ſingula ſupraſcripta recepi ſolenniter, & ex officij mei debito fui legitimè ſtipulatus, vice & nomine Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Benedicti Papæ XII. *prædicti, ac vice & nomine Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac omnium & ſingulorum quorum intereſt, vel intereſſe poterit in futurum: & de ipſius Domini Ludouici iuſſu & mandato, præmiſſa omnia & ſingula in his duabus chartis ſimul conglutinatis & iunctis, & in earum iuncturis, meo ſolito ſigno bis ſignatis, licet alia manu legaliter conſcripta, publicaui, examinaui, & ipſis manu propria fideliter ſubſcripſi, nec non ſignum meum conſuetum hic etiam appoſui, requiſitus & rogatus, in teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum. Anno, die, nec non loco prænotatis in præſentia teſtium præſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum.*

Et

Et ego Wernherus Bellenbergh de Wizzenhorn diœcesis Augustensis præscriptus publicus Imperiali auctoritate Notarius, prædictorum Procuratorum seu Ambasiatorum constitutioni & ordinationi &c. vt in præcedenti subscriptione. ex MS. Bibliot. Vatic. num. 407. fol. 1.

5. Quid æquus lector amplius desideret in tanto Principe? Bzouius ergo si conscientiæ suæ voluisset satisfacere, laudare debebat Cæsaris modestiam, & animum ad optima flexum. Sed quid facit? Nouas calumnias eructat, & indigne Imperatorem lacerat. audiamus.

6. Bzouius. *Hæc quidem suprascripta omnia, Ludouicus Bauarus, tum sedi Apostolicæ spondebat, tum Oratoribus destinatis, vt Benedicto summo Pontifici exponerent, promitterent, iurarentque, committebat, & interim Regi Gallorum Philippo, negotium facessere cupiens, tum Anglorum Regem, tum Belgarum Principes aduersum illum concitabat, atque fœdere cum illis inito, aliud in literis, & per internuncios pollicebatur, aliud per confœderatos Regem & Principes tentabat. Quamobrem Benedictus Pontifex nihil tunc concessit; sed Oratores reuerti iussit, Ludouicumque admonuit, vt actus suos in melius dirigeret; Wilhelmum Occhamum hæresiarcham, eiusque collegas & socios Minoritas Bonamgratiam Pergomatem, & Michaelem Cæsenaticum sedi Apostolicæ dederet;* Col. 751. III.

{ 3 *decreta*

decreta aduersus Ioannem XXII. *Vicarium Christi retractaret, acta rescinderet, opprobria recantaret; edicto perpetuo publicè sanciret, neminem Cæsarem esse aut vocari priusquàm Sedes Apostolica electionem cognosceret atque probaret. Insuper ius ad Imperium ex noua electione quæreret, pactáque cum hostibus* Regis *Galliarum inita rescinderet, si Apostolicæ sedis gratiam promereri contenderet. Adiunxit, vt alios Internuncios ante mensem Decembr. huius anni ad Sedem Apostolicam mitteret, erroréssque olim admissos fateretur & eiuraret. ex Regest. Benedict. hoc anno. Causam huius conijcio ex Alberto Argentinensi huius tēporis scriptore, quod Rex Galliarū Philippus, bello iniquo à Ludouici confœderatis lacessitus duos Archiepiscopos, duos Episcopos, duos Comites, et totidē viros dignitatibus ijsdē illustres* Robertus *Siciliæ Rex, ad Benedictum misissent; qui nomine Regum suorum Pontifici proponerent, erroneum fore, si tantū hæresiarcham, quantus fuerat Ludouicus, Orbi Christiano præponeret, & fautor hæreticorum in posterum audiret. Promittebat Pontifex se meliora pacta à Ludouico pro prædictis Regibus, eorum Regnis & posteris exacturum, quàm si eum in turri conclusum tenerent. verumtamen nihil profecit, quod illi auxilia à Carolo Vngariæ et Casimiro Poloniæ, ab Ioanne Boëmiæ Regibus, ex pactis promissa, aduersus Ludouicum expectantes, alium Regem Romanorum designari*

ex-

exoptarent, et Ludouicum hæresiarchæ nomine execrarentur. Cardinalium quoque quamplurimi, non temere, Sedi Apostolicæ, ac sibi ipsis à tot tantorúmque Regum conspiratione metuentes, Benedictum à Ludouici absolutione retrahebant, asserentes; inconsultum fore, tot Reges ac Principes Christianos, propter vnum impotentem & inopem, ac quod deterius erat, hæresis labe pollutum, offendere, & à Sede Apostolica alienare. Itaque necesse habuit Benedictus, Ludouicum officij erga Reges admonere, necessitatémque excusandi vel eiurandi hæreses, ac errores admissos detestandi imponere. Sic dato alio termino deliberationis, Nuncios Ludouico remisit, cúmque illis solemnem Legatum ad Ludouicum, Episcopum Magalonensem, qui eius mores et motum erga Ecclesiam indagaret, ire iussit. Albertus Argentinens. in Chron.

7. Si mihi liceret Regestrum Benedicti inspicere, fortasse intuerer in eo historicum fidei oblitum Bzouium: iam supra monui, sine manu Notarij nec Regestro nec alteri codici à te laudato in tuo libro me contra Ludouicum credere; in autographo crederem. Vbi tu in tuas chartas quid transfers, semper quid à tuo calamo contrahit inficitúrque. nam quæ hîc quasi ex Benedicti Regestro refers, ea ex tuo prognata esse cerebro, facilè demonstrabo.

8. Pronunciatum I. *Ludouicus Anglorum Regem*

Regem & Belgarum Principes aduersum Gallorum Regem Philippum concitabat. Ante retulimus & Pontificem & Cardinales Regi Gallorum ob immania postulata fuisse infensos, & ea de causa respicere cœpisse Ludouicum Cæsarem: iam verò si in hunc Philippum Ludouicus alios Principes concitasset, valde scilicet offendisset Pontificem Cardinalésque, vt eum vinculis Ecclesiasticis expeditum & liberum nollent. Deinde plus quam falsum est, abs Ludouico Regem, & Principes illos fuisse concitatos, & scribis tu Bzoui omnia, quæcumque animo tuo in Cæsarem hostili offeruntur. Iugulabo te suppetiis tui auctoris Argentinēsis, Rebdorfiíque, qui tunc viuebat, scribebat, & multa præsens videbat; & Frossardi Galli; imò teipsum Bzouium in Bzouium percussorem imittam. Primo Argentinensis ait, *Eduardus autem Rex Angliæ valentissimus, renouato contra Philippum prædictum regem Franciæ odio antiquo prætendens se verum regni hæredem, habitis tractatibus cum Flandrensibus, duce Brabantiæ, comitibus Hollandiæ, Gelriæ, Iuliacensi, Montium, & aliis inferiorum partium magnatibus, qualiter posset ipsum Francum inuadere, cogitauit. Quamuis autem iidem Principes Aquilonis ipsum Francum ipsis grauem, exosum haberent; cum tamen omnes quasi eius essent vasalli, nisi ab Imperatore mouerentur cuius essent homines ligij, inuadendi*

Pag. 127. §. vlt.

dendi eum cum honore occasionem aliquam non habebant. Et ecce Rex Angliæ cum reuerentia accedens Principem in villa Rens super Rhenum, sibi facto homagio, colligauit se eidem. Princeps verò ipsum regem, datis super eo literis Imperialibus, generalem Vicarium per Germaniam & Teutoniam deputauit. Scripsit quoque literas princeps regi Franciæ, quem Philippum de Valesio nominauit, quod ab occupatione terrarum Imperij desisteret, ac fideli Imperij Eduardo regi Angliæ, principi suo dilecto super querelis suis iustitiam faceret coram ipso Principe: alioquin cum ipse Philippus feuda quæ teneret ab Imperio, non recognouisset, sicut rex Angliæ, ipsi Eduardo aßistere cogeretur in quantum iustitia persuaderet, & diffidare, id est hostem declarare *Philippum.* Spiegel in lexic. iur. *Quo diffidato & monitis inferioribus* Principibus, *vt aßisterent imperio, vt tenerentur: omnes iidem Principes sunt regi Angliæ colligati. De qua diffidatione Papa Benedictus, ea intellecta multum iocundabatur.*

9. Hem Bzoui, media in luce deprehensus es; audes luto hoc tuas chartas aspergere, & dicere Pōtificem nihil tunc concessisse Oratoribus Ludouici, quod Philippo Gallorum Regi negotium facere cuperet, & concitaret Regem Angliæ Belgarúmque Principes aduersus Gallum? Ipse Anglus Ludouicum concitauit, & fœdere sibi astrinxit: Pon-

tifex adeò non offensus hoc Ludouici facto fuit, vti etiam sicut Argentinensis scribit, iocundaretur. Vin etiam in Rebdorfio tuo quid legere? *Magna*, inquit, *discordia oritur inter* Philippum *Regem Franciæ, & Eduuardum Regem Angliæ, quod prædictus Rex Angliæ quasdam terras in littore maris Anglici, videlicet Normanniam, Britanniam, & Wasconiam diu occupatas retroactis temporibus minùs iustè per Reges Franciæ recuperare volebat. Et hoc cum dicit, regnum Franciæ ad se deuolutum tanquam ad proximiorem hæredem. Iste* Rex *iuuenis adhuc quia circiter triginta annorum, sapiens, prouidus, virilis & fortunatus in bellis, regnum Scotorum sibi subiiciens, contra* Regem *Franciæ auxilium quærit ab Alemannis, propter quod maximum thesaurum Alemaniam mittit, vnde veniens in Alemaniam se confœderauit cũ Ludouuico prædicto in Confluentia diœcesis Treuerensis, & Luduuicus promittit ei assistere contra* Regem *Franciæ, pro quo promittit ei thesaurum, quater centies millia florenorum magnorum, cuius partem dedit, similiter & Principes Alemaniæ & maximè inferiorum partium subsidium ei* Regi *promittunt.*

P.426.§.3

18. Aduerte Bzoui. Rex quæsiuit auxilium à Germanis; venit in Germaniam ad Ludouicum, ea de re pecuniam spondet & offert: quis concitator belli est, Bzoui? Ludouicus Cæsar? ineptus tu

es,

es, ſed ineptiam donarem niſi etiam iniurioſus eſſes. Duobus teſtibus addo tertium Froſſardum, qui hæc in eandem ferè ſententiam, *Anglus etiam, vt negotia ſua melius conficeret, & Germanicorum principum animos ſibi adiungeret, Antuerpiam venit: vbi cum Ducibus Geldriæ, Iuliaco, Archiepiſcopo Colonienſi & multis aliis amicitiam firmauit. Et ne quid ea re Cæſar offendi poſſet, placuit, Angli cæterorúmque nomine, mitti Iuliacenſem. Cæſar adeò non improbauit cauſſam, vt etiam Angliæ* Regem *conſtitueret Imperij* Romani *Vicarium.* 1. Gallicar. rer. p. 21. §. 2.

11. Denique os tuum tute ipſe confundis paullò pòſt, *Eius Legationis* Anglicæ apud Gallũ obitæ *relatione Edouardus excanduit, bellúmque ex his atque aliis cauſis pene funeſtum Galliæ illaturus, primo Flandros petiit: ibique apud Antuerpiam fœdus cum Ludouico Bauaro Philippi* Regis *non multum amico iniuit.* Et paulò pòſt in eandem ſententiam, *Jnter hos tumultus cum probro maximo Chriſtianorum, arma in Belgio, Gallia Aquitanica, & Scotia circumferrentur, et* Rex *Edouardus, præter Ludouicũ Bauarum, Archiepiſcopũ quoq; Colonienſem, Ducẽ Brabantiæ, Comitem Hannoniæ, Ioannem patruum, Ducem Gelriæ, Marchionẽ Iuliacenſem, éque Germania plurimos proceres in fœdus traxiſſet,* &c. Agnoſcis hæc tua verba Bzoui? adhuc belli Gallici concitator eſt Ludouicus? an Anglum Col. 760. VII. §. vlt.

Cæſar, an Cæſarem Anglus traxit? pulcherrimum refutationis genus ab auctore auctorem euerti.

12. Pronunciatum II. *Quamobrem* (quia Ludouicus Gallo negotium faceſſere cupiens, Anglũ & Belgas in eum concitabat) *nihil tunc* Benedictus *conceſſit*. Quam hoc de cauſa repulſæ verum ſit, ad precedens pronunciatum abundè monſtrauimus.

13. Pronunciatum III. *Benedictus oratores reuerti iuſſit, Ludouicúmque admonuit, vt actus ſuos in melius dirigeret*. Bzouianum & hoc. Albertus
N. 1. Argentinenſis, vti tu ipſe ſupra retuliſti, ſcribit Nuncios Ludouici anno ſuperiore miſſos atque à Papa & Cardinalibus edoctos, qualiter & ſub qua forma redire deberent, & ſub quibus articulis abſolutionem & gratiam petere, iterum hoc anno à Ludouico cum illis articulis & mandatis ſufficientiſſimis fuiſſe reuerſos ad Papam in hac ipſa legatione; de qua hîc agis. Ergo ante, non poſt hanc demum legationem Benedictus Ludouicum admonuit, quid facto opus eſſet. Dices vtramque illam ex Argentinenſi à te exſcriptam legationem ad huncannum pertinere. Optimè. Tu ergo ibidem non refers ex eo auctore, quid ſuperiore, ſed tantum quid hoc anno inter Benedictum & Ludouicum ſit geſtum. Atqui hæc tua verba ſunt, *Quid hoc & ſuperiore anno inter Benedictum ſummum Pontificem, & Ludouicum Bauarum geſtum ſit, Albertus*

bertus Argentinensis, qui viuebat, & scribebat, hæc retulit. Deinde anno præcedente priorem legationem ex eodem Argentinensi tanquam illo ipso anno 1335. missam memoras. Sed esto, vtraque legatio ad hunc annum pertinuerit; nihilominus responsa illa legatis à Papa & Cardinalibus apud Argentinensem data valde discrepant ab iis, quę tu narras, quasi Pontifex simulationem nescio quam in Ludouico notasset, & per oratores remissos curasset Cæsari dici, vt actus suos (tecum loquor Bzoui) in melius dirigeret. *N. VII.*

14. Pronunciatum IV. *Benedictus postulauit vti Cæsar Ockamum hæresiarcham eiúsque Collegas & socios Minoritas, Bonamgratiam Pergomatem, & Michaelem Cæsenaticum sedi Apostolicæ dederet.* Meritò à te testem exigo Bzoui; neque enim mihi satis est nominari à te regestrum Benedicti: iustum sine dubio illud est, sed tu non semper es. Imo enimuero vel teipso teste decipis Bzoui. Supra ipse scribis, *Obediuit monitis* Pontificiis Ludouicus, idque confirmas adiuncta Ludouici ad Benedictum epistola: rectè habet. Si obediuit, tunc etiam Minoritas dedidit; atqui hoc apertè vero aduersatur, nam nunquam dediti sunt, & in epistola Ludouici (in qua Pontifici satisfecit, & obediuit) nulla Minoritarum fit mentio; quos tamen Ludouicus vtique se dedere aut dediturum scripsisset, si eos dedidis- *Col. 751. IV.*

 didis-

didiſſet. Quod ſi à Benedicto poſtulati fuiſſent Franciſcani, Ludouicúſque dedere eos recuſaſſet, neque ego, neque tu verè poſſemus dicere Ludouicum monitis Pontificiis obediuiſſe. Ergo vel non ſunt Minoritæ poſtulati, vel Ludouicus non obediuit; elige aut hoc aut illud; in vtroque captus es.

15. Pronunciatum V. *Benedictus Cæſarem Ludouicum monuit, vt edicto perpetuo publicè ſanciret, neminem Cæſarem eſſe aut vocari, antequam Sedes Apoſtolica electionem cognoſceret atque probaret.* Hoc veritati aduerſari inde manifeſtum efficitur, quod Ludouicus neq; præſtiturum id ſe in eadem epiſtola profeſſus fuerit, neque præſtiterit; ergo aut petitum non fuit, aut rurſus Cæſar non obediuit Papæ monitis, quod tamen Bzouius affirmat.

16. Pronunciatum VI. *Benedictus monuit, vti Ludouicus ius ad Imperium ex noua electione quæreret, pactáque cum hoſtibus Regis Galliarum inita reſcinderet, ſi Apoſtolicæ ſedis gratiam promereri contenderet.* Et hæc Bzouiana impoſtura eſt, nunquam enim Ludouicus nouum ius ex noua electione ad Imperium ſe quæſiturum in epiſtola illa promiſit, nec quæſiuit; quomodo ergo monitis Papæ obediuit? Deinde ineptitudine ipſa ineptior es Bzoui, quod Galli patronum conſtituas Benedictum. Itáne verò? tantopere Benedicto Gal-

licæ

licæ res curæ & cordi fuere? Quid ergo post paulo N. VII. §. vlt.
scriptitas ex Villano? *Philippus*, ais, Galliæ Rex *vt Eduardum* Angliæ Regem *à Flandrico bello auerteret, deposita sacra militia cura, Scotos ad bellum repetendum impulit, militéque & pecunia iuuit: Genuensium insuper naues precio conductas à Tycitheno in Oceanum, ad diripiendas Anglorum & Vasconum naues orámque maritimam exciuit, & iis populis qui in reliqua Aquitania parebant, bellum acerrimum intulit: eámque ob causam apud Christianas gentes malè audiit, Benedicto Pontifice succensente, quod deserto sacra militia Anglicum bellum suscepisset*, & quidem, vt Villanus notat, ex sua parte iniustum. Hæc tu aduersus te. Valde nimirum laborauit Benedictus, vt Cæsar ab Anglo desciscerer, & Gallo amicus fieret, cui ipse non erat: & quid si Ludouicus hoc tempore nondum fœdus contraxisset cum Anglo? tu certè post ista societatem primùm initam infra commemoras, idémque nos mox confirmabimus. Quomodo ergo Pontifex Ludouico mandauit, vt pacta nondum conuenta cum hostibus Regis Galliæ rescinderet? Et tamē de tam apertè falsis audes citare Regestrum Benedicti, in quo, à nobis licet nunquam viso, nihil eiuscemodi contineri iam demonstrauimus. Produc si potes, contra nos epistolam aliquam Benedicti.

L. 11. c. 45. in · N. VII.

17. Porrò Bzouius qui Prophetam non potest, saltem

saltem coniectatorem agere incipit, sed mirificū. nam quod Albertus Argentinensis sine cortice vllo in medium ponit, ipse coniectura tantùm assequi sese simulat; certissimum est apud Argentinensem, Gallum Siculúmque Reges impedimento fuisse, ne Cæsar in gratiam Ecclesiæ reciperetur. Pontifex enim admodum in eum animo & affectu ferebatur, atque idcirco legatis in hunc modum respondit: *se & fratres suos de hoc, quòd nobilis ramus Ecclesiæ Alemannia, qui se in persona Domini Ludouici, lædi per Ecclesiam æstimans, iam ab arbore Ecclesiæ separari cœperat, eidem arbori cum tam magno honore sedis redintegraretur, plurimùm gratulari: multùm commendans Alemanniam, & dominum Ludouicum, quem nobiliorem mundi dicebat; conquerens regi Italiam per tyrannos, ac regnum Armeniæ capi à Paganis, cuius principes tempore Ioannis Papæ & suo, Christianorum implorabant auxilium, ac terram sanctam propter imperatoris carentiam occupari; vnde merito dixit absolutionem eidem impertiri se debere, quæ & dari crastino sperabatur.*

P. 126 §. 2 post m.

18. Quid defuit ad Ludouici absolutionem Bzoui? crastinus tantum dies; & felix illuxisset etiam nisi importuni tribuni Gallus Siculúsque intercessissent: verum isti Reges non iis de causis fortunæ Cæsaris sese opposuere, quas tu non sine dolo

lo adfers: significas enim te illas ex Argentinensi haurire, & tamen non nescius es, eas ipsas ab Argentinensi nesciri. Placet primum subnectere verba Argentinensis. fol. 126. §. 4

19. *Verum prædictus* Rex Franciæ, *& Rex Siciliæ, seu Apuliæ, omnes quasi Cardinales à proposito auerterant præconcepto. Venerant enim ad impediendum factum ad Curiam, duo archiepiscopi, duo episcopi, & duo comites, ex parte regis Franciæ, & totidem ex parte regis Roberti: proponentes erroneum esse, tantū hæresiarchā præponere dominis eorum ecclesiæ fidelißimis: Papámq; cauere debere, ne fautor hæreticorū diceretur. Papa verò dicente: Quid volunt domini vestri, quod non sit Imperium? illis verò proteruè dicentibus: Pater non impingatis hoc dominis nostris vel nobis, quod nō dicimus, quia contra Imperiū non loquimur, sed contra personā Ludouici damnatā. Cúmq; diceret Ludouicū multa contra ecclesiam fecisse, Papa dixit: imò nos fecimus contra eū: ipse n. cum baculo venisset ad pedes prædecessoris nostri, si voluisset, sed ipse noluit eum recipere: & quicquid ille fecit, quasi prouocatus fecit. Quantumcunq; autē Papa assereret, se meliora pacta ab ipso Ludouico, pro prædictis regibus, eorum regnis & posteris extracturū, quam si eum in turri tenerent, penitus nil profecit. Rex Franciæ etiā in terra sua vndiq; bona & redditus Cardinalium interdixit & occupauit. Scripserant etiam illis diebus ad Curi-*

am, Iohannes rex Bohemiæ, et Henricus dux Bauariæ, gener eius, quòd de auxilio Hungariæ & Cracouiæ regum et aliorum, alium vellent constituere regem Romanorum potenter. Et sic Cardinales Papam pro tunc ab absolutione principis retraxerunt, dicentes: cum sui in partibus suis vellent eum destituere, inconsultum esse sedi si propter impotentem & inopem tot Principes offensaret. Sic dato alio termino deliberationis, nuncij principis infecto negotio sunt reuersi. Pergamus igitur & excutiamus dicta tua.

20. Pronunciatum VII. *Galliæ rex absolutioni Cæsaris restitit, quod bello iniquo à confœderatis Ludouici lacesseretur.* Hoc pronunciatum neque per cuniculos neque per coniecturam vllam mihi Bzouius ex Argentinensi eruet; bellum illud non huius loci aut temporis fuit, quod ille pudore omni exuto hîc prætexit, quodque non modò post hanc priorem sed etiam post posteriorẽ huius anni à Ludouico ad Benedictum missam legationem à Wilhelmo Comite Iuliacensi, & Roberto Comite Palatino Rheni obitam ortum est, vt & confœderatio Ludouici cum Rege Angliæ; quod Rebdorfius disertè docet, & ipso narrationis ordine indicat Argentinensis [a], vbi prius [b] non solum prædictam legationem, sed & bellum Regum Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ cum Ludouico, & duas insuper alias legationes, vnam Benedicti ad Ludouicum,

Pag. 426. §. 2. & 3.
a P. 127. §. vlt.
b P. 126. § 2. & seqq.

uicum, alteram Episcoporum Prouinciæ Moguntinæ ad Benedictum pro Ludouico præmittit confœderationi Ludouici cum Anglo & Belgis contra Gallum, & bello confœderationem secuto. Hoc ergo bellum per iniquam anticipationem Bzouius hîc addidit.

21. Pronunciatum VIII. *Legati Regum Pontifici proposuerunt, erroneum fore, si tantum hæresiarcham, quantus fuerat Ludouicus, Orbi Christiano præponeret, & fautor hæreticorum in posterum audiret.* Argentinensis ita ait, *Proponentes* Legati *erroneum esse tantum hæresiarcham præponere Dominis eorum ecclesiæ fidelissimis: Papámque cauere debere, ne fautor hæreticorum diceretur.* Ex quo iudicare lector potest Bzouij vel inscitiam vel malitiam. nam vel auctores non intelligit, aliáque illis adfingit, vel intellectos peruertit. Legati aiebant non posse sine errore fieri, vti Pontifex Cæsarem præponat eorum dominis, nempe duobus illis Regibus, Galliæ & Apuliæ. Ludouicus reconciliationem cum Ecclesia petebat, duo Reges petenti obsistebant; Pontifex inclinabat in Cæsarem. Legati obtendunt erraturum Pontificem si spretis ipsorum dominis Ludouici postulata anteferret. Sed Argentinensis verba vel Bzouij intellectu superiora fuere, atque idcirco ex dominis eorum Galliæ & Apuliæ, ex duobus inquam Regibus Or-

 bem

bem Christianum fabricauit: vel quod magis crediderim (neque enim verba tam obscura sunt) videbat reges illos à Benedicto petere, vt ipsis potius quam Ludouico imperium decerneret. Quod cum indicio esset, eos magis ambitione quàm iure contra Ludouicum agere, aliam sententiam substituendam censuit. Et quia Legati Cæsarem hæresiarcham appellarunt, confert etiam Bzouius suam symbolam, addítque, *Quantus fuerat Ludouicus*; nec veritus est iniuriæ quam reges Ludouico intulère, maius pondus adiicere, cum tamen falsissimum sit Ludouicum hæresiarcham fuisse. Bzouius inter historicos Ecclesiasticos hæresiarcha est; nam ab aliis, qui vera scripsere, desciuit. Illud obliuionis, vel negligentiæ, vel nimiæ de memoria confidentiæ, vel imprudentiæ, vel ignorantiæ est, quod ait, *erroneum fore si Papa fautor hæreticorum in posterum audiret*; cum Argentinensis longè aliud dicat, *Papam* nimirum *cauere debere, ne fautor hæreticorum diceretur.*

22. Pronunciatum IX. *Promittebat* Pontifex *se meliora pacta à Ludouico pro prædictis Regibus, eorum regnis & posteris exacturum, quàm si eum conclusum in turri tenerent*. Nónne videt lector saltum Bzouianum? quàm multa quàm præclara de Cæsare à Pontifice dicta malignè præterit! antequam Pontifex ad hunc sermonem

nem deuenerat, ista præmisit, *Quid volunt domini vestri* (Legatos regios alloquebatur) *quòd non sit imperium? Illis proterue dicentibus* (Bzouiano ore loquebātur) *Pater non impingatis hoc dominis nostris vel nobis, quod non dicimus, quia contra imperium non loquimur, sed contra personam Ludouici damnatam. Cúmque dicerent, Ludouicum multa contra Ecclesiam fecisse, Papa dixit: imo nos fecimus contra eum: ipse enim cum baculo venisset ad pedes prædecessoris nostri, si voluisset; sed ipse noluit eum recipere: & quicquid ille fecit, quasi prouocatus fecit.* Hactenus Pontifex apud Argentinensem, quæ Bzonius cur omiserit, scio.

23. Pronunciatum X. *Pontificem nihil profecisse, quod illi auxilia à Carolo Vngariæ, à Casimiro Poloniæ, ab Ioanne Boëmiæ regibus ex pactis promissa aduersus Ludouicum expectantes, alium Regem Romanorum designari exoptarent, & Ludouicum hæresiarchæ nomine execrarentur.* Ebrius es Bzoui, neque quid blateres nosti. Vbi Argentinensis vnicus testis tuus scribit, quod Gallorum Siciliæque Regi promissa fuerint ab Hungaro, Polono, Bohemóque regibus auxilia? omnia misces, omnia vertis. *Scripserant illis diebus,* inquit Argentinas, *ad Curiam, Ioannes Rex Bohemiæ, & Heinricus dux Bauariæ, gener eius, quod de auxilio Vngariæ & Cracouiæ regum et aliorum, alium*

vellent constituere Regem Romanorum *potenter*. Itaque Pontifici Cardinalibúsque ista perscripsere Bohemus & Bauarus Heinricus; nihil ad Gallum, nihil ad Siculum. Bzouius omnia in chaos confundit.

24. Pronunciatum XI. *Cardinalium quamplurimi non temere sedi Apostolicæ ac sibi ipsis à tot tantorúmque regum conspiratione metuentes, Benedictum à Ludouici absolutione retrahebant*. Argentinas ita loquitur, *Rex Franciæ etiam in terra sua vndique bona & redditus Cardinalium interdixit & occupauit*. En Bzoui, repagulum Cæsari obiectum, en modum auertendi Cardinales à sanioribus consiliis: quem tu omisisti, ne illi suam potius quàm Ecclesiæ causam aduersus Ludouicum agere viderentur. Mox Argentinas refert de literis Bohemi eiúsque generi, & de auxilio Hungariæ & Cracouiæ Regum & aliorum; de quibus Bzouius ante tempus, vt non modo res, sed etiam rerum ordinem peruerteret. Adiungit demum Argentinas, *Et sic Cardinales Papam pro tunc ab absolutione Principis retraxerunt, dicentes: cum sui in partibus suis vellent eum destituere, inconsultum esse sedi, si propter impotentem & inopem tot Principes offensaret. Sic dato alio termino deliberationis, nuncij Principis infecto negotio sunt reuersi*. Igitur quia Cardinalibus Ludouici hostes fortiores visi, ac magis metuendi

tuendi, posthabitus ipse est, & alieno timore neglectus, non tam iuris quam timoris & incommodorum habita ratione.

25. Sed quam impotens & inops Ludouicus fuerit, mox euentus belli ostendit, quo sese Cæsar aduersus feroces & militari potentia superbos hostes inuictum præstitit. Bzouius rem omnem, vt quæ maximè ad laudem Ludouici pertineret, tacitus præteriit, *Et ecce illis diebus*, ait Argentinas, Pag. 126. *Carolus Rex Hungariæ, filius fratris prædicti Rober-* §. vlt. *ti Regis, terram Ducum Austriæ, tunc fautorum Principis ingressus, ipsam multis hebdomadis potenter vastauit. Prædicti autem Bohemiæ & Cracouiæ reges & Henricus dux Bauariæ, terram Principis Bauariam superiorem ingredi intendebant. Princeps autem gentem inuictißimam congregans, terram Henrici ducis, inferiorem Bauariam ingressus est cum septem millibus galeatis, illam* XVII. *hebdomadis deuastando. Rex autem Hungariæ audiens tam fortem exercitum adesse Principi, ab Austria sine mora recessit, aduentum eius etiam in Hungaria pertimescens. Alij verò tres, quamuis magnam haberent gentem, expectare Principem in campo non audebant. Veniens autem dux Austriæ ad Principem, exercitum eius in Bohemiam ducere nitebatur. Exercitus verò diu in campo fatigatus, se grauem reddebat, itaque hinc inde exercitus sunt reuersi. Dicebatur autem,* quod

quod exercitus Principis, quàm diu habuisset victum, in omni parte mundi iacuisset inuictus. Gloriabatur autem Papa Benedictus ab exercitu Principis, cum sibi referebatur, dicens ad Cardinales: Isti dicunt eum esse destitutum (notando Principem Ludouicum) sed quis adhuc ingressus est locum suum?

26. Libet Pontificem Benedictum imitari, & Bzouium interrogare. Tu Bzoui ex Cardinalium sententia scribis Ludouicum viribus, & belli neruis destitutum, atque vt id verum videatur, subsecuti belli euentum dissimulas; sed quis in profligati locum successit? Et Bohemus, & alij hostes, quàm diu vixit, Cæsaris nomen horruêre, senseruntque imperij contempti acerrimum vindicem. Sed necdum finis eorum, quæ Bzouius tenebris damnauit. *Obsidentibus quoque oppidis Imperialibus ad mandatum Ludouici, oppidum* Keysersberg/ *regi Bohemiæ obligatum: conuentum est: quod nisi rex Bohemiæ infra certum tempus ipsos liberare posset, Ludouico ex tunc obedirent. Rege verò Bohemiæ eos non liberante: Ludouicus ad ius imperij oppida* Keysersberg/ Türckheim/ Münster/ *castrum* Blicks-berg/ *prius per se obligata Bohemo, retraxit.*

27. Pronunciatum XII. *Cardinalium quamplurimos asseruisse, inconsultum fore tot* Reges *ac Principes Christianos propter hæresis labe pollutum* Ludouicum *offendere & ab Apostolica sede alienare.*

Com-

Comminiſcitur rurſum & quidem hoc totū pronunciatum Bzouius, ne ab indole ſua diſcedat: nihil Cardinales de hęreſi Ludouici apud Pontificem perorauere, nihil Argentinas excepit; Bzouius annales ſuos meris ſputis contaminat.

28. Pronunciatum XIII. *Itaque neceſſe habuit Benedictus Ludouicum officij erga Reges admonere, neceſſitatémq; excuſandi vel eiurandi hæreſes ac errores admiſſos deteſtandi imponere.* Vaniſſima ſunt hæc omnia Bzoui, & nullo, niſi te, hiſtorico digna. Argentinenſis teſtimonio falſo vteris; ſcribit ille quidem, ſed non tua, neque tu ipſius. Quidnam officij id fuit, cuius erga hos Reges Cæſarem Pontifex admonuit? Butabatta Mæuij.

29. Pronunciatum XIV. *Benedictus Nuncios Ludouico remiſit, cúmque illis ſolemnem legatum Epiſcopum Magalonenſem, qui eius mores & motum erga Eccleſiam indagaret.* Audacia & quiduis effundendi libido nunquam Bzouium deſtituit; vbi narrat Argentinas, cum Cæſareis legatis à Pontifice legatum miſſum? Imò Argentinas non obſcurè demonſtrat, poſt abitum Cæſarianorum multū interiectum temporis, antequam ab Apoſtolica ſede Nuncius ad Imperatorem abiret, nam nouum bellū inter Ludouici legatorū reuerſionē & Epiſcopi Magalonenſis à Benedicto ad Ludouicum miſſi legationem interponit, ſatíſque ſignificat, hunc

non cum illis, ſed diu poſt illos miſſum: exponit etiam nouam occaſionem & cauſam, ob quam Benedictus Epiſcopum illum ad Ludouicum miſerit, nam Reges Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ atque Henricus dux inferioris Bauariæ bellum, quod ſupra ex Argentinate recitauimus, Ludouico intulerant, ab eóque fugati fuerant, contra quā Cardinales ſperarant, & Papæ dixerant. Itaque rumore Auenionem perlato gloriabatur Benedictus aduerſus Cardinales. Adhæc quatuor oppida imperialia Bohemo obligata Ludouicus obſederat, & Bohemo auxilium eis non ferente, reſtituerat imperio. Quibus rebus auditis Benedictus miſit Magalonenſem Epiſcopum ad Ludouicum. Eas verò res Bzouius omiſit, quod non modo ad Ludouici laudem ſpectarent, ſed ad ipſius etiam Bzouij refutationem, dicentis Ludouicum quaſi in delictis perſeuerantem à Benedicto fuiſſe monitum officij & emendationis, cum contra Benedictus Ludouicum non modò non monuerit, vt in præſenti delinquentem, ſed etiam excuſarit de præteritis delictis, & de præſenti probitate ac felicitate laudarit.

30. Concludamus ergo contra Bzouium, Benedictum paratiſſimum fuiſſe, vt Ludouico meritam debitámque ipſius etiam Benedicti iudicio abſolutionem impertiretur: quo minus tamen id fieret,

fieret, per iniquas Regum Galliæ, Siciliæ, & Cardinalium intercessiones stetisse.

31. Bzouius. *Obediuit monitis Ludouicus, & datis die* XXVIII. *Octobris literis, missisque Oratoribus Guilelmo Comite Iuliacensi, & Roberto Comite Palatino Rheni, Duce Bauariæ, apud sedem Apostolicam, hæc quæ exactius ex datis eius literis cognosci poterunt, maxima cum submissione egit. Ita habent, datæ Nurembergæ: digna quæ propter notitiam antecedentium legantur.* Col. 752. IV.

32. Visum non fuit Cæsaris epistolam bene longam subscribere; fatetur vel inuitè Bzouius, eũ Pontificis obediuisse monitis, literísque & legatione illustrissima apud sedem Apostolicam maxima cum submissione egisse. Lector iam iudicium ferat, an aliorum, an Ludouici culpâ reconciliatio cum Ecclesia fieri nulla potuerit. Quis amplius quid exigeret ab Imperatore? Quis infimæ sortis homo plura posset promittere, quàm ille in ea promisit epistola? Quod si quis est, qui Cæsarem nimium vel pollicitum vel fassum putet, is apud sese reputet, à Pontifice & Cardinalibus aduersariis suis non parum iniquis formam ei & articulos, vt Argentinas loquitur, sub quibus gratiam peteret, fuisse præscriptos. Itaque nec de delictis Cæsaris, quæ in ea fatetur epistola, satis constat. Fortasse enim nonnunquam culpas aliquo modo

agnouit, vbi culpa non erat (quod bonarum men-
L. 12. ep. 31 tium est, Magno Gregorio auctore, accedente præ-
ad 9. 10. m. sertim iussu maiorum) vel dubia erat. Ipse Ponti-
fex non immeritò censuit Ludouicum dignum re-
stitutione in integrum, dignum piorum cœtu, di-
gnum imperio. Gallus, Siculus, Cardinales Gallici
sanguinis, qui tum maximo numero erant, pessu-
lum obdidere. *Quantumcunq; autem*, inquit Argē-
Pag. 127. 22. tinas *Benedictus Papa ad absolutionem Principis ni-
teretur, in prædictis tamen Franciæ & Apuliæ Regi-
bus, & quasi omnibus Cardinalibus, seductis per eos,
assensum habere nequiuit.* Sed audiamus Bzouium
non obtentæ gratiæ causas enarrantem.

Col. 751. V. 33. Bzouius. *Et quidem Ludouicus Bauarus
suprascripta* Procuratoribus *suis committebat, quos
cum Benedictus* Pontifex *in pleno consistorio audiuis-
set, pro primatu & auctoritate* Romani *Pontificis as-
seuerando, concionem eruditā coram omnibus dixit,
sumpto themate regij Prophetæ; Eripies me à contradictioni-
bus populi, constitues me in caput gentium. Pronunciata ea concio-
ne, nihil adhuc in negotio Ludouici Bauari decreuit,
quod Philippi Galliarū, &* Roberti *Siciliæ* Regis *ora-
tores nondum aduenissent. Ptol. in Bened.* XII.

34. Nihil placata mente credere possum eo-
rum, quæ tu scribis Bzoui; nam Pontificem nihil
decreuisse, eo quod Galliæ Siciliæque Regum Le-
gati nondum aduenissent, nihil persuades, tametsi
Pto-

Ptolemæum, vtique Lucensem, in Benedicto XII. cites, mirificè admodum; nam Ptolemæus historiam suam in Cælestino V. anno 1294. finiit, vti Gesnerus ex Volaterrano ostendit. Quod si ita est, *In Biblioth.* quî potuit Benedicti res gestas perscribere quadraginta annis posterioris? Alius fortasse Ptolemæo succenturiatus Benedicti vitam stylo prosequitur, qui tamen Ptolemæus non est, alioqui & tu Baronius esses, quia in Baronij officinam librariam intrasti, sicut cuculus in alienum nidum. Sed & hoc dubium mouet, quod scribas Regum legatos nondum aduenisse. An ista Ptolemæus tradit? Eo peruenisti Bzoui, vt lector quid verum, quídue falsum sit, vbique ambigat aut formidet. nam si Benedictus principio propterea nil in Ludouici negotio decreuit, quod legati regum illorum nondum aduenissent, Ludouici legati eos profectò expectarunt, & post eorum aduentum Benedictus decreuit non absoluere Ludouicum, quòd repugnarent Cardinales, & minas Gallus Siculúsque iactarent, vt alij auctores indicant. nam Rebdorfius tum viuebat, & sic scribebat, *Pag. 428. §. 2.* *Ludouicus solennes nuncios mittit ad Papam Benedictum pro reconciliatione ipsius ad Ecclesiam, videlicet Dominos Rupertum Ducem superioris Bauariæ filiũ fratris sui supra nominatũ, et Comitem Iuliacensem. Hic Papa gratiosũ se ostendit Ludouico, quoad*

x 3 *recon-*

reconciliationem, sed propter resistentiam Cardinalium & alios non est reconciliatio sortita effectum. Hæc Rebdorfius ad annum 1337. in quem fortasse desierunt, quanquam cœpta anno 1336. Videtur enim non alia fuisse legatio ab ea, quam Bzouius hic refert. nam quod in epistola alter legatorum Robertus dicitur Ludouici Imperatoris patruus, per errorem contigisse nullus ambigo, cum Imperator non nisi Hainricum patruum habuerit, eúmque iam anno 1290. mortuum, vt Auentinus[a], Arenbeckius[b], Gevvoldus genealog. duc. Boiar. generat. XVII. Nec dubito Robertum illum fuisse Ludouici nepotem ex fratre, seu vt Rebdorfius loquitur, fratris filium; errorémque natum ex eo, quod Ludouicus Roberti patruus esset.

a lib. 7. p. 690. ante m. & 718. post m.
b P. 198. fac. 2. & 205. v. 4.

35. Sed vt ad propositum redeamus, nominatim Galli legatos & adfuisse, & quo minus Ludouicus absolueretur, obstitisse docet Argentinas in hunc modum, *Vnde tandem Legatis principum,* inquit, *sæpe ad Curiam venientibus, quibus & legati regis Franciæ plures in Curia verecundias inferebant, in tantùm, quòd nullum poterant habere finem: respondit* Benedictus *asserens, sibi hoc non ab homine, sed à S. Spiritu inspiratum. Et creditur habuisse reformationem in animo, non cum tanto honore & commodo prædicti regis & sedis, sed cum eorum detrimento et scandalo processuram: quod et ipsius regis discri-*

Pag. 127. 24.

discrimina subscripta demonstrant. Et ex tunc Papa, *qui ab initio quasi mortem non curans, ea qua gessit in animo, patefecit, motum suum didicit occultare.* Habes Bzoui à scriptore, qui eo tempore vixit, & cum Benedicto Auinione fuit, verissimas causas repulsæ Cæsarianæ. Ludouicus absolui non potuit, quia Rex Galliæ Pontificis manus vinctas tenebat, perpetuus Ludouici æmulus & hostis.

36. Longè item aliter, quàm tu hìc & supra, scribunt auctores à te postea citati. Villanus enim, *Strenuus*, inquit, *Odoardus* Angliæ Rex *non perterritus fuit, sed liberè se defendit, se colligans cum Rege Alemannia dicto Bauaro, qui hisce temporibus* (anno 1336. & mense Octobri vel Nouembri, vt ex capite præced. ac seq. colligitur, in quos menses incidit ea, qua de agimus, Ludouici ad Benedictum legatio) *Oratores ad Papam miserat, vt ad misericordiam, & ad Ecclesia emendationem venire eiúsq; pacem habere posset; qua ab Ecclesia iam acceptata erat, si vltra mare transiret, & Ecclesia terras, id est Siciliam, Regnum Neapolitanum,* Patrimonium, *Picenum, Flaminiam, & ex gratia Florentinis eorũ districtum pacaret. Rex Gallia literis suis & oratoribus ad Papam & Cardinales missis turbauit hanc conuentionem, quia pro fratre regnum Arelatense Vienna habere volebat.* *N. VII. §. vlt. l. 11. c. 54 post m.*

37. *Massonus* in eandem rem hæc habet, *Edoardus*

4. Franc. p. 428. post m. *ardus verò per ſeſe impar, fœdus cum Ludouico Bauaro, qui Cæſarem agebat, iniјt, Philippi inimico, quòd pacem quam à Pontifice & Collegio Cardinalium impetraturus fuerat, impediſſet, rẽ vt videbatur iniquam petens, vt Cæſar regno Arelatenſium filium eius donaret.* Cúmque Maſſonus mox addat, ſe id ex Villani anno 1336. hauſiſſe, liquidò docet, ſe de eadem Ludouici legatione loqui, de qua Villanus: præſertim cum mox tranſeat ad annum ſequentem, ſignificans præcedentia contigiſſe in fine anni 1336. in quem etiam legatio Ludouici inciderat.

12. annal. Belg. an. 1336. 38. Scribit Meyerus, *Gallorum rex Philippus crudeliſſima quæque Pontifici minatur, ſi Cæſarem abſoluiſſet: tanto Gallus odio in eum ardebat, cui fidem integram officiúmque fidele debebat.*

l. 4. de Aeſt. anno 1337. poſt m. 39. Denique Pigna ait, *Cum terra maríque Francus in tanta rerum mole ſupremum virium ſuarum conatum editurus præſidia contraheret, Eduardus, quo facilius vim propulſaret, Cæſaris animum demeruit; is Franco infenſus, quod vetuiſſet ne* Pon*tifex aquæ & ignis interdictione pulſum gregi piorum reſtitueret, amicitiam cum Anglo iunxit.*

40. Itaque velim ſcire Bzoui quomodo tibi cum hiſtoricis conueniat? Diſturbaſſe iſti pacem aiunt Gallum per literas & legatos, & tu non aduenіſſe eoſdem ſcribis, ſignificáſque ſuſpendiſſe potius

potius Pontificem quàm dedisse. Libet hic addere testes duos antea non productos, qui Imperatorem ab Anglo Rege, non hunc ab illo in Gallum fuisse incitatum aiunt. Prior est Polydorus Vergilius, qui ad finem anni 1327. *Eduardus* inquit, *Ludouicum cognomento Bauarum Imperatorem in suas partes ducit. Ille continuo copias congregat, & vt Eduardo gratum faciat, eum Vicarium Imperij facit.* Posterior Gaguinus, *Eduardus*, inquit, *exulceratum animum gerens ob dirutam apud Xantonas arcem, aliáque sibi surrepta loca, per nuncios à Philippo petit ea omnia restitui. De qua re etsi crebro vltro citróque legationes intercesserint, impediente maximè Carolo Valesio nulla concordiæ via fuit. Vnde animatis ad bellum regibus Edouardus animaduertens* Philippum *Scotorum partes sequi, cum Ludouico Bauaro amicitiam init, atque armis se quàm maximè potest, instruit.* Angl. hist. l. 19. 8. Franc. ante med.

41. Bzouius. *Erat quod Philippus Valesius Rex Galliarum cunctaretur. Namque rumore non incerto constabat, Ludouicum Bauarum Eduardo Anglorum Regi aduersus Philippum suppetias tulisse, illúmque Imperij Vicarium in Germania inferiore constituisse. Hunc enim annum excepit bellum, inter duos illos* Reges, *Gallum & Anglum, sane luctuosum & admodum calamitosum rei Christianæ. Nullum Franciam, ex quo Romanorum arma sensit, atrocius* Col. 751. VI.

exercuit. Magna vtrimque contentione gestum & tandem vtrique regno acerbum. Ad hoc bellum gerendum, cum Edouardus Ludouicum in societatem armorum sibi coniunxisset, titulúmque Vicarij adeptus fuisset, eo nomine Hollandiam, Gelriam, Iuliacum, Agrippinam Coloniam, Brabantiam, Hannoniámque sibi adiunxerat. Altera ex parte Gallus Boemum, Scotum, Nauarum Siculúmque Reges, *præter Principes alios multos socios sibi comparauerat. Operæ pretium est originem eius dimicationis exponere.*

42. Erat quod Bzouius fingeret. Ludouicus primum post tot Galli Regis apud Pontificem contra se machinationes & plus quam hostilem animum tot factis perspectum, cum desperare pacem Ecclesiasticam cogeretur, cum Anglo fœdus icit in perniciem Galli, iniurias tantas armis vindicaturus; quod iam ante confirmauimus. Itaque tu hîc rursus non iustam causam pro iustâ adfers, quasi Gallus propterea distulisset legationem ad Benedictum mittendam, quod pro certo audisset Ludouicum Eduardo suppetias tulisse, illúmque Imperij Vicarium in Belgio constituisse. Atqui si Ludouicus iniustè suppetias Eduardo tulisset, Gallus ea de re per legatos tempestiuè apud Benedictum conquestus fuisset, & satisfactionem ei prius iniungendam quam absolutionem impendendam *N. præced.* postulasset. Quod cum, vt tu antea doces, non fecerit;

cerit: indicio eſt, Ludouicum iure feciſſe quod fecit, nullámque Gallo iniuriam intuliſſe, ſed è contrario Gallum Eduardo & Ludouico ſua repetentibus negaſſe, & bellum iniuſtum intuliſſe, ideoq; iure ab vtroque fuiſſe bellum Gallo indictum. Quod confirmant auctores iam producendi.

43. *Rex Franciæ*, inquit Villanus, *valde reprehenſus & vituperatus fuit ab omnibus Chriſtianis, à Papa, & ab Eccleſia Romana, quod tam magnum tamq; altum promiſſum opus reliquerit, quàm erat ſancta illa trans mare profectio, vt bellum ex ſua parte iniuſtum cum ſuis vicinis Chriſtianis inciperet, quare Papa omne ſubſidium decimarum Chriſtianitatis exceptis decimis Regni Franciæ reuocauit & detraxit.* Item alibi, *Et licet Cameracum ciuitas eſſet Imperialis, illámque Archiepiſcopus teneret, eam tamen Rex Franciæ militibus muniit, cui inerat, Comes ſtabuli* ſeu magiſter militum *Franciæ cum tribus millibus armatorum. Eam Rex Angliæ obſedit*, &c. Quo etiam pertinet illud Froſſardi, *Quòd autem Cæſar Ludouicus à Bauaria tanto honore Anglũ augebat, præcipua fuit cauſa, vt hac occaſione inter cæteros tumultus bellicos recuperari poſſet Cameracum, quæ quidem Ciuitas, cùm ſit Imperio coniuncta, tamen à Gallis fuit occupata bello.*

l. 11. c. 54 m.

l. 11. c. 84 prope pr.

P. 21. §. 8.

44. Rebdorfius[a] item & Argentinas[b] locis quos iam ſupra[c] recitauimus, accedunt. Nauclerus[d] Ar-

a *P. 426. §. 3.* b *P. 127. §. vlt.* c *Ad N. III.* d *An. 1337. m.*

gentinatis narratione præmissa addit, *De qua diffidatione Papa Benedictus erat bene contentus, vt scribit Iacobus Moguntinus.* Nunquam certè Benedictus vir optimus fuisset ea diffidatione bene contentus & multum iucundatus, si Gallo iniurias fieri censuisset, eíque contra hostes auxiliari voluisset, quod eum censuisse voluisséque Bzouius [e] finxit. Addit Albertus [f], *Dixit autem Papa Benedictus de Franco, Iste pacem noluit & elongabitur ab eo.*

[e] N III.
[f] Pag. 128 §. 4. f.

45. Massonus [g] inter causas belli ab Eduardo contra Gallum suscepti hanc etiam refert, *Anglus Matildem fœminam in successione Comitatus Attrebatensis antelatam Roberto Philippi Comitis filio, id Valesio auctore factum. Si iure, cur regno Franciæ excluderetur Edoardus? Si iniuria, cur Robertum Attrebatem sororium suum domo profugere coëgisset, cur sororem & iustos liberos in custodiam coniecisset? Philippus de sorore & liberis eius nihil respondit, in quos profectò impius fuit.* Quare longè alia, quàm Bzouius scribat, mouere Gallum, vti piis Ludouici conatibus obsisteret; diadema Imperiale, si coniectare fas est, inuidebat, suo in vertice lætius sibi fulsurum, aut certè in generi sui Caroli Bohemi capite. Quid enim aliud Bzouius comminiscetur? Vnde tanta odia Gallo in Cæsarem nata?

[g] 4. Franc. pag. 427. post m.

Col. 760. VII. §. 5. 46. Bzouius. *Eius legationis relatione Edouardus excanduit, bellúmque ex his atque aliis causis pe-*

ne funestum Galliæ illaturus, primò Flandros petiit, ibique apud Antuerpiam fœdus cum Ludouico Bauaro Philippi Regis non multum amico iniuit. Philippus, vt Edouardum à Flandrico bello auerteret, deposita sacræ militiæ cura Scotos ad bellum repetendum impulit, militéque & pecunia iuuit; Genuensium insuper naues precio conductas à Tycitheno in Oceanum ad diripiendas Anglorum & Vasconum naues orámque maritimam exciuit, & iis populis, qui in reliqua Aquitania parebant, bellum acerrimum intulit: eámque ob causam apud Christianas gentes male audiit, Benedicto Pontifice succensente, quod deserto sacræ militiæ Anglicum bellum suscepisset. Inter hos tumultus, cùm probro maximo Christianorum, arma in Belgio, Gallia Aquitanica, & Scotia circumferrentur, & Rex Edouardus, præter Ludouicum Bauarum, Archiepiscopum quoque Coloniensem, Ducem Brabantiæ, Comitem Hannoniæ, Iohannem patruum, Ducem Gelriæ, Marchionem Iuliacensem, éque Germania plurimos proceres in fœdus traxisset, Benedictus Pontifex nihil aliud curauit, quam vt incendiũ istud restingueret, pacémque inter Reges conciliaret. Itaque Philippum quidem ab armis dehortatus, decimas illi in omnes Christianos nuper concessas solui vetuit. Ludouico autem Bauaro disertè scripsit, vt à societate hostium Philippi sese subtraheret: quò tandem Edouardus solus, Philippo impar, ad

concordiam faciliùs inclinaret. Villani lib. 12. cap. 54. Guagnin. lib. 8. Masson. lib. 4. Frossardus lib. 1. Annales Belg. lib. 12.

47. Pronunciatum I. *Philippus vt Edouardum à Flandrico bello auerteret, deposita sacra militia cura, Scotos ad bellum repetendum impulit, militéque & pecunia iuuit.* Ex quo, oro te, promis Bzoui, Edouardum Belgis bellum intulisse aut inferre voluisse? amici omnes Anglo erant, & idcirco fœdere
N. III. percusso socia arma Galliæ intulere; imo tu ipse supra scribis Pontificem Ludouici precibus non annuisse, quia is regem Angliæ Principésque Belgarum aduersus Gallum concitaret. Anglicum & Gallicum id bellum erat: quod tu si Flandricum ob Flandros Angli adiutores appellas, more ineptis tuo. cur non potius Cæsareum aut Bauaricum aut Germanicum vocasti ab adiutoribus Cæsare Bauaro ac Germanis?

48. Pronunciatum II. *Pontificem Benedictum succensuisse Gallo quod deserto sacra militia Anglicum bellum suscepisset.* Hoc te pronunciatum iu-
N. III. gulat, Bzoui, nam supra dicebas, Benedictum Ludouici absolutionem distulisse, quod contra Gallum hoc bellum molientem cum Anglo pacisceretur, quasi Pontifex grauatè tulisset Galli partibus incommodari à Cæsare. Sed friuolum hoc est, nam Gallus auctor belli fuerat, & ea de re in Pontificis offen-

offensam incurrit. Itaque etiam paulò pòst fateris, N.XI.
multa Philippum Gallum Pontifici de bello sacro promisisse, nil præstitisse, sed bellum contra Eduardum prorogasse cum ingentibus damnis Christianorum.

49. Pronunciatum III. *Pontifex Ludouico Bauaro disertè scripsit, vt à societate hostium Philippi sese subtraheret, quo tandem Edouardus solus Philippo impar, ad concordiam facilius inclinaret.* Quàm bene Bzouius de sua fama mereretur, si has pontificias literas ad Cæsarem datas publicaret, namque ante eum nemo scriptorum, quos hoc loco indicat, de iis quicquam prodidit: sed nimirum decet tantum historicum, non solum res gestas scribere, sed etiam scribendas gerere? & quam hæc ventosa & vana sint, iam ante docuimus. Nu- N.I.&III.
gæ sunt in tuo sinu natæ Bzoui, & audes insuper &V.&VI
Pontificum epistolas fingere? adduc tuos testes, pro me loquentur.

50. Bzouius. *Non deerant Fratricelli, qui Lu-* Col. 760.
douicum Bauarum in eam societatem cum Edouardo VIII.§.34
ineundam impellerent. Quod enim sibi vehementius metuerent, ne Ecclesiastica disciplina propter errores acrius percellerentur, inflammare Ludouicum, atque à tanta submissione, quantam in literis ostenderat, dehortabantur: putida mendacia contra Ioannē XXII. *Pontificem & dicentes & scribentes & asserentes.*

Quam-

Quamobrem Benedictus, vt hæc quoque fomenta bellorum, seditionis & schismatis extingueret, Archiepiscopis & Prælatis aliquibus, vt Fratres Minores illos, Constitutionibus Apostolicis detrahentes, ac famam Ioannis 22. denigrantes, ad Sedem Apostolicam ad causam dicendam euocarent, commisit. ep. 212.

51. Cuiuis rei quamlibet causam ex tuo cerebro, Bzoui, fabricas. Si videret Lector decretalem apud Bzouium hoc loco suppressam, perspiceret eum, nisi me omnis coniectura fallit, pauculis verbis multa falsa cumulasse. Primum est, à Fratricellis Ludouicum Bauarum in Edouardi societatem impulsum. II. Fratricellos vehementius metuisse, ne Eccclesiastica disciplina acrius percellerentur propter errores. III. Ea de causa Ludouicum inflammasse. IV. Atque à tanta submissione, quantam in literis ad Pontificem datis ostenderat, dehortatos esse. V. Pontificem vt hæc fomenta bellorum, seditionis, & schismatis extingueret, Archiepiscopis & Episcopis commisisse, vt Fratres Minores ad causam dicendam euocarent. Hæc omnia in literis Bzouij continentur, in Pontificiis videbo, vbi Bzouius ostenderit: quanquam non velim inficias ire Pontificem fortasse ad Episcopos scripsisse, vt Fratres Minores ad causam dicendam euocarent. Sed mihi non persuadeo, ideo hoc

Pon-

Pontificem mandasse, vti fomenta horum bellorum extingueret, quod Bzouius allutulat.

52. Sed demus Fratricellos Ludouico insusurrasse bellum Gallicum; an ideo credibile erit ob hoc Pontificem fuisse Fratricellis infestum, vt eos ad tribunalia trahi iusserit? Ipsemet Pontifex non nisi in Gallo hoc bellum detestatus est; fœdera aduersantium Gallo Principum, non modò non improbauit, sed magnopere etiam probauit, vt supra ostensum.

ANNVS CHRISTI
1337.
Ludouici Imperatoris XXIV.

1. BZouius. *Ludouicus Bauarus, etiam hoc anno, precibus pro reconciliatione porrectis, Benedictum Pontificem & Sedem Apostolicam fatigabat. Ad vltimos enim Ianuarij dies, Robertum, Rudolfi fratris Ducis Bauariæ & Comitis Palatini Rheni filium, nec non Conradum Comitem Iuliacensem Oratores Auinionem miserat, qui nomine illius, omnia Pontifici & Romanæ Ecclesiæ pollicerentur. Deerant Nuncij Regis Philippi, sine quo non erat ex re negotium conficere. Quamquam enim Oratores Ba-* Col. 775. I.

uari priusquam Auinionem venissent, ad Philippum diuertissent, eúmque ad concordiam sanciendam inuitassent; nihil tamen apud eum obtinere potuerunt, quod is Anglico bello occupatus, Ludouicum Edouardo suppetias ferre assereret. Non incerto quoque rumore vulgabatur, illum velle regnum Galliarum inuadere, & Philippum in ordinem redigere. Itaque Benedictus nihil tunc in rem Ludouici concessit, sed literis ad eum datis, primò quòd nihil sine Nunciis Philippi Regis decernere posset, excusauit; deinde hominem redarguit, quod Regnum Galliarum inuadere procuraret, adeóque pacem in ore, gladium verò in manu ostentans, conciliationi optata noua impedimenta opponeret. Ad extremum monebat, ne se difficultatibus nouis implicaret, ne occasiones nouas dissidiorum quæreret, néue ea vel ageret, vel sereret, quæ reconciliationem impedire possent. Ptolem. in Bened. XII. *& Regestr. Bened.* XII. *hoc anno.*

2. Non est quod hunc sermonem tuum, Bzoui, in pronunciata dissecem; vno verbo ad omnia eius membra responderi potest, nihil verum videri præter vnam legationem ab Ludouico ad Pontificem institutam; nam ex superioribus meridiana luce clarius est, à Pontifice Ludouicum nequaquam obiurgatum, quod Galliam inuadere voluisset, aut eidem obiectum, quod pacem in ore gla-

gladium vero in manu ostentaret. Elegantiæ hæ Bzouianę sunt, in quibus veritatem frustra quæras. Causas repulsæ satis supérque supra audiuimus. Et Ludouicus ob iniurias à Gallo acceptas, iure potuisset Galliam inuadere, regémque eius in ordinem redigere, vt anno superiore vidimus. Quanquam si omnino Benedictus tale quid obiecit Cæsari, fecit id à Gallo coactus, vt ad annum 1339. *N. V.* ostendemus.

3. Porro hoc anno ipsum Gallum ad Imperatricem potius oratores misisse auctorem habeo Nauclerum anno 1337. *Rex Franciæ Philippus*, inquit, *vt auerteret Ludouicum, misit solennes nuncios imperatrici filiæ sororis suæ, quæcunque ea fuit, vocans eam dominam Alemaniæ, petiuitque vt sibi Imperatorem pacificaret, multa promittens. Qua interueniente hinc inde Principes Oratores suos mittebant, tandem contracta est inter eos liga perpetua literis & iuramentis firmata, iurauitque rex Franciæ, quod Ludouicum cum apostolico vellet concordare, & sic Ludouicus deinceps per regnum Franciæ Imperator scriptus est & nominatus. Quo facto Ludouicus regem Angliæ absoluit à vicariatu imperij, & ex tunc ipse Ludouicus prosperitatem nunquam habuit, & rex Franciæ, qui corporale præstiterat iuramentum, quod eum Papæ reconciliaret, nihil fecit. Hæc Iacobus Moguntinus.* *Gen. XLV*

Postea misit Imperatores Oratores ad regem Franciæ, qui suos quoque Oratores vna cum imperialibus ad Benedictum destinauit, petentes reconciliari Imperatorem, quibus Papa respondisse fertur, nunquid Ludouicum ad arbitrium regis nunc hæreticum, nunc verò Christianissimum habere deberet, & protracto variis tractatibus negocio Francus vt credebatur quod noluit simulauit se velle, Benedictus vero Papa quod voluit simulauit se nolle, itáque nil actum fuit.

4. Quantum discrimen inter Bzouianam legationem hoc anno & Nauclerianam! Gallus immanitate temporum adactus omnibus modis studuit sibi Ludouicum demereri, & Bzouius vociferatur, Gallum Legatis Cæsareis concordiam negasse. Sed est quod obseruet lector Gallicũ ludum. Rex sese & amicum Cæsaris, & absolutionis Cæsareæ cupidum simulabat, & tamen apud Pontificem summis viribus clam contendit, ne vinclis Ecclesiasticis eximeretur: contra Pontifex palam recusauit, quod occultis votis optabat, adeo terror ab Rege illatus, & maioris mali periculum, quod Pontificiis oculis seu verè seu falsò obuersabatur præualuit.

N.III.§.3. Col. 776. 5. Bzouius. *Non deerant qui tunc veterem cantilenam de paupertate Christi tum Ludouico Bauaro, tum polyticis magistratibus in Italia repeterent, potestatémque Pontificiam infra Imperatoriam deijcerent*

cerent &c. *Richard. Cistercien. in Benedicto* XII.

6. Quis est iste Richardus cuius nec Bellarminus in scriptorib. Eccles. nec Posseuinus in Apparatu, nec Gesnerus in Bibliotheca, nec Iohañes Clessius in elencho editorum decimo sexto seculo scriptorum meminit! Quisquis tamen sit, eum illud de Ludouico memorare, nisi videro nõ credam: tanta est apud me Bzouij vel authoritas vel fides.

7. Bzouius. *Fere per idem temporis, Benedictus Pontifex multa pro reformatione aulæ palatinæ ordinauit: inter quæ fuit, vt Capellani sui horas Canonicas cum notis recitarent, & in vno dormitorio omnes dormirent, nec alios reditus, quam mensæ Pontificiæ victum & vestitum haberent. Considerans verò à multis religiosis sanctorum statuta primum & ordinum regulas ex insolentia vel desidia negligi; humerisque suis sentiens reformationis eorum onus incumbere, more galli seipsum prius alis excutiens antequam cantaret, & à perfecta charitate non discrepans, S. Benedicti & Cisterciensium, nec non D. Francisci ordines, reformandos suscepit, & constitutiones nonnullas eorum instituto valde accommodas ad perpetuam rei memoriam ordinauit. Magn. Chron. Belgicum.* N. IX. Col. 715.

Conabatur & Prædicatorij ordinis leges, instituta, & consuetudines mutare, & rigorem eius religionis nonnihil temperare, vel potius inuertere. Quod enim illi hactenus nullas possessiones in agris & facul- X.

tatibus terrenis obtinerent, sed ex paupertatis voto nō nisi quotidiana hominum pietate viuerent; & ea propter pro temporalibus spiritualia rependentes, oppidatim & vicatim concionibus dicendis, & sacris confessionibus excipiendis operam darent: in maligniores quosdam ex Clero, hæresis ab Alexandro IV. *damnatæ sectarios incurrerunt, quibus ex veterato odio visum, vt fratres Dominicani claustris perpetuis, modico aliquo reditu contenti viuerent, nec vspiam prodirent, nec salutem animarum curarent, neque negotia fidei aut tractarent aut tuerentur. Tantum vero apud Benedictum Pontificem nitebantur, vt vel hac saltem statuerit; ne conciones ad populū promiscue haberent; ne pœnitentiæ sacramentum administrarent; ne mendicato paßim victum quærerent; ne in posterum, nisi paucos, quibus alendis reditus certi vniuscuiusque monasterij satis essent, ad religionem admitterent; neue præter designandum in quocunque monasterio numerum, alios fratres susciperent.* Præerat *tunc temporis sodalitio Dominicano Magister Generalis Hugo Campanus, qui supplicationibus publicis priuatisque in vniuerso ordine indictis, multisque sui instituti* Pa*tribus doctißimis Auinionem hoc anno euocatis, tantum apud Benedictum, omnia extrema Ordini comminantem, egit, vt is necquicquam grauius aduersum se, aut suos fratres decreuerit. Michaël Pius libro secundo, de viris illustrib. Ordin.* Præd.

Valen-

Valentiam prius ad Comitium Generale confluxerant Patres Dominicani, vt in commune conferrent, quid Benedicto inuersionem ordinis cogitanti, proponerent. Inter eos adfuit Pater Matthias Cracouiensis Prouinciæ Poloniæ, qui vel solus Zelo ardentissimo inflammatus, nonnullos in mutationem status religiosi inclinantes, tum rationibus, tum auctoritate, tum omnibus conatibus à sententia reuocauit; éxque decreto Capituli generalis Auinionem ad Benedictũ Pontificem Orator destinatus, præposteram curam illum suscipere, atque curare ostendit. M S. liber Act. Prouinciæ Poloniæ Ord. Præd.

8. Quàm vitiosè suos amet, oderit alienos Bzouius, etiam hîc prodit. Benedictus Capellanos suos reformauit: non improbat Bzouius. Benedictus etiam Religiosos reformare instituit: probat Bzouius atque etiam amplificat, donec se suósq; tangi videt; tum enimuero partim improbat ac vituperat, partim peruerso auctoris loco dissimulat. nam primò in magno Chronico Belgico Benedictus dicitur reformandos suscepisse Cistertienses & Benedictinos regularum suarum negligentes, ac nisi mors eum præuenisset, Mendicantium ordines velut ista negligentia non parum deformes, iusta iudicij lima fuisse reformaturus. Bzouius non nisi eodem Chronico citato Cistertienses quidem & Benedictinos nominat, Mendicantium verò nomen

men in Franciſcanorum mutat, nulla ſuorum Dominicanorum itidem mendicantium facta mentione. Secundò. Quod in chronico Belgico dicitur Benedictus fuiſſe facturus, niſi mors eum præueniſſet; id Bzouius eum feciſſe dicit. Tertiò, Benedictum hìc in margine & contextu, & in tomi huius indice ait, erga ordinem Prædicatorum nõn ita bene affectum, & Dominicanis non admodum æquum, & ipſorum ordini omnia extrema minatum, ordinis inuerſionem meditatum, præpoſteram curam ſuſcepiſſe; conatum enim ordinis eius leges, inſtituta & conſuetudines mutare &c. Quæ omnia probat ex Michaele Pio, tam piè, opinor, citato, quàm chronico Belgico paulò ante. Potius Benedictum religioſiſſimum Pontificem incuſat Bzouius, quàm vt ſuos ab eo iuſtam ob cauſam reformatos fateatur. Ego non credo Benedictum Dominicanis omnia extrema fuiſſe minaturum immeritis & non extrema delinquentibus. Accuſet ſanè Bzouius etiam Tridentinum Concilium, quod Dominicanis & aliis concesserit ex reditibus viuere, quod hìc à Benedicto iisdem Dominicanis malè præceptum contendit, quaſi non iuſtas præcipiendi cauſas habere potuerit. Illud verò Bzouianis contradictionibus annumera, quod dicit Benedictum ſtatuiſſe ne Dominicani *conciones ad populum promiſcuè haberent, ne pœnitentiæ ſacramentum*

N. X. f. & N. XI. pr. & f.

S. 25. de regul. c. 3.

N. X. poſt m

tum administrarent; ne mēdicato paßim victum quærerent; ne in posterum nisi paucos, quibus alendis reditus certi vniuscuiusque monasterij satis eßent, ad religionem admitterent: néue præter designandum in quocunque monasterio numerum alios fratres susciperent. Grauia hæc sunt, quæ Benedicto ascribis Bzoui, hoc tamen laudandus, quòd mox eundem Benedictum omnibus illis criminibus liberas, sed te astringis cum ais, Benedictum *necquicquam grauius* aduersum Dominicanos decreuisse. Iam grauia te authore decreuerat, nec Dominicani agebant, ne Benedictus quicquā grauius contra ipsos decerneret, sed vt decreta aboleret. Sed quia posteriora consilia meliora, & tu postea negas Benedictū quicquam grauius aduersum Dominicanos statuisse; nos quoque stamus sententia tua posteriore. Si vtraque illa inter sese pugnantia Pius scribit, Bzouium Piissimum esse non negamus.

ANNVS CHRISTI 1338.
Ludouici Imperatoris XXV.

1. BZouius. *Germaniæ Antistites nihil magis hoc anno curarunt, quàm vt Ludouicū Bauarum,* Col. 792. I.

ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & ſummo Pontifici conciliarent. Itaque Spiram Conuentu indicto, Ludouico auctores fuerunt, vt is omnia ſe ex ſententia Benedicti Pontificis facturum in ſe receperit, & Legatos ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione obtinenda, ab Epiſcopis deſtinatos, ire permiſerit, & cauſæ ſuæ Procuratores eſſe iuſſerit. Ea omnia perſcribebant Antiſtites Benedicto his iſtis verbis, quæ adiungo.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino ſuo, D. Benedicto ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Henricus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Maguntinus, Lupoldus Babenbergenſis, Ioannes Baſilienſis, Bertoldus Argentinenſis, Henricus Eyſtetenſis, Bernhardus Paderburnenſis, Vlricus Curienſis, Otto Herbipolenſis, ac Gerardus Spirenſis, & Henricus Auguſtenſis Eccleſiarum electi, cum omnimoda ſubiectione, humilitate & reuerentia, ſeipſos ad pedum oſcula Beatorum.

Cum iam dudum ex miſerabili diſſidio inter ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, ac Dominum Ludouicũ de Bauaria, Chriſtiani populi peccatis exigentibus ſuſcitato, in Regno & Imperio Romanorũ, & præcipuè in prouincia Maguntina, grandium & diuerſarum turbationũ tempeſtates emerſerint, ac Eccleſiis, Eccleſiaſticiſq; perſonis, nec non animabus hominum, quod grauius eſt ferendum, Regni & Imperij prædictorum innumerabilia prouenerint detrimenta,

&

& quotidie maiora & plura prioribus occasione dißidij huiusmodi sint, ut ex verisimilibus coniecturis colligitur ac præsumitur, prouentura: Nos grandes & acerbas ex hoc puncturas in nostris cordibus non immeritò sentientes, nuper Dominum Ludouicũ prædictũ, ad ciuitatem Spirensem Prouinciæ Maguntinæ prædictæ, super hac specialiter nostris instãtiuis precibus venire procurauimus, ipsum nos Archiepiscopus Magũtinus, Argentinensis, Paderburnensis Episcopi, ac Spirensis & Augustensis electi prædicti personaliter; Nos verò Babenbergensis, Basiliensis, Eystetensis, & Herbipolensis Episcopi, aliis nostris & Ecclesiarũ nostrarũ pro tunc negociis præpediti, per nostros solennes nũcios, precibus, consiliis, ac salutaribus monitis nõ sine magnæ solicitudinis studio exhortantes, ut ipse ad diuini nominis gloriã, & ad vestræ sanctitatis, ipsiúsq; Ecclesiæ Romanæ honorẽ & reuerentiam, nec non ad quietum & salubrem statum Regni & Imperij eorundem, velit ad vestrã & eiusdẽ Ecclesiæ Romanæ, sanctæque sedis Apostolicæ gratiã cum deuotione redire, se vestris & ipsius Ecclesiæ, dictæq; sedis Apostolicæ beneplacitis humiliter per omnia conformãdo. Qui modica deliberatione præhabita se velle stare ac parere super materia præfati dißidij, ac omnibus ipsum dissidium contingentibus, informationi & ordinationi nostræ in quantum cum Deo, iustitia & honore suo fieri posset, efficaciter repromisit, suas patentes super

hoc literas maiori suo sigillo munitas super potestate huiusmodi tradita nobis dando, cautiones iuratorias, ac fideiussorias Magnorum & plurium Principum & Baronum nobis super hoc nihilominus offerendo. Clementissimam igitur vestram Beatitudinem, omni qua valemus precum instantia, deuotè ac humiliter imploramus, quatenus redeundi ad gremium S. Matris Ecclesiæ promptitudinem ipsius Domini Ludouici, qui super materia dissidij huiusmodi ordinationi Ecclesiasticarum personarum duntaxat se submittere non expauit, præmissis quoque turbationibus, dispendiis & periculis, specialiter Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, vt præmittitur, imminentibus, per vestræ Sanctitatis prouidentiam, paternis affectibus ponderatis, prædictum Dominum Ludouicum ad reconciliationis gratiam sub modo præmisso, vestra solita benignitatis clementia recipere non recuset: partes Regni & Imperij prædictorum, ac præcipuè Ecclesias & personas Ecclesiasticas earundem partium, de periculis, ærumnis, & laboribus prætactis ad statum optatæ quietis per reconciliationem huiusmodi reducentes.

Verùm quia ad omnia & singula præmissa, & ea contingentia, plenè ac pacificè scribendi, cedula non sufficeret, nos venerabilem Patrem Dominum Vlricum Curiensis Ecclesiæ Episcopum, & spectabilem virum Gerlacum Comitem de Nassauu de præmissis plenissimè informatos, ad pedes vestræ Beatitudinis du-

duximus fiducialiter destinandos; eamdem vestram Beatitudinem ex intimis nostris affectibus exorantes, quatenus eisdem super ijs fidem adhibere dignemini creditiuam. Datum Spiræ die XXVII. *mensis Martij. Anno Domini M. CCC. XXXIIX.*

2. Quid vel Episcopi Germaniæ vel Imperator ad Ecclesiæ pacem recuperandam amplius facere vel potuere vel debuere? quam cum post irritos conatus, & extrema tentata remedia non impetrarint, mirum non est, eos tandem ad indignationem adductos, seuerius Imperij iura aduersus tam iniquos aduersarios defendisse, vt deinceps elucebit. *N.IV.*

3. Bzouius. *Hæc Benedicto Pontifici Germaniæ Antistites pro Ludouico scribebant. Agebant tunc Auinione apud Apostolicam Sedem Oratores Robertus Dux Bauariæ, Comes Palatinus Rheni, & Conradus Iuliacensis Comes, à Ludouico destinati. qui quod nonnulla causarentur Ludouici secretiora consilia, neque se plenaria potestate præditos esse ostenderent, misit Benedictus Arnaldum Verdalanum ad Ludouicum, vt ei secretum istud aperiret plenámque potestatem stabiliendi concederet. Eum Ludouicus plurimo tempore apud se detinuit, ac propterea benignitati Apostolicæ obicem opposuit. Namque Benedictus nihil magis optabat, quàm vt tranquillatis rebus, Ludouico Imperium decerneret. Huic enim rei* *Col. 793. II.*

 Philip-

Philippum regem Galliarum, quanquam reluctantem induxit, vt is ad tractandum negotium, nuncios quoque suos prima die Aprilis Auinioni apud Sedem Apostolicam comparere praeceperit; & in signum prompti animi, ad III. *Cal. April. Dominica quam Laetare appellamus, post missarum solemnia, Rosam auream benedictam, Roberto Duci Bauariae nepoti ex F. Ludouici miserit; non obscura significatione se cupientem Ludouici honoris atque dignitatis esse. Ptolem. in Bened.* XII. *& Regestr. Bened. hoc anno.*

4. Pronunciatum I. *Agebant tunc Auinione Oratores* Ludouici *Robertus Dux Bauariae Comes Palatinus Rheni, & Conradus Iuliacensis Comes, qui se ostenderunt non plenaria potestate praeditos.* Vacillantem Bzouium cerno & tautologum; hunc

N. I. quidem quia anno superiore eosdem legatos ex iisdem auctoribus Auinionem missos scripsit; at eos ab eiusdem anni Ianuario, quo missos dixit, vsque ad huius anni Aprilem, ante quem Episcoporum legati Auenionem non venerunt, absuisse nec alij dicunt, nec Bzouius persuadebit; praesertim cum Pontifex eodem illo anno superiore Ludouico ad legatorum postulata responderit, sicut

N. I. post m Bzouius refert. Deinde vacillat, & quidem nimis claudo pede, quod dicat hos legatos non fuisse praeditos potestate plenaria, cùm tamen supra scri-

Ib. ante m. pserit, *Oratores* Ludouicus *Auinionem miserat, qui nomi-*

nomine illius omnia Pontifici & Romanæ Ecclesiæ pollicerentur. Delio natatore mihi opus eſt, Bzoui, nam tuas vndas frangere potis non ſum. An ego poteſtatem accipio omnia pollicendi, & poteſtatem plenariam non habeo? an præter omnia adhuc alia ſunt, quæ ab omnibus excluduntur? Anno item 1336. ex Argentinate docuiſti legatos *N. I. §. 21* à Ludouico cum ſufficientiſſimis mandatis miſſos, per quos cum nihil effecerit, vt Albertus ibidem *N. III.* & tu fateris, non eſt credibile Ludouicum legatos poſtea ſine plenaria poteſtate miſiſſe, gnarum ſe vix impetraturum petita ſi plenam eis poteſtatem daret.

5. Pronunciatum II. *Legati cauſabantur nonnulla ſecretiora Ludouici conſilia*. Et hoc pariter pugnat tecum Bzoui, nam ſi Ludouicus quædam ſecreta conſilia habuit, quæ legatis ſuis non aperuit, quomodo ergo eis poteſtatem fecit omnia pollicendi? quomodo ſufficientiſſima dedit mandata? nam horum aliqua Ludouicum reuocaſſe, aut poſteriori legationi negaſſe, non eſt credibile. Quæ de legato miſſo & diu apud Imperatorem detento muſſitas, exenterarem ego, ſi Ptolemæum ad manum haberem; quamquam ſupra dixi, ipſum Ptolemæum ex Geſneri ſententia ad Bened. XII. ſcribendo non perueniſſe: citas quidem etiam Regeſtrum Benedicti, de cuius auctoritate ego

ego non ambigo; de tua tamen fide dubito, quia fallere soles.

6. Pronunciatum III. Benedictum *Roberto Duci Bauariæ nepoti ex F. Ludouici rosam auream misisse*. Oro te Bzoui, quò misit hanc rosam Benedictus? in Germaniam? At Robertus, vti tu scribis, tum Auinione apud Pontificem erat. nam Episcopi in fine Martij scribebant, vt ais, & Robertus tunc Auinione agebat, & rosa in eiusdem Martij fine benedicebatur vti doces. ergóne rosa Auinione Auinionem mittenda fuit? cur post Missarum solemnia non potius Roberto obtulit Benedictus? missa rosa signum est Robertum abfuisse. Taceo quod hoc anno Dominicam Lætare in III. Calend. April. id est in 30. Martij incidisse scribis, cum in 22. inciderit.

7. Sed audi Bzoui, sistendus enim mihi es paulisper & explorandus, cur silentio suppresseris, quid Benedictus Legatis Imperij Principum absolutionem Ludouici solicitantibus responderit? Certè si Pontifex Ludouici virtutem non æstimasset, Bzouius Pontificis responsum prolixè decantasset, & pro more inconditæ loquentiæ suæ phaleris impigrè fucasset. Verum illud nobis commodo est, quòd & liber & calamus æque nobis supersit ac Bzouio, ideoque quia ille exscribendo lassus fuit, compenset eius socordiam aut maleuolentiam dex-

dextra noſtra. Huncin modum ſcribit Argentinas, *Jn diebus illis Spiræ conuenientibus Principe Henrico Moguntinenſi de Virnenburg Archiepiſcopo, item Argentinenſi, Auguſtenſi, Eiſtettenſi, Spirenſi, Curienſi, & quibuſdam aliis Epiſcopis prouinciæ Moguntinæ, conuocatis, miſſisque per eos literis & nunciis, ſcilicet epiſcopo Curienſi & Gerlaco Comite de Naſſauue ad Papam pro abſolutione Principis: & deliberato per eos, ſi Papa nollet, quod iterum conuenire deberent, & deliberare, quid faciendum eſſet de eo. Cùm Papa Benedictus nuncios recepiſſet benignè, in aurem nunciis flens quaſi conquerebatur, quod ad Principem eſſet inclinatus, & quod rex Franciæ ſibi ſcripſerit certis literis, ſi Bauarum ſine eius voluntate abſolueret, peiora ſibi fierent, quàm Papæ Bonifacio à ſuis prædeceſſoribus eſſent facta: nunciique ad rogatum Papæ, per Delphinũ per montana ſunt vſq; Lauſannam perducti.* P. 127. 31 Alibi eandem legationẽ repetere videtur his verbis, *Veniente autem illis temporibus Ludouico principe Columbariam, Argentinenſis & Baſilienſis epiſcopi ipſum cum magna multitudine acceſſerunt, & qualiter circa epiſcopum Argentinenſem actum fuiſſet, eidem enarrauerunt. Ille autem ſimulans ſe dolere, ad attrahendum eos ſuo ſeruitio inſiſtebat. Argentinenſis autem Epiſcopus congregationem epiſcoporum prouinciæ Moguntinæ perſuaſit. Quib' ſic Spiræ congregatis, ac Henrico archiepiſcopo* P. 132. §. 2

Moguntino sedis Apostolicæ prouiso, qui & ipse Principi se colligauerat, ad inducendum in idipsum Argentinensem plurimùm laborante: communi consilio missi sunt, Vlricus episcopus Curiensis, & Gerlacus Comes de Nassouue, ex parte episcoporum Moguntinensis prouinciæ, ad Papam & Cardinales, pro reformatione Principis Ludouici laborantes, quibus Papa Benedictus, præ timore Regis Franciæ annuere non audebat, sícque infecto negotio celeriter ad partes suas sunt reuersi.

8. Vides Bzoui manicas Gallicas quibus illigata erat pontificia maieſtas? hoc præmij retulere Pontifices, qui ſede ſua Gallos illuſtrarunt, vt Auinione tanquam in magno carcere à Gallo Rege attinerentur, & gubernacula Eccleſiæ ad arbitrium profani Principis moderari cogerentur. non defuit quidem melior animus Benedicto Pontifici ſed vigor defuit, & Cæſar alienam inuidiam luit, non ſuam culpam.

Col. 793. III. 9. Bzouius. *Porrò Ludouicus, necquicquam benignitati Apostolicæ gratus, hæc omnia argumenta beneuolentiæ contempsit, & Francofordiam Comitio indicto, Imperij administrationem magis ac magis exercere cœpit. Inprimis enim Edouardo Regi Angliæ apud se præsenti titulum Vicarij Imperij confirmauit, & Cameracum in Regis Galliarum Philippi potestate obsidere præcepit. Mox Reynaldum Comitem*

tem Gelriæ & Wilhelmum Comitem Iuliacensem, illum Ducem, hunc Marchionem creauit. Richard. Cisterc. in Bened. XII.

10. Pronunciatum I. *Ludouicus omnia argumenta beneuolentiæ contempsit, & Francofordiam Comitio indicto Imperij administrationem magis ac magis exercere cœpit.* Quod Pontificiam beneuolentiam à Cæsare contemptam ex Richardo Cisterciensi, ais, id ego Argentinatis authoritate fretus, fraudésque tuas tot expertus, facilè credo à te confictum, vt nobis persuaderes, Benedictum Episcopis iure & nō metu negasse Cæsaris absolutionem. Francofurtensia porro comitia Cæsar non antè, vt videri vis, sed pòst, quàm Benedictus etiam Episcoporum legationi eandem absolutionem negasset, indixit in mensem Augustum, vt tute doces, cùm legatio Episcoporum in Martio fuerit expedita ad iter Auinionense. Eandem temporis rationem indicat Rebdorfius anno 1338. *Eduardus* inquit, *rex Angliæ veniens in Alemaniam se confœderauit cum Luduuico prædicto in Confluentia diœcesis Treuerensis, & Luduuicus promittit ei assistere contra Regem Franciæ, pro quo promittit ei thesaurum, quater centies millia florenorum magnorum, cuius partem dedit: similiter & principes Alemaniæ & maximè inferiorum partium subsidium eidem Regi promittunt. Iterum idem Luduuicus solennes nuncios mittit de cen-*

N. seq.

Pag. 426. §. 3. post m

silio Principum ad Papam Benedictum pro reconciliatione : quibus sine fine reuersis in Alemaniam Principes Electores Imperij conueniunt, & per iuramenta sua diffiniunt, Quod electus in Regem Romanorum à maiori parte eligentium, æqualem potestatem habeat in administratione Imperij, sicut Imperator coronatus, & promittunt in similibus hoc ius defendere contra personam quamcunque. Hæc diffinitio Principum solenniter publicata est eodem anno mense Augusto in Francfurt, & diffinitum est per Principes ibi tunc existentes; Quod quicunque de cætero ipsum Luduuicum tenet excommunicatum, aut qui cessat à diuinis propter sententias papales, proscriptus sit corpore & in rebus. Hæc Rebdorfius, quo loco & Freherus recitat constitutionem *Licet iura,* quam & Bzouius hìc subiicit. Eandem temporis rationem docet Albertus cùm recitata Episcoporum legatione addit, *Deliberato per eos* Episcopos *si Papa nollet, quod iterum conuenire deberent, & deliberare, quid faciendum esset de eo.* Vnde etiam constat non solum Ludouicum, sed etiam Episcopos Germaniæ auctores fuisse Comitij Frākfurtensis, quòd Bzouius à Ludouico indictum reprehendit.

P. 127. §. pen. autem

11. Pronunciatum II. *Imperij administrationem Ludouicum magis ac magis exercere cœpisse.* Hoc Ludouicus iure suo fecit, vt sæpe demonstrauimus,

uimus, & Benedictus ei id vsque ad hoc tempus nunquam obiecit.

12. Pronunciatum III. *Ludouicus Edouardo Regi Angliæ apud se præsenti titulum Vicarij Imperij confirmauit.* Fuit scilicet hoc grande bilis pontificiæ incitamentum Bzoui, supra audiuimus, Pontificem hoc audito, *multum*, vti cum Argentinensi loquar, *iocundatũ fuisse*, & tu tamen id inter offensas in Pontificem numeras. Nec præsenti sed absenti Edouardo Ludouicus titulum Vicarij confirmauit, vt Villanus tradit. L. 11. c. 71.

13. Pronunciatum IV. *Ludouicus Cameracum in Regis Galliarum Philippi potestate obsidere præcepit.* Lethale rursus peccatum est, sua armis repetere. Quid censes tu Bzoui? an neminem historicos versare apud nos reris, quia tam confidenter, quicquid obuium est genio tuo, in annales tuos congeris? Cameracum tum in potestate Regis Galliæ fuit, sicut in potestate Turcæ esset Ancona si eã cepisset. Cameracum ditionis Imperialis fuit, bello & armis ab Gallo occupatum nullo legitimo iure, vt anno 1336. ex Villano & Frossardo Gallo docuimus, quibus iam addo Massonum & ipsum Gallum, *Interim* inquit *Philippus magistrum Equitum Franciæ Cameracum misit, vt illam vrbem, quæ* 4. Annal. p. 430. f. *Cæsareæ ditionis erat, firmo præsidio teneret, equitibus ei amplius quàm ter mille attributis: ad quam*

obsidendam Angli & sociorum exercitus mense Septembri conuenere, in quo erat Edoardus Rex, *Marchio Brandenburgensis Bauari filius, Brabantinus, Geldrensis, Iuliacensis Comites, equitum amplius quatuordecim, peditum sexaginta millia.* Ergo rectissimè Cæsar, cui Imperij vt capiti summa cura commissa, ne quid detrimenti sua regna caperent, Anglo negotium dedit Cameracum obsidendi, & Gallo hosti eripiendi. Quid tu contra mussitas?

14. Pronunciatum V. *Ludouicus Ducem & Marchionem creauit.* Iure creauit, vt Imperator.

Col. 793. III. §. 2. & N. IV. 15. Bzouius. *Horum & aliorum principum auxilio fretus, apertè aduersus Benedictum Pontificem insurrexit, & Antipapam denuo, quem titulo summi Patriarchæ nuncupauerat, in Germania constituit, Ecclesias Alemaniæ schismate ab Ecclesia* Romana, *quemadmodum auctor est Corius hist. parte 3. diuidere conatus fuit. Hásque male sanæ mentis indices publicauit. Placuit eas ad innocentiam Pontificum vindicandam inserere. Ita habent apud Hieronymum Balbum Episcopum Gurcensem, in libro de Coronatione ad Carolum V. Imperatorem. pag. 65.*

* al. iuris vtriusq; testimonia, & rectius. *Licet iura * vtriusque testamenti manifestè declarent, Imperialem dignitatem & potestatem immediatè in filio Dei ab antiquo processisse, & Deum per Imperatorem &* Reges *mundi iura humano generi*

*apertè tribuisse; & quod Imperator ex sola electione eorum ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicuius alterius eget confirmatione, seu approbatione; quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed eidem gentes subsunt & nationes, & ipse Dominus noster Iesus Christus mandauit, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda. Quia tamen nonnulli auaritiæ & ambitionis cæcitate deuicti, & nullius scripturæ intelligentiam habentes, sed diuertentes à tramite recti sensus in quædam iniqua & praua commenta, & in assertiones detestabiles prorumpunt contra potestatem & auctoritatem Imperialem, & iura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum, & Imperij fidelium committentes, fallaciter asserentes: Quod Imperialis dignitas & potestas est à Papa; & quod electus in Imperatorem, non est verus Imperator, nec Rex, nisi prius per Papam, siue sedem Apostolicam confirmetur, approbetur, & coronetur. Et per huiusmodi prauas assertiones & pestifera dogmata, hostis antiquus mouet lites, iurgia suscitat, contentiones parit, & seditiones procurat. Ideo ad tantum malum euitandum, de consilio & consensu Electorum & aliorum Principum Imperij declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est * immediatè à solo Deo: & quod de iure & Imperij consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem siue Regem* *pendet.

ab

*ab Electoribus Imperij concorditer vel maiori parte eorundẽ *, statim ex sola electione est Rex verus & Imperator Romanorum censendus & nominandus; & eidem debet ab omnibus Imperio subiectis obediri. Et administrandi iura Imperij & cætera faciendi, quæ ad Imperatorẽ verum pertinent, plenariã habet potestatẽ: nec Papa siue sedis Apostolicæ, aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel consensu. Et ea propter hac in perpetuũ valitura lege decernimus, vt electus in Imperatorẽ concorditer, vel à maiori parte electorũ, ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidẽ ab omnibus subiectis Imperio debeat obediri, & administrationẽ & iurisdictionem Imperialẽ, & Imperialis potestatis plenitudinẽ habeat, & habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur. Quicunque autẽ contra hæc declarata, decreta, vel definita, aut aliquid eorũ asserere, seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, vel eorũ mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præsumpserint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, iurisdictionibus, priuilegiis et immunitatibus à nobis vel prædecessoribus nostris eis concessis ex nunc priuamus, & ipso iure & facto decernimus esse priuatos.*

* al. ab his quorum interest.

Insuper eos crimen læsæ maiestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis, crimen læsæ maie-

maiestatis committentibus, subiacere. Datum in oppido nostro in Franckenfurt, die VIII. *mensis Augusti, anno Dom. M. CCC. XXXIIX.*

16. Pronunciatum. I. *Horum & aliorum Principum auxilio fretus, apertè aduersus Benedictum Pontificem insurrexit, & Antipapā denuo, quem titulo summi Patriarcha nuncupauerat, in Germania constituit.* Cæsar, vbi apud Pontificem nihil subsidij fuit, alibi sine dubio opus habuit auxilium exquirere. Omnia promiserat, etiam te teste, quæcunque Pontifex poscebat, quid igitur causæ fuit, cur tantus támque supplex reijceretur? Alium in Germania à Ludouico Pontificem constitutum nec sub sole hoc, nec sub luna ostēdes. Non nescio Corium ex recentioribus quid simile posteris mādare; sed homo Italus parum in Germanicis experientiæ habuit. Scriptores Germani, inter quos tuus Rebdorfius, *qui tum viuebat, scribebat, & multa etiam præsens videbat,* summum hunc Pontificem videre non potuere, vti nec Argentinas, qui eodem tempore in viuis erat, nec Villanus aliique exteri: sed tu nimirum cuncta rapis, & studiosè in chartis ostentas quæcunque tibi obloquendi, & Ludouici facta vituperandi materiam præbent. Quanquam etiamsi verum refert Corius, non ante, sed post Episcoporum legationem à Benedicto dimissam & Ludouico negatam absolutionem

factum id est, vtpote mense Nouembri, vt Corius ait.

17. Pronunciatum II. *Ludouicus male sana mentis indices literas publicauit.* Tu verò admodum sanæ mentis es, Bzoui, qui tam insana loqueris. Cæsar quæ scripsit, suorum Doctorum sententijs inductus scripsit, nec arbitratus est malè se facere bonorum virorum iudicium sequendo; non enim defuere Canonistæ aliíque per id tempus, qui pro Cæsare, aut eius facto steterint.

T. 2. lib. X. c. 2. §. 6. p. 1551 post m. 18. Azorium peruolue, *non solum in ciuili* ait, *sed etiam in Canonico iure multa legimus, in quibus Imperatorem à Populo accipere potestatem inuenimus: multa itidem, in quibus Imperator dicitur esse à* DEO *constitutus; alia item, in quibus Imperium à Romano Pontifice esse, conferri, & pendere perhibetur.*

19. *In l. 1. ff. de Constitut. habetur: Populus Romanus ipsi Imperatori, & in ipsum, omne imperium omnémq; suam potestatem contulit. Idem legitur Instit. de Iure naturali, Gentium, & Ciuili. §. sed & quod principi. Idem in l. 1. §. cum enim vtique lex, C. de veteri iure enucleando, & L. 1. ff. ad legem Juliam de ambitu.*

20. *Alia verò iura ciuilia expresse dicunt, Imperium esse à Deo. Authen. de Instrumento, cautela & fide, §. 1. legimus: Quia igitur Imperium propterea*

Deus

Deus de cælo constituit. Et in l. 1. C. de summa Trinitate dicitur: Quæ ex cœlesti arbitrio sumpserimus. Et Authen. Vt defuncti seu funera eorum, §. si verò etiam aliis gentibus, quarũm nobis principatum alium quidem ab initio dedit Deus, alium Vero adiecit. Item Authen. De non alien. vel permutan. rebus Ecclesiæ, §. finimus igitur, Imperator, cui plurimum dedit Deus habere, & multorum Dominũ esse. Et in libro Feudorum tit. de Pace tenen. & eius violatoribus, in principiò. Quoniam diuina præordinante Clementia, solium Regiæ maiestatis conscendimus. l. 1. Codice de veteri iure enuclean. in principio: Deo auctore nostrum gubernante Imperium, quod nobis à cœlesti maiestate traditum est. In Authen. Quomodo oportet Episcopos, in principio: Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei à superna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: & illud quidem diuinis ministrans, hoc humanis, vno eodémque principio vtráque excedentia, humanam exornat vitam. L. vltima ad finem. Codice, de Quadriennii præscript. Quo, nutu diuino, Imperiales suscepimus infulas. Authen. De Consulib. §. olim: Deus misit Imperatorem lege animatum in terris; & in L. vltima Codice, de præscript. longi temporis, illis verbis: Ideò nostri maiores subtilissimo animo, & diuino quodam motu. In Authten. vt non luxurientur, in principio illis verbis: Vt crediti (subiecti scilicet) nobis à Do-

mino Deo, bene viuant. In Authen. de Quæstore, in principio: Dei auxilio, vt subiecti ab eius clemētia nobis traditi, illæsi seruētur. In Authen. Constitutio, quæ de dignitatibus, in Principio: A Deo tradita nobis Reipublicæ. *In Authen. de armis, in Principio: subiectos omnes quorum regimen nobis dedit Deus. In Authen. de Priuil. dotis, in Principio. In Authen. vt differentes, illis verbis: Ex quo nos Deus Romano præposuit Imperio, & illis commissa nobis à Deo Reipublica. In Authent. de Triente & Semisse. §. vltimo, illis verbis: semper aliquid adijcit Deus nostris sceptris. Tum in l. secunde, Codice de officio Præfecti Prætorio Africæ, in principio: Per ipsum enim iura Imperii suscepimus.*

Hoc idem etiā confirmatur ex iure ipso Canonico. Nam in c. Constantinus dist. 96. quamuis ibi palea esse dicatur, legimus; Vnde coram Deo viuo, qui nos regnare præcepit. Idem colligitur ex ea. Quæsitum 24. q. 4. cap. Quoniam, c. In scripturis dist. 10. cap. Duo sunt, cap. si Imperator distinct. 96. cap. legimus. distinct. 93. c. Cum ad verum, distinct. 96.

21. Propter hæc iura multi iuris Interpretes, præsertim Ciuilis, sentiunt, Imperatoris potestatem esse à Deo proximè, non à Romano *Pontifice: Eo quod Imperium, inquiunt, cœperit ante Romanum Pontificē: de qua re Glossa in C. Quoniam, dist. 10. Verb. discreuit, & in C. Quæsitum 23. q. 4. in ca. Si Imperator,*

C. duo

C. duo sunt, & in ca. Cum ad verum distinct. 96. & Hugo ibidem ait; Imperium non esse ab Apostolica sede, sed à Deo: quam sententiam probare conatur Glossa multis rationibus. Alberi. in verbo, Electio cit. Credo Sacerdotium, & Imperium esse potestates distinctas, & à Deo processisse, de quo satis notaui in l. 1. C. de sum. Trint. & fid. Cathol. idem docet Joannes Parisiensis Theologus Dominicanus tractat. supra-citato, cap. 4. 5. 8. & 9. Sic etiam Michaël Vulcerunus lib. superius citato.

22. Et præterea eodem libro. *Tertio*, inquit, *quæritur, An Imperator sit summo Pontifici subiectus in his, quæ Ciuilia, siue profana & temporalia sunt, Cardinalis hanc quæstionem tractauit in Capitulo. Cum ad verum, distinct. 96. Castaldus de Imperatore quæst. 50. Michael Vulcuranus de Regimine mundi, part. 2. quæst. 11. principali. Constat inter omnes in his, quæ sacra, spiritualia, & Ecclesiastica sunt, Imperatorem Romano Pontifici tanquam superiori esse subiectum: Item, ratione peccati, posse à Romano Pontifice admoneri, corripi, & pœnis Ecclesiasticis puniri. Vnde si vsurarius sit, si seditiosorum, si facinorosorũ, & perditorum hominum fautor, si sacrilegus, simoniacus, schismaticus, vel hæreticorum adiutor, periurus & in omnes crudelis, & in his peccatis, vel aliis in Ecclesiam contumax, potest à Romano Pontifice sacris interdici, vel à cœtu piorum excludi, vt constat* Cap. 6. q. 3.

Et Papa ſupra eum, quoad ipſa imperialia iura, nō eſt. 23. q. 1. in ſumma, q. 7. non ſi, 9. diſt. de capit. Et ad hoc faciunt præſcripta, & 66. diſt. quum ad verum, multa habens ſingularia, in quibus à Papa & ſynodo honorabatur. 63. diſt. Adrianus. 2. &c. in ſynodo. &c. reatina.

Deinde Lupoldus Bambergenſis Epiſcopus, quem Bellarminus virum eruditum vocat, & inter Catholicos ſcriptores ponit, de iure Imperij Romani c. 8. docet, *electum Regem vel Imperatorem Romanorum non teneri vt a Papa approbationem petat & recipiat.*

Demum Cardinalis pariter ait, *Electum in Regem Romanorum, approbationem accipere à Romano Pontifice, confirmationem non item: quia iura tantùm dicunt approbari debere, non autem confirmari. Nam approbatio & confirmatio, diuerſa duæ res ſunt: confirmatio enim indiget ſuperioris auctoritate, non autem approbatio.* Quo videtur ſatis indicare, Pontificem Imperatore in temporalibus non eſſe ſuperiorem. *In Clementin. 1. de iureiur.*

24. Demum noſtræ quoq; ætatis clariſſimus, & Curiæ Romanæ notiſſimus Canoniſta Nauarrus, in hanc it ſententiam, vbi ait: *Infero primo errare Barthol. in l. 1. §. Præſides, ff. de requirend. reis, dum ſignificare videtur hæreticam eſſe, quam elegimus opinionem, & ob id quaſi* * *damnatū fuiſſe Dantem* *Relect. cap. Nouit. de Iudic. Notab. 3.* ** de hæreſi.*

tem Florent. Poetam celeberrimum; & qui eam affirmant, hæreticos. Hæc Nauarrus, quem Lector vbi perlegerit, iudicabit potius Bzouium malè sanæ mentis esse, quam Cæsarem Ludouicum.

Col. 794. V. 25. Bzouius. *Hactenus Ludouicus Bauarus, sed non tam Ludouicus Bauarus quam Episcopus Lupoldus Bambergensis partim dolo, partim violentia in Episcopatum intrusus sanciebat. quemadmodum hostis Romanorum Pontificum Illyricus in Catalogo testium suæ veritatis insinuat, vel potius asseuerat. Is enim disertè ista scripsit, Lupoldus inter alia scripsit de iuribus Imperij contra Papam: præcipuè autem hasce sententias defendit: Cæsarem statim post suam electionem habere integram potestatem administrandi Imperij. Nihil ei accedere ex coronatione Papæ. Non esse Feudatarium Papæ nec iurare vt vasallum: denique & donationem Constantini adductis contrarijs opinionibus oppugnauit: simul & varias aduersariorum obiectiones soluit. Itaque factum vt inter Germaniæ proceres, ob variam rerum prudentiam, in magna existimatione fuerit. Hactenus Illyricus.*

26. Sanxisse ista Lupoldum Bambergensem Ludouici nomine, præter te, Bzoui, nemo affirmat; neque hoc, vt tu loqueris, insinuat Illyricus, nam hic librū intelligit pro iure Imperij scriptum, ab hac sanctione diuersissimum; de quo audi censuram Bellarmini, *In script. Eccles.* *Lupoldus Bambergensis, vir eruditus, æqualis Landulphi Cartusiani, scripsit librum de iuribus Imperij, in quo multa admiscet ad historiam Ecclesiasticam vtilia.* Rectè non addit Bellarminus, Lupoldum scripsisse eum librum contra Papam,

Papam, vt nec ipſe Lupoldus in libri inſcriptione tale quid addidit, ſed Bzouius hìc in margine Illyricum hæreticum ſecutus ſcribit, *Lupoldus Bambergenſis intruſus ſcripſit contra Papam de iuribus imperij.* Sed parum refert, à quo conſtitutio, *Licet iura,* ſcripta ſit, cùm etiam Albericus iuriſperitus eodem tempore,& poſtea Pius II. Itali, ac Nicolaus Cuſanus Cardinalis eadem ſcripſerint, vt paulò ſupra declarauimus.

27. Porro vnde promis, Bzoui, *Lupoldum partim dolo, partim violentia in Epiſcopatum intruſum?* Curioſus ſum, & vnà mecum lector; auemus noſcere, ſed non vti Bzouius, nam male noſcit. Habeo ad manus MS Bambergenſium Epiſcoporum chronicon, è quo lector hauriet, vnde figmenta Bzouiana videat & exſufflet. *Præſedit hoc tempore cathedræ Bambergenſi Lupoldus de Egloffſtein, qui anno 1333. electus, obiit 1343.* neque ſanctionis illius ſcriptor neque auctor libri, de quo Illyricus memorat. Huic ſucceſſit Fridericus de Hohenloch vſque ad annum 1352. Secutus eſt Leupoldus ſeu Lupoldus de Bebenberg (de quo Illyricus) *confirmatus Auinione perſonaliter inibi exiſtens anno 1353. Scripſit de zelo Chriſtianæ religionis ad Rudolfum Saxoniæ ducem, de tranſlatione regni & imperij Romanorum ad Alemanos, alióſque tractatus, & multa bona fecit Eccleſiæ.* Idem à Genebrardo in Bene-

dicto XII. *Sanctus*, & in principio libri sui de iuribus Imperij *Diuus* appellatur.

An. 1313. XIIX. §. 1. & 2. f. 28. Sed placet adiungere huius Lupoldi Encomiasten (quem Bzouius, quia supra pro defendendo suo Bernardo in Cæsarem veneno, vti fama ferebat, grassante verba fecit, testem vocauit, omni fide maiorem, integritatis & probitatis laude inter Germanos scriptores præstantem, grauémque & sanctum virum) Trithemium qui ita scribit, *Lupoldus de Bebenberg Episcopus Bambergensis, Iohannis Andreæ Bononiensis quondam auditor atque discipulus, Iureconsultus omnium laude celeberrimus, & tam in diuinis scripturis, quàm in secularibus literis egregiè doctus, ingenio cautus & promptus eloquio, scripsit quædam magnæ eruditionis opuscula, quibus nomen suum immortalitati consecrauit. Volumen insigne de zelo & feruore principum & nobilium Germanorum pro fide Catholica, & Romanæ sedis honore atque Præsulibus librum vnum, item de iuribus* Romani *Imperij librum vnum. Epistolas etiam multas ad diuersos eleganter composuit. Sed & alia nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Ludouico Imperatore quarto, & Benedicto Papa* XII. *anno Domini M. CCC. XL.* Ergo Bzoui, Lupoldus partim dolo, partim violentia intrusus fuit, id quod erat demonstrandum.

Part 1. pag. 144.

29. Bzo-

29. Bzouius. *Res itaque est, Lupoldum, Romanis Pontificibus, quod intrusionem suam non probarent, non vsquequaque aquũ, tam Ludouicum Bauarum ad eam constitutionem sanciendã, quam Principes quosdam Electores ad subsequentem, quam adiungo (si tamen ea non supposititi a est) epistolam scribendam impulisse, vel proprio pollice exarasse. Namque nec lac lacti, nec ouum ouo tam simile, quàm ista est superiori constitutioni. Ad eum modum in Annalibus Rebdorfij, Electores Principes diebus* XXIIII. *ante Comitium Francofordiense Benedicto Pontifici scribebant, si scribebant.* Col. 191. V

EPISTOLA ELECTORVM AD PAPAM Benedictum XII. super Ludouico.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Benedicto Papa, vestri deuoti filij, Henricus, Dei et Apostolica sedis gratia Archiepiscopus Moguntinensis, Electorũ Principũ Decanus, nec non per Germaniã sacri Imperij Archicancellarius; Balduinus Archiepiscopus Treuerensis, Cancellarius Gallia; Walramus Archiepiscopus Coloniensis, Cancellarius Italia; Waldemarus Marchio Brandeburgensis, Camerarius: Rudolphus Palatinus Dapifer: Rudolphus Dux Saxonia portitor ensis, Romanorum *Regis & coronandi Imperatoris legitimi Electores.*

Grauamur non modicè & turbamur ex intimis, cùm reuerendam sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem nostram, & ipsius summos Pontifices, quibus reuerentiam & honorem exhibere volumus promptis & deuotis animis omni vice, ac sacrosanctum Imperium, & Imperatores, seu Reges ipsius, quorum defensio ad nos, ac omnes alios Coëlectores nostros præ cæteris mundi Principibus specialiter pertinere dinoscitur, sicut temporibus præsentibus, videmus ad inuicem discordare. Nam ex hoc non potuerunt sibi & populo Christiano proficere & prodesse, & prout est diuinitus institutum, sibi mutuo suffragari. Propter quæ in diuersis mundi partibus, prouinciis & terris ipsis regendas, gubernandas commissis, innumera execrabilia pericula animarum, personarum & rerũ, et diuersa scãdala in Dei Ecclesia (quod dolenter referimus) sunt suborta; & maiora præsumuntur futuris temporibus, quæ ad planum dici nequeunt vel cõscribi, certitudinaliter suboriri; quæ submoueri non possunt, nisi vtraque potestas contenta sit suis iuribus & consuetudinibus hactenus obseruatis; & reformentur, quæ vna contra aliam attentauit.

Ad regendum & gubernãdum.

Sanctitati vestræ cum omni deuotione, et in modum quem possumus meliorẽ & humiliorẽ referimus bono zelo, quod super præmissis & ad consulendũ & prouidendum sacrosancto Romano Imperio, cuius iura, honores, bona, libertates & consuetudines, pro-

stra-

ſtrata iacent, et à diuerſis perſonis Eccleſiaſticis & ſecularibus ſunt et fuerunt hactenus in graue praiudicium dicti Imperij inuaſa, occupata et multipliciter conculcata, XV. menſis Iulij, anni XXXVIII. in Reinſe, ſuper alueo Reni (vbi Principes Electores ſuper negotiis Imperij tractandis conuenire conſueuerunt ab antiquo) cum aliis omnibus Principibus Electoribus Imperij in vnum fuimus congregati, et diuerſis deliberationibus & conſiliis pramiſsis, ſicut diuina gratia placuit, omnes vnanimes fuimus, & nullo penitus diſcrepante, pro defenſione & recuperatione iurium, honorum, bonorum, libertatum, conſuetudinum ſacri Romani Imperij, ac totius Chriſtianitatis, ad cuius regimen & defenſionẽ idem Imperiũ principaliter ordinatum dinoſcitur, diſpoſuimus & ordinauimus, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, & firmauimus iureiurando, per ſacramenta corporaliter à nobis & Coëlectoribus noſtris praſtita: quod iura, honores, bona, libertates, et conſuetudines dicti Imperij et noſtra, nobis in electione Imperij competentia ex conſuetudine vel de iure, manuteneamus, defendamus, & illibata conſeruemus toto poſſe, et viribus noſtris, contra omnes homines, cuiuſcunque praeminentia, dignitatis ſeu ſtatus exiſtant: & quod hoc non obmittamus propter aliqua pericula rerum et perſonarũ, aut pracepta, mandata, & proceſſus, per quemcunque et in quemcunque modũ & formam prolati ſint, velin an-

tea proferantur contra Imperium & nos vel Coëlectores nostros, per quæ dicto Imperio, ac nobis & Coëlectoribus nostris in prædictis iuribus, bonis, honoribus, libertatibus, & consuetudinibus præiudicatum sit, vel in futurum posset præiudicium generari.

Et tandem super præmisso lamentabili desiderio, & causis originalibus, ex quibus ortum dignoscitur, quod inter sanctam Romanam Ecclesiam, ac sacrum Romanum Imperium, & Dominum nostrum Ludouicum Romanorum Imperatorem, iam longis temporibus diligenti & sollicita deliberatione præhabita, nos & alij Coëlectores nostri cognouimus, & nobis constitit euidenter ex processibus quondam Domini Ioannis Papæ XXII. prædecessoris vestri, quod ipse primò & postea sententias excommunicationis & interdicti (si sic dici merētur) ac alias diuersas sententias & processus de facto contra Deum & iustitiam & iuris ordinem fulminauit, contra prædictum Dominum nostrum, Dominum Ludouicum Romanorum Imperatorem, ac fautores & adhærentes sibi, (qui à maiori parte Principum Electorum fuit ritè & rationabiliter in Regem Romanorum electus, in Imperatorem postea consecrandus) quod se de administratione Imperij intromisit, non approbata per prædictum prædecessorem vestrum ipsius electione, quam in discordia asseruit celebratam.

Per quas sententias & processus, cum iuri et consuetu-

ſuetudini Imperij, præfato Domino noſtro Ludouico, nobis & aliis Electoribus Imperij permaximè derogetur: cum iure caueatur & conſuetudine, cuius contrarium memoria hominum non exiſtit, ſit rationabiliter introductum, & ſine cuiuſuis contradictione legitimè obſeruatum, ſicut etiam in prædicto parlamento, per nos & alios Coëlectores noſtros, præhabita diligenti deliberatione & diſcuſſione, ac conſilio multorum Principum, Comitum, Baronū, et Nobilium eſt concorditer declaratum, & ſententialiter diffinitum,

Quod vacante Romano Imperio is qui eligitur concorditer, vel à maiori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus eſt habendus. Et quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, conſenſu, vel auctoritate ſedis Apoſtolicæ, ſuper adminiſtratione bonorum & iurium Imperij indiget, ſiue titulo Regis aſſumendo: quódque iura & bona Imperij adminiſtrare & gubernare poterit, & de iure & conſuetudine, nulla ſedis Apoſtolicæ ſuper hoc licentia habita vel obtenta.

Quare cum ſanctitas veſtra teneatur præ omnibus Regnis mundi defendere iura Imperij, quod ad defenſionem ſedis Apoſtolicæ & totius Fidei Chriſtianæ eſt cælitus ordinatum, & ſine cuius ſalubri gubernatione & defenſione non poteſt in opulentia pacis perſiſtere Chriſtianus populus, nec bene colere pacis auctorem: Clementiæ ſanctitatis veſtræ ſup-

ſupplicamus cum omni humilitate et reuerentia, qua poſſumus & valemus, quatenus ſententias & proceſſus prænotatos, et quicquid exinde ob nos ſecutum eſt, totaliter & penitus reuocetis, tanquam in præiudicium Imperij et iurium ipſius prolatos.

Quæ iura illibata pro poſſe ſeruare tenemur, ratione à nobis præſtiti iuramenti, vt obinde in omni obedientia & deuotione Eccleſiæ Romanæ & Sanctitatis veſtræ debeamus deuotioribus animis perpetuo permanere. Et ne ſi ſecus fieret, nos & alij Coëlectores noſtri cum aliis Principibus Eccleſiaſticis et ſecularibus Alemaniæ cogeremur inuenire & quærere contra eoſdem proceſſus & ſententias, quamuis inuiti, remedia opportuna, ſuper præmiſſis ad ſanctitatem veſtram tales transmittimus, quibus in dicendis & petendis noſtro nomine fidem, veſtram Clementiam petimus adhibere.

Hactenus Electores ſcribebant, ſi ſcribebant, quemadmodum extat in libro membranaceo Bibliothecæ Palatinæ poſt Chronicon Martini Pœnitentiarij Pontificij, ex quo exſcripſit Rebdorfius.

Verba tua patent Bzoui; res itaque non eſt. Somniatorem te potius, quàm coniectatorem dixerim, *nec lac lacti, nec ouum ouo tam ſimile*, quàm verba tua ſunt vanitati,

30. Pronunciatum I. *Lupoldum Pontificibus, quod intruſionem ſuam non probarent, non vſquequaque*

quaque

quaque æquum fuisse. Falsum hoc est Bzoui, & iniuriam infers tanto viro: nihil enim de hoc Chronicon Bambergense, nihil alij.

31. Pronunciatum II. *Lupoldus Ludouicum Bauarum & Principes Electores ad hanc epistolam scribendam impulit.* Verba hæc non nisi tui effrenis sunt calami, Bzoui, profer alium præter te testem.

32. Pronunciatum III. *Si epistola ea non suppositia est.* Item, *Principes Benedicto* eam epistolam *scribebant si scribebant.* Quid dubitat Bzouius? aut quas dubitationis causas habet? nullas, nullas; & tamen dubitat: sed quem moueat hic Dubitantius? Ego vicem tuam implebo, Bzoui, aut potius meam. Si mihi liberet suspectam reddere hanc epistolam, dicerem mihi improbandam videri, quod inter cætera etiam præ se ferat nomen Waldemari Marchionis Brandeburgensis, qui ex tuo non laudato testimonio pridem Electorali dignitate erat exutus, & per Ludouicum eiectus; ex meo autem & vero sensu, absoluto naturæ cursu mortuus, nulla vi nisi lethi suprema. Cur igitur post mortem Marchio iste adhuc inter viuentes & scribentes censetur? Responderem ego percunctanti, contingere eum errorem potuisse audacia score, qui putarit non Ludouicum sed Waldemarum tum fuisse Marchionem; sicut etiam anno 1349.

quidam surrexit, qui diceret se Waldemarū Marchionem esse, nec vnquam fuisse mortuum, & à Rudolpho duce Saxoniæ, ab Episcopo Magdeburgensi, & à maxima parte populi fuit receptus, vt Rebdorsius scribit. Neque credendum est genuinas literas corrumpi non posse, aut propter vnius vocis erratum reiici posse. Neque mirum talia Pontifici ab Electoribus Principibus fuisse perscripta, cum idem aliique Imperij Principes cum Imperatore similia scripserint in constitutione *Licet iura*.

Pag. 444. v. 20.

33. Porrò iidem Electores & alij Principes confœderationem eodem ferè tempore & loco (vt constat ex eadem epistola [a] & ex confœderationis formula [b]) de iuribus suis & Imperij contra quemcunque tuendis inter sese inierunt, quam hic ex autographo Germanico in Latinū fidelius quàm elegantius versam describemus, ex qua itidem confirmatur, & illam Benedicto Epistolam ab Electoribus de iisdem iuribus tuendis perscriptam.

[a] §. 3. [b] in fine.

34. *Nos Dei gratia, Heinricus Archiepiscopus Moguntinensis, Walramus Archiepiscopus Coloniensis, Balduinus Archiepiscopus Treuerensis, Rudolphus, Ruppertus fratres, Stephanus, Ruppertus Iunior, Comites Palatini Reni & Duces Bauariæ, Rudolphus Dux Saxoniæ & Ludouicus Marchio Brandenburgensis. Notum facimus cunctis hominibus qui has*

has literas vident, aut legi audiunt, quod simul considerauimus & perspeximus, sacrum Romanum Imperium in suis honoribus, iuribus et bonis atque etiam nos in nostris honoribus, iuribus, consuetudinibus & priuilegiis, quæ à prædicto Imperio habemus, vehementer his temporibus, atque etiam antehac impetiti, infirmati, & grauati fuimus ac sumus, & propter communem ac manifestam vtilitatem totius Christianitatis, atque ad prædicti Imperij nostrúmque honorem, iura, priuilegia, & consuetudines tutandas, defendendas & manutenendas, vnanimiter conuenimus, & nos confœderauimus, quod prædictum Imperium, & nostrum principalem honorem, quem ab eo obtinemus, videlicet in electione Imperij, in illius ac nostris iuribus, priuilegiis, & consuetudinibus, sicut ab antiquo ad nos & ad Imperij Electores peruenerunt, & deuoluta sunt, manutenere, tueri, ac defendere volumus pro omnibus nostris viribus ac opibus, sine fraude, contra quoscunque nemine excepto: siquidem hoc nostrum honorem & iuramentum attingit; nec volumus id intermittere propter vllum mandatum, à quocunque, vel quomodocunque datum, per quod Imperium & nos Electores in præscriptis rebus vllo modo infirmari possemus. Volumus etiam omnes Dominos & amicos, qui ad nos pertinent, vel non pertinent, siue sint Ecclesiastici siue seculares, nostros quoque vasallos, ministeriales,

 Castel-

Castellanos, officiales et ciues, ad idem faciendum rogare, & inducere, in quantum possumus: & ad hoc efficiendum debet quilibet ex nobis Electoribus alteri auxilium præstare, sine fraude; vt illi nobis in his rebus auxilium & opem ferant, ídque nullius respectu intermittant, et ob nulla mandata, à quocunque illa dari possent. Quod si contingeret vllam dissensionem aut dubium super his rebus inter nos Electores oriri: quicquid nos tunc omnes aut maior pars ex nobis super hoc diffiniemus & statuemus, id debet vim habere atque à nobis obseruari sine dolo. Omnia hæc præscripta capita, & vnumquodlibet horum singulatim spopondimus bona fide, et spondemus his præsentibus literis per nostrum principalem honorem, nec non iurauimus hoc ipsum ad sanctos pro nobis & nostris successoribus perpetuo firmitérque tenere, neque contrauenire, nec ab hoc desistere vllo modo, sicut in præmissis continetur, & scriptum est. Non debemus, non volumus quoque nec possumus nos, nec quisquam alius qui nobiscum in hanc confœderationem veniet (qui iurare quoque hoc ipsum debet, & vouere, sicut in præmissis et sequentibus scriptum est) si ita deprauaremur, quod Deus auertat, vt contra faceremus, aut facere vellemus; non debemus, inquam, nec volumus nec possumus contra iuuari vlla dispensatione, absolutione, relaxatione, abolitione, in integrum restitutione, neque vllo beneficio, quocunque nomine illud appel-

appellaretur, vndecunque aut quomodocunque fieret, siue per nostras aut aliorum hominum preces, siue quod latinè dicitur, ex officio; neque vlla potestate eius, qui hac curare vellet: apud Deum & homines futuri ac dicendi infames, infideles, et periuri, vbicunque vel quocunque modo contra faceremus aut veniremus, quouis pacto, omni fraude ac dolo à præscriptis capitibus & singulis eorum exclusis. Ad notitiam horum damus has literas obsignatas nostris signis, quæ datæ sunt in Rense, die Iouis post Margaritæ. A Natiuitate Christi M.CCC. XXXIIX. Anno. Incidit autem dies ille Iouis in 16. Iulij, cùm litera Dominicalis fuerit D. incidens in 12. Iulij, in quem etiam vel certè in 13. inciderat dies S. Margaritæ.

35. Huius confœderationis meminit Argentinas cum scribit, *Interim cõuenientes in villa Rens super* Rhenum *Imperator & Principes Electores, confectis desuper literis & iuramentis præstitis, quòd Imperium & eius iura contra omnes, nullo excepto manutenerent, & ad ipsum omnes quos possent arctarent, nulla absolutione vel quauis occasione obstante, firmarunt.* Eandem confœderationem firmarunt postea Francofurti mense Augusto apud Rebdorfium. P.129.pr. P.426.§.4

36. Pronunciatum IV. *Electores diebus* XXIV. *ante comitium Francofordiense Benedicto scribebant.* Nempe non poteras aliter confusionis tuæ

 chaos

chaos lectori monstrare, nisi quæ in principio Augusti gesta fuere, præposuisses aliis, quæ in medio Iulij. Quanquam est id abs te non modò cum ratione, sed nec sine astu factum. nam si hanc Electorum Epistolam constitutioni *Licet iura* anteposuisses, lector ex epistola constitutionis æquitatem, necessitatémque æstimasset. Quid enim æqui & boni sperandum amplius crederet, quod nec Imperator, nec Electores, nec reliqui Imperij Principes, Comites, Barones, Nobiles, tam supplicibus literis impetrassent?

37. Pronunciatum V. *Hanc epistolam Rebdorfium ex Martini Pœnitentiarij Pontificij chronico exscripsisse.* De hac re Bzouio minus constat, quàm mihi de valetudine Mogoris magni Imperatoris. Scriberet fortasse quid lectori probandum Bzouius, si sciret, quid scriberet; ita enim sese ipsum induit, vt nemo hominem amplius expedire possit. Non Rebdorfius sed Freherus Rebdorfij editor epistolam illam exscripsit, vt ipsemet fatetur, quem Circæis artibus in Rebdorfium transformauit Bzouius. Itaque in Rebdorfio, quem nuper V. C. Christophorus Geuoldus edidit, epistola illa rectè non comparet.

P. 426. §. penult. & 427. §. 2.

Col. 796. VI.

38. Bzouius. *Eas ipsas literas cùm Benedictus Pontifex accepisset, Regi Galliarum & Regi Siciliæ, quid sibi ex Alemania scriptum fuisset significauit.*

Epist.

Epist. 130. mox Cardinales aliquot legatos, qui pacem inter Siciliæ, Anglorum & Galliarum Reges concordiam tentarent, destinauit. Epistol. 397. deinde vt Ioannis XXII. *contra Ludouicum processus & sententiæ publicarentur, omnibus Prælatis Ecclesiarum præcepit.*

39. Pronunciatum I. *Eas literas postquam accepisset Pontifex, quid sibi ex Alemania scriptum fuisset, Regi Galliarum & Regi Siciliæ significauit.* Quis non in cachinnos erumperet Bzoui? & hîc & supra ter omnino has literas suppositiitias vereris: atque iterato obtrudis, *Electores scribebant, si scribebant.* Quid hoc significat, nisi hos Principes fortasse non scripsisse? At si hoc ita est, aut si dubium est, an ita sit, quomodo ergo ea, quæ perscripta sunt, significauit Pontifex Regibus Galliæ & Siciliæ? Si Pontifex Principum epistolam accepit, si eandem Regibus exposuit, vti tute disertis verbis affirmas; ergo Principes scripsere, quæ scripsere, & non scripsere si scripsere; aut certè tu falso affirmas, Pontificem de iis certiores reddidisse Reges, falso citata eius epistola 130.

40. Pronunciatum II. *Benedictum præcepisse omnibus Prælatis Ecclesiarum, vt Ioannis* XXII. *contra Ludouicum sententiæ publicarentur.* Deponam tecum Bzoui etiam regnum Chinense, te Orbem ipsum hoc loco decipere & quidem

de

de industria. nam quibus auctoribus tu ista conuinces? Mutius & Nauclerus sequente §. à te laudati ea non dicunt, & supra audiuimus Benedictum sensisse, Ludouicum potius tulisse, quàm intulisse iniurias; nam cùm illi diceretur Ludouicũ multa contra Ecclesiam fecisse, respondit Benedictus, *Imò nos fecimus contra eum, ipse enim cum baculo venisset ad pedes prædecessoris nostri, si voluisset; sed ipse noluit eum recipere: & quidquid ille fecit, quasi prouocatus fecit.* Ita Argentinas. Quomodo igitur Benedictus sententias illas promulgari iussisset, quas non satis iustas fuisse satis indicat? Itaque putidum est quod Bzouius scribit, nisi olentes vrat vnà cedros. Mihi verò certum est Pontificem nihil grauius statuisse in Cæsarem, antequam is decretum, quòd non multò post subiiciemus, diuulgaret.

Pag. 126. 32.

N. 47.

Col. 797. VI. & V.

41. Bzouius. *Quæ cum vbique magis rata haberentur, ipse inops consilij aliquos ex Fratribus Minoribus, dudum ab eodem Ioanne Pontifice anathemate damnatos consuluit, & ex eorum vesano ingenio, decretum quod adiungo, in Comitio Francofordiensi sub sigillo suo edidit, & contra processus Ioannis Pontificis euulgauit. Ita habet ad perpetuam illius infamiam, apud Mutium libr. 24. German. Chron. & apud Nauclerum Generat. 45. volum. 2.*

42. Tua quædam pro Mutianis vendis. Sic enim Mutius,

Mutius, *Cùm autē excommunicatio Ludouici, quam aduersus eum Pontifex Ioannes 22. promulgarat, iam rata magis haberetur, quam vnquam antea, Imperator inops consilij vbique quærebat consilium, consulebat autem etiam monachos, qui apud Principes ob doctrinam & probitatem adhuc in precio erant. Consulentibus igitur quibusdam monachis ordinis Diui Francisci, conuocat Francofurdiam Principes, & illinc ex comitiis decretum sub sigillo suo edidit, & promulgauit contra processus Ioannis 22. Pontificis.* Pag. 236. 28.

Primum ergo Mutius non dicit *Vbique ratas fuisse habitas sententias*, sed hoc de suo adiecit Bzouius. Deinde Mutij quoque dictum verum non esse, vel ex Bzouio probabimus. Nam Bzouius an. 1336. *N III. & VII. § vlt. f* docet, Ludouicum cum Anglo iniquum fœdus iniisse, & à Benedicto Papa sæpius monitum, vt ab eo fœdere discederet, adeóque fidem Eduardo male datam bene rescinderet. At Mutius contra docet, Ludouicum ob fidem Anglo non seruatam à Benedicto non fuisse absolutum, & excommunicationem à Iohanne 22. in eum latam, iam ratam magis fuisse habitam, quam vnquam antea. Hanc verò à Mutio allatam causam falsam esse Bzouius dicat oportet; cur ergo effectum huius causæ, magis videlicet ratas fuisse habitas sententias à Iohanne in Ludouicum latas, pro vero nobis obtrudit? præsertim cum Argentinensis & Iacobus Moguntinus

tinus antiqui & rei gestæ æquales non eam sed longè aliam occasionem, qua Ludouicus id decretum fecerit, memorent, nimirum, quod rex Galliæ Ludouico fidem fefellisset, & Benedictus eidem Ludouico absolutionem non impertiuisset.

43. Sic enim Iacobus Moguntinus apud Nauclerum anno 1337[a]. & Mutium[b], *Rex Franciæ Philippus vt auerteret Ludouicum, misit solennes nuncios Imperatrici filiæ sororis suæ, quæcunque ea fuit, vocans eam dominam Alamaniæ, petiuitque vt sibi imperatorem pacificaret, multa promittens. Qua interueniente hinc inde principes oratores suos mittebant, tandem contracta est inter eos liga perpetua literis & iuramentis firmata, iurauitque rex Franciæ, quod Ludouicum cum apostolico vellet concordare, & sic Ludouicus deinceps per regnum Franciæ imperator scriptus est & nominatus. Quo facto Ludouicus regem Angliæ absoluit à vicariatu imperij, & ex tunc ipse Ludouicus prosperitatem nunquam habuit, & rex Franciæ qui corporale præstiterat iuramentum, quod eum Papa reconciliaret, nihil fecit. Hæc Iacobus Moguntinus. Postea misit Imperator oratores ad regem Franciæ, qui suos quoque oratores vnà cum imperialibus ad Benedictum destinauit, petentes reconciliari Imperatorem, quibus Papa respondisse fertur, nunquid Ludouicum ad arbitrium*

a Post m.
b P. 235. 40

bitrium regis nunc hæreticum, nunc vero Christianissimum habere deberet, & protracto variis tractatibus negocio Francus vt credebatur quod noluit, simulauit se velle, Benedictus verò Papa quod voluit simulauit se nolle, itáque nil actum fuit. Subiicit mox Nauclerus decretum Ludouici contra Iohannis XXII. processus anno 1338. factum.

44. Argentinensis ad eundem modum, *Posthæc misit Francus nuncium & literas Imperatrici, filiæ sororis suæ quam dominam Alemanniæ scripsit, vt inter ipsum & Principem concordiam, si posset, ordinaret, & sibi nuncium, de quo princeps confideret, de concordia attentanda destinaret. Et missis hinc inde pluries nunciis & literis inter Principem & Francum, interpositis iuramentis & confectis literis, liga perpetua est firmata: in qua ipse Francus Principem cum sede apostolica reformare iurauit. Et sic Princeps per Francum, & in tota Francia, posthæc & Parisiis scriptus est & nominatus Imperator. Cùm autem consiliarij Franci propter processus apostolicos anxij dubitarent, dicebant nuncij principis: si estis in proposito nostro, quod processus non ligent, bene consuluistis domino nostro: sin aliter, tradidistis eundem. Et sic Princeps commissionem Vicariatus factam regi Angliæ, in parlamento publico & literatoriè reuocauit. Missisque interim sæpius nuncijs Imperatoris, vnà cum legatis et literis* Pag. 121. §. penult.

& contra Imperialem auctoritatem, potestatem & dignitatem opponuntur, ne simplicium corda possint inficere, secundum sacrorum canonum et legum tenorem in his scriptis duximus respondere, & contra ipsos impugnantes & opponentes, et eorum dicta, procedimus, prout inferius continetur.

In primis contra nos & Imperialem auctoritatem, et ius Imperij allegatur & obiicitur, quod potestas & auctoritas Imperialis est à Papa: et quod electus in Regem Romanorum ex sola electione non est nec dici potest verus Imperator, nec habet potestatem, iurisdictionem, et auctoritatem, antequam inungatur, consecretur, et coronetur à Papa: qui (vt dicunt) tam in temporalibus quàm in spiritualibus habet plenitudinem potestatis. Ad quæ respondemus hanc opinionem sacris canonibus ac iuri & rationi pariter obuiare, sicut expressè patet in Decreto, 96. distin. c. Cùm[a] ad verum, & can. Duo[b] sunt, &c. Si[c] Imperator, vbi expressè habetur in hæc verba: Duo sunt quippe, quibus principaliter hic mundus regitur, scilicet auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas. Habet quippe Imperator priuilegium potestatis suæ, quam administrandis legibus publicis diuinitus est consecutus. Nec Imperator iura pontificatus, nec pontifex iura Imperatoria vsurpat. Hæc ibi. vbi glossæ ordinariæ dicunt quod istæ potestates sunt diuersæ & quod neutra dependet ab altera, & quod Imperator non habet potestatem siue Imperium nisi à solo DEO S. Hieron. 93. distinct. cap. Legimus, vbi in textu dicitur, quod exercitus.

Vide Azor t.2.l.10.c.6.q.3.§.8. & seqq.

a Nicol. PP
b Gelas. PP
c Ioh. PP.

tus facit Imperatorem: & glossa super verbo Imperatorem, dicit sic: Ex sola enim electione Principum dico eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur, vt dixi 63. distinct. cap. Quanto Hac glossa. Et hoc etiam probatur in Canone Quoniam 10. distinct. vbi de potestate Imperiali & Pontificali loquitur in hac verba: Quoniam mediator Dei & hominum CHRISTVS IESVS sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, vt Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium rerum Imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus incursibus distaret, & DEO militans (scilicet Papa) minime se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim ille (scilicet Imperator) non videretur diuinis rebus præsidere, qui esset secularibus negotiis implicatus. Hac ibi. Vbi glossa ordinaria de vtraque potestate loquens, dicit sic: Cum ergo potestates istæ distinctæ sint, est hoc argumentum, quod Imperium non habetur à Papa: & quod Papa non habet vtrumque gladium. Nam exercitus facit Imperatorem, 93. distinct. c. Legimus: & imperium à solo Deo habetur, 23. q. 4. c. Quæsitum. Alioquin si imperium haberetur à Papa, posset in temporalibus ad Papam appellari, quod prohibet Alexander Papa IV. quod illa (scilicet temporalia) suam (scilicet Papæ) iurisdictionem non attingunt, ext. de appellationibus, c. Si duobus: & Qui filij sint legitimi, c. Causam quæ inter. Et ita ego credo istas potestates esse distinctas. hac glossa. Et 1. distinct. c. Quo iure, dicitur, quod iura humana per Imperatores, reges seculi, Deus humano generi distribuit. Et lex dicit, quod imperium et sacerdotium ab eodem principio processerunt in actum, Authen. Quomodo oporteat epis. & cler. ad ord. perduci, in prin. collat. 1.

Nicol. PP.

Nec

Nec Imperator iurisdictionem Papæ, nec Papa iurisdictionem Imperatoris perturbare debet, ext. de iud. c. Nouit. Ex quibus & aliis pluribus, quæ breuitatis caussa dimittuntur, clarè patet, quod potestas & auctoritas imperialis est immediatè à solo Deo & non à Papa: et quod electus in Imperatorem ex sola electione est Rex Romanorum, & habet auctoritatem, iurisdictionem & potestatem Imperialem, etiã antequam inungatur, consecretur, & coronetur à Papa; et quod Papa in temporalibus non habet dictam plenitudinem potestatis.

Sed obiicitur, quod ille, qui se Iohannem Papam XXII. *appellabat, per suos processus de facto cassauit, siue nullã, cassam, & irritã pronunciauit electionẽ de nobis in regẽ Romanorũ factam: asserens in suis processibus, nos administrare non posse iura Imperij, & quod administratio Imperij ad ipsũ Iohannẽ pertinebat de iure: et alia plura in ipsis processibus asserẽs, & de facto attentans cõtra nos & iura & libertates Principũ Alemanniæ & subditorum Imperij, & contra consuetudines antiquitus rationabiliter introductas & obseruatas, prout in ipsis processibus, imò veriùs excessibus continetur. Insuper post dictos processus, quasdam literas sub bulla sua dicitur fecisse, & per mundum publicè transmisisse, in quibus asserit, se totam Italiam ab Imperio et regno Alemanniæ separasse: insinuans per sua scripta et dicta, quod Papa tanquam dominus vni-*

vniuersalis, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus totius mundi possit ad suum libitum disponere & ordinare.

Ad quæ omnia duximus respondendum, quod dicti omnes processus, assertiones, & literæ, et omnia, et singula, quæ per dictum Ioannem in prædictis, & contra prædicta gesta seu attentata fuisse dicuntur, fuerunt & sunt nulla, & nullius valoris et momenti, rationibus infrascripis.

Prima ratio est, quoniam Papa quantumcunque catholicus & legitimus, non habet talem potestatē nec auctoritatem, aut iurisdictionem in temporalibus, & maximè super iura imperij, quod est immediatè à solo Deo, vt euidenter probant canones, & iura superius allegata. Vnde quicquid prædictus Joannes fecit in prædictis, tanquam à non suo iudice factum, nullius fuit momenti, vt probant apertè Canones, 11. q. 1. c. pen.[a] & 2. q. 1. c.[b] Inprimis, iuxta fin. & 16. q. 1. c. Frater[c] noster, & ext. de iud. c. At[d] si clerici, & ext. de consuetud. c.[e] Ad audientiam nostram, & C. Si à non compet. iud. l. 2. & 3. & vlt. cum similib.

[a] *Hadr PP* [b] *Greg PP* [c] *Greg. PP* [d] *Alex III.* [e] *Innoc. III*

Secunda ratio est ex eo, quod dicti processus, imo verius excessus, fuerunt facti per dictum Iohannem contra nos, & in præiudicium enorme nostrum, & illorum qui nos elegerunt in Regem Romanorum, et aliorum Principum Jmperij, et Alemaniæ ex notoriè falsis causis, et nullo fori ordine seruato, nobisque & aliis, quorum intererat, absentibus et nullo modo legi-

quidam ſurrexit, qui diceret ſe Waldemarũ Marchionem eſſe, nec vnquam fuiſſe mortuum, & à Rudolpho duce Saxoniæ, ab Epiſcopo Magdeburgenſi, & à maxima parte populi fuit receptus, vt
Pag. 444. v. 20. Rebdorſius ſcribit. Neque credendum eſt genuinas literas corrumpi non poſſe, aut propter vnius vocis erratum reiici poſſe. Neque mirum talia Pontifici ab Electoribus Principibus fuiſſe perſcripta, cum idem aliíque Imperij Principes cum Imperatore ſimilia ſcripſerint in conſtitutione *Licet iura.*

33. Porrò iidem Electores & alij Principes confœderationem eodem ferè tempore & loco (vt
a §. 3. conſtat ex eadem epiſtola [a] & ex confœderationis
b in fine. formula [b]) de iuribus ſuis & Imperij contra quemcunque tuendis inter ſeſe inierunt, quam hic ex autographo Germanico in Latinũ fidelius quàm elegantius verſam deſcribemus, ex qua itidem confirmatur, & illam Benedicto Epiſtolam ab Electoribus de iiſdem iuribus tuendis perſcriptam.

34. *Nos Dei gratia, Heinricus Archiepiſcopus Moguntinenſis, Walramus Archiepiſcopus Colonienſis, Balduinus Archiepiſcopus Treuerenſis, Rudolphus, Ruppertus fratres, Stephanus, Ruppertus Iunior, Comites Palatini Reni & Duces Bauariæ, Rudolphus Dux Saxoniæ & Ludouicus Marchio Brandenburgenſis. Notum facimus cunctis hominibus qui*

has

has literas vident, aut legi audiunt, quod simul considerauimus & perspeximus, sacrum Romanum Imperium in suis honoribus, iuribus et bonis atque etiam nos in nostris honoribus, iuribus, consuetudinibus & priuilegiis, quæ à prædicto Imperio habemus, vehementer his temporibus, atque etiam antehac impetiti, infirmati, & grauati fuimus ac sumus, & propter communem ac manifestam vtilitatem totius Christianitatis, atque ad prædicti Imperij nostrúmque honorem, iura, priuilegia, & consuetudines tutandas, defendendas & manutenendas, vnanimiter conuenimus, & nos confœderauimus, quod prædictum Imperium, & nostrum principalem honorem, quem ab eo obtinemus, videlicet in electione Imperij, in illius ac nostris iuribus, priuilegiis, & consuetudinibus, sicut ab antiquo ad nos & ad Imperij Electores peruenerunt, & deuoluta sunt, manutenere, tueri, ac defendere volumus pro omnibus nostris viribus ac opibus, sine fraude, contra quoscunque nemine excepto: siquidem hoc nostrum honorem & iuramentum attingit; nec volumus id intermittere propter vllum mandatum, à quocunque, vel quomodocunque datum, per quod Imperium & nos Electores in præscriptis rebus vllo modo infirmari possemus. Volumus etiam omnes Dominos & amicos, qui ad nos pertinent, vel non pertinent, siue sint Ecclesiastici, siue seculares, nostros quoque vasallos, ministeriales,

 Castel-

Castellanos, officiales et ciues, ad idem faciendum rogare, & inducere, in quantum possumus: & ad hoc efficiendum debet quilibet ex nobis Electoribus alteri auxilium præstare, sine fraude; vt illi nobis in his rebus auxilium & opem ferant, ídque nullius respectu intermittant, et ob nulla mandata, à quocunque illa dari possent. Quod si contingeret vllam dissensionem aut dubium super his rebus inter nos Electores oriri: quicquid nos tunc omnes aut maior pars ex nobis super hoc diffiniemus & statuemus, id debet vim habere atque à nobis obseruari sine dolo. Omnia hæc præscripta capita, & vnumquodlibet horum singulatim spopondimus bona fide, et spondemus his præsentibus literis per nostrum principalem honorem, nec non iurauimus hoc ipsum ad sanctos pro nobis & nostris successoribus perpetuo firmitérque tenere, neque contrauenire, nec ab hoc desistere vllo modo, sicut in præmissis continetur, & scriptum est. Non debemus, non volumus quoque nec possumus nos, nec quisquam alius qui nobiscum in hanc confœderationem veniet (qui iurare quoque hoc ipsum debet, & vouere, sicut in præmissis et sequentibus scriptum est) si ita deprauaremur, quod Deus auertat, vt contra faceremus, aut facere vellemus; non debemus, inquam, nec volumus nec possumus contra iuuari vlla dispensatione, absolutione, relaxatione, abolitione, in integrum restitutione, neque vllo beneficio, quocunque nomine illud appel-

appellaretur, vndecunque aut quomodocunque fieret, siue per nostras aut aliorum hominum preces, siue quod latinè dicitur, ex officio; neque vlla potestate eius, qui hæc curare vellet: apud Deum & homines futuri ac dicendi infames, infideles, et periuri, vbicunque vel quocunque modo contra faceremus aut veniremus, quouis pacto, omni fraude ac dolo à præscriptis capitibus & singulis eorum exclusis. Ad notitiam horum damus has literas obsignatas nostris signis, quæ datæ sunt in Rense, die Iouis post Margaritæ. A Natiuitate Christi M. CCC. XXXIIX. Anno. Incidit autem dies ille Iouis in 16. Iulij, cùm litera Dominicalis fuerit D. incidens in 12. Iulij, in quem etiam vel certè in 13. inciderat dies S. Margaritæ.

35. Huius confœderationis meminit Argentinas cum scribit, *Interim cōuenientes in villa Rens super* Rhenum *Imperator & Principes Electores, confectis desuper literis & iuramentis præstitis, quòd Imperium & eius iura contra omnes, nullo excepto manutenerent, & ad ipsum omnes quos possent arctarent, nulla absolutione vel quauis occasione obstante, firmarunt.* Eandem confœderationem firmarunt postea Francofurti mense Augusto apud Rebdorfium. p.129.pr. p.426.5.4

36. Pronunciatum IV. *Electores diebus* XXIV. *ante comitium Francofordiense Benedicto scribebant.* Nempe non poteras aliter confusionis tuæ

chaos lectori monstrare, nisi quæ in principio Augusti gesta fuere, præposuisses aliis, quæ in medio Iulij. Quanquam est id abs te non modò cum ratione, sed nec sine astu factum. nam si hanc Electorum Epistolam constitutioni *Licet iura* anteposuisses, lector ex epistola constitutionis æquitatem, necessitatémque æstimasset. Quid enim æqui & boni sperandum amplius crederet, quod nec Imperator, nec Electores, nec reliqui Imperij Principes, Comites, Barones, Nobiles, tam supplicibus literis impetrassent?

37. Pronunciatum V. *Hanc epistolam Rebdorfium ex Martini Pœnitentiarij Pontificij chronico exscripsisse.* De hac re Bzouio minus constat, quàm mihi de valetudine Mogoris magni Imperatoris. Scriberet fortasse quid lectori probandum Bzouius, si sciret, quid scriberet; ita enim sese ipsum induit, vt nemo hominem amplius expedire possit. Non Rebdorfius sed Freherus Rebdorfij editor epistolam illam exscripsit, vt ipsemet fatetur, quem Circæis artibus in Rebdorfium transformauit Bzouius. Itaque in Rebdorfio, quem nuper V. C. Christophorus Geuoldus edidit, epistola illa rectè non comparet.

P. 426. §. penult. & 427. §. 2.

Col. 796. VI. 38. Bzouius. *Eas ipsas literas cùm Benedictus Pontifex accepisset, Regi Galliarum & Regi Siciliæ, quid sibi ex Alemania scriptum fuisset significauit. Epist.*

Epist. 130. mox Cardinales aliquot legatos, qui pacem inter Siciliæ, Anglorum & Galliarum Reges concordiam tentarent, destinauit. Epistol. 397. deinde vt Joannis XXII. *contra Ludouicum processus & sententiæ publicarentur, omnibus Prælatis Ecclesiarum præcepit.*

39. Pronunciatum I. *Eas literas postquam accepisset Pontifex, quid sibi ex Alemania scriptum fuisset, Regi Galliarum & Regi Siciliæ significauit.* Quis non in cachinnos erumperet Bzoui? & hîc & supra ter omnino has literas suppositítias vereris: atque iterato obtrudis, *Electores scribebant, si scribebant.* Quid hoc significat, nisi hos Principes fortasse non scripsisse? At si hoc ita est, aut si dubium est, an ita sit, quomodo ergo ea, quæ perscripta sunt, significauit Pontifex Regibus Galliæ & Siciliæ? Si Pontifex Principum epistolam accepit, si eandem Regibus exposuit, vti tute disertis verbis affirmas; ergo Principes scripsere, quæ scripsere, & non scripsere si scripsere; aut certè tu falso affirmas, Pontificem de iis certiores reddidisse Reges, falso citata eius epistola 130.

40. Pronunciatum II. *Benedictum præcepisse omnibus Prælatis Ecclesiarum, vt Ioannis* XXII. *contra Ludouicum sententiæ publicarentur.* Deponam tecum Bzoui etiam regnum Chinense, te Orbem ipsum hoc loco decipere & quidem de

de industria. nam quibus auctoribus tu ista conuinces? Mutius & Nauclerus sequente §. à te laudati ea non dicunt, & supra audiuimus Benedictum sensisse, Ludouicum potius tulisse, quàm intulisse iniurias; nam cùm illi diceretur Ludouicũ multa contra Ecclesiam fecisse, respondit Benedictus, *Imò nos fecimus contra eum, ipse enim cum baculo venisset ad pedes prædecessoris nostri, si voluisset; sed ipse noluit eum recipere: & quidquid ille fecit, quasi prouocatus fecit.* Ita Argentinas. Quomodo igitur Benedictus sententias illas promulgari iussisset, quas non satis iustas fuisse satis indicat? Itaque putidum est quod Bzouius scribit, nisi olentes vrat vnà cedros. Mihi verò certum est Pontificem nihil grauius statuisse in Cæsarem, antequam is decretum, quòd non multò post subiiciemus, diuulgaret.

Pag. 126. 32.

N. 47.

Col. 797. VI. & V.

41. Bzouius. *Quæ cum vbique magis rata haberentur, ipse inops consilij aliquos ex Fratribus Minoribus, dudum ab eodem Ioanne Pontifice anathemate damnatos consuluit, & ex eorum vesano ingenio, decretum quod adiungo, in Comitio Francofordiensi sub sigillo suo edidit, & contra processus Ioannis Pontificis euulgauit. Ita habet ad perpetuam illius infamiam, apud Mutium libr. 24. German. Chron. & apud Nauclerum Generat. 45. volum. 2.*

42. Tua quædam pro Mutianis vendis. Sic enim Mutius,

Mutius, *Cùm autẽ excommunicatio Ludouici, quam aduersus eum Pontifex Ioannes 22. promulgarat, iam rata magis haberetur, quam vnquam antea, Imperator inops consilij vbique quærebat consilium, consulebat autem etiam monachos, qui apud Principes ob doctrinam & probitatem adhuc in precio erant. Consulentibus igitur quibusdam monachis ordinis Diui Francisci, conuocat Francofurdiam Principes, & illinc ex comitiis decretum sub sigillo suo edidit, & promulgauit contra processus Ioannis 22. Pontificis.* *Pag. 236. 28.* Primum ergo Mutius non dicit *Vbique ratas fuisse habitas sententias*, sed hoc de suo adiecit Bzouius. Deinde Mutij quoque dictum verum non esse, vel ex Bzouio probabimus. Nam Bzouius an. 1336. *N III. & VII. § vlt. f* docet, Ludouicum cum Anglo iniquum fœdus iniisse, & à Benedicto Papa sæpius monitum, vt ab eo fœdere discederet, adeóque fidem Eduardo male datam bene rescinderet. At Mutius contra docet, Ludouicum ob fidem Anglo non seruatam à Benedicto non fuisse absolutum, & excommunicationem à Iohanne 22. in eum latam, iam ratam magis fuisse habitam, quam vnquam antea. Hanc verò à Mutio allatam causam falsam esse Bzouius dicat oportet; cur ergo effectum huius causæ, magis videlicet ratas fuisse habitas sententias à Iohanne in Ludouicum latas, pro vero nobis obtrudit? præsertim cum Argentinensis & Iacobus Moguntinus

tinus antiqui & rei gestæ æquales non eam sed longè aliam occasionem, qua Ludouicus id decretum fecerit, memorent, nimirum, quod rex Galliæ Ludouico fidem fefellisset, & Benedictus eidem Ludouico absolutionem non impertiuisset.

43. Sic enim Iacobus Moguntinus apud Nauclerum anno 1337[a]. & Mutium[b], *Rex Franciæ Philippus vt auerteret Ludouicum, misit solennes nuncios Imperatrici filiæ sororis suæ, quæcunque ea fuit, vocans eam dominam Alamaniæ, petiuitque vt sibi imperatorem pacificaret, multa promittens. Qua interueniente hinc inde principes oratores suos mittebant, tandem contracta est inter eos liga perpetua literis & iuramentis firmata, iurauitque rex Franciæ, quod Ludouicum cum apostolico vellet concordare, & sic Ludouicus deinceps per regnum Franciæ imperator scriptus est & nominatus. Quo facto Ludouicus regem Angliæ absoluit à vicariatu imperij, & ex tunc ipse Ludouicus prosperitatem nunquam habuit, & rex Franciæ qui corporale præstiterat iuramentum, quod eum Papæ reconciliaret, nihil fecit. Hæc Iacobus Moguntinus. Postea misit Imperator oratores ad regem Franciæ, qui suos quoque oratores vnà cum imperialibus ad Benedictum destinauit, petentes reconciliari Imperatorem, quibus Papa respondisse fertur, nunquid Ludouicum ad arbitrium*

a Post m.
b P.235.40

bitrium regis nunc hæreticum, nunc vero Christianissimum habere deberet, & protracto variis tractatibus negocio Francus vt credebatur quod noluit, simulauit se velle, Benedictus verò Papa quod voluit simulauit se nolle, itáque nil actum fuit. Subiicit mox Nauclerus decretum Ludouici contra Iohannis XXII. processus anno 1338. factum.

44. Argentinensis ad eundem modum, *Posthac misit Francus nuncium & literas Imperatrici, filiæ sororis suæ quam dominam Alemanniæ scripsit, vt inter ipsum & Principem concordiam, si posset, ordinaret, & sibi nuncium, de quo princeps consideret, de concordia attentanda destinaret. Et missis hinc inde pluries nunciis & literis inter Principem & Francum, interpositis iuramentis & confectis literis, liga perpetua est firmata: in qua ipse Francus Principem cum sede apostolica reformare iurauit. Et sic Princeps per Francum, & in tota Francia, posthac & Parisiis scriptus est & nominatus Imperator. Cùm autem consiliarij Franci propter processus apostolicos anxij dubitarent, dicebant nuncij principis: si estis in proposito nostro, quod processus non ligent, bene consuluistis domino nostro: sin aliter, tradidistis eundem. Et sic Princeps commissionem Vicariatus factam regi Angliæ, in parlamento publico & literatoriè reuocauit. Missisque interim sæpius nuncijs Imperatoris, vnà cum legatis et literis* Pag. 121. §. penult.

Franci ad Papam pro reformatione Principis, Papa Benedictus nunquam Ludouicum Principem ad arbitrium Franci, nunc hareticum, nunc Christianissimum haberi debere, respondit: et protracto variis occasionibus negotio, Francus (vt credebatur) quod noluisset simulauit se velle; Benedictus verò quod voluisset, simulauit se nolle. Mox subiicit Principum pro tuendis Imperij iuribus confœderationem & Ludouici contra Iohannem decretum.

45. Cum ergo videret Ludouicus se nulla ratione à Benedicto absolutionem à sententiis per Iohannem 22. in se latis posse impetrare; quod proximum erat aggressus est ostendere, sententias illas fuisse iniquas & irritas; quod iudicium fuit non solùm Ludouici, sed etiam Principum Imperij, vt ex eorum confœderatione & epistola hoc anno ad Benedictum scripta liquet; fuit prætereà Doctorum vtriusque iuris, vt supra ex Nauclero, Mutio, & Marco Guazzo Italo & paulò ante ex ipsius Benedicti Papæ assertione ostendimus.

Pag. 244. 34.35.37

46. Post hæc adfers ex Mutio & Nauclero decretum Ludouici fœdissimè vitiatum & mutilatum, cum emendatum & integrum ex appendice Freheri ad Rebdorfium afferre potuisses & debuisses. Sed nimirum maluisti Ludouici defensionem mutilam, mancam, multísque modis corruptam afferre quàm integram; præsertim verò omittere

Pag. 19.

voluisti

voluisti locum Augustini vbi apertè docet, concessum fuisse vt quis à Pontifice ad Concilium appellaret. Nos ergo integrum lectori decretum exhibeamus.

47. *Ludouicus Dei gratia* Romanorum *Imperator semper Augustus, vniuersis & singulis regibus Christianorum, ac Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, presbyteris, diaconibus, quocunque honoris culmine præfulgeant, & cæteris Ecclesiarum prælatis: nec non secularibus Principibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, dominis, potestatibus, rectoribus, iudicibus, & officialibus, prouinciarum, ciuitatum, & terrarum Romano Imperio subiectarum, & ipsarum quibuscunque incolis & habitatoribus, ac omnibus & singulis Christi fidelibus, tam ecclesiasticis, quam secularibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, gratiam suam & omne bonum.*

Fidem catholicam quam sancta mater Ecclesia catholica (extra quam nullus omnino saluatur) in symbolis, conciliis, & traditionibus ipsius Ecclesiæ sacrosanctæ, docet & tenet, firmiter credentes, ac fideliter & firmiter confitentes, & ipsius Ecclesiæ sanctæ doctrinam in sacris canonibus traditam, sequi volentes: quibusdam allegationibus, impugnationibus & oppositionibus, quæ contra nos & electionem ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis Imperialis,

& contra Imperialem auctoritatem, potestatem & dignitatem opponuntur, ne simplicium corda possint inficere, secundum sacrorum canonum et legum tenorem in his scriptis duximus respondere, & contra ipsos impugnantes & opponentes, et eorum dicta, procedimus, prout inferius continetur.

In primis contra nos & Imperialem auctoritatem, et ius Imperij allegatur & obiicitur, quod potestas & auctoritas Imperialis est à Papa: et quod electus in Regem Romanorum ex sola electione non est nec dici potest verus Imperator, nec habet potestatem, iurisdictionem, et auctoritatem, antequam inungatur, consecretur, et coronetur à Papa: qui (vt dicunt) tam in temporalibus quàm in spiritualibus habet plenitudinem potestatis. Ad quæ respondemus hanc opinionem sacris canonibus ac iuri & rationi pariter obuiare, sicut expressè patet in Decreto, 96. distin. c. Cùm[a] ad verum, & can. Duo[b] sunt, &c. Si[c] Imperator, vbi expressè habetur in hæc verba: *Duo sunt quippe, quibus principaliter hic mundus regitur, scilicet auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas. Habet quippe Imperator priuilegium potestatis suæ, quam administrandis legibus publicis diuinitus est consecutus. Nec Imperator iura pontificatus, nec pontifex iura Imperatoria vsurpat.* Hæc ibi. vbi glossæ ordinariæ dicunt quod istæ potestates sunt diuersæ & quod neutra dependet ab altera, & quod Imperator non habet potestatem siue Imperium nisi à solo DEO, vbi in textu dicitur, quod exercitus

Vide Azor t.2.l.10.c. 6.q.3.§.8. & seqq.

a Nicol. PP

b Gelas. PP

c Ioh. PP.

S. Hieron. 93. distinct. cap. Legimus.

tus

tus facit Imperatorem: & glossa super verbo Imperatorem, dicit sic: Ex sola enim electione Principum dico eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur, vt dixi 63. distinct. cap. Quanto Hæc glossa. Et hoc etiam probatur in Canone Quoniam 10. distinct. vbi de potestate Imperiali & Pontificali loquitur in hac verba: Quoniam mediator Dei & hominum CHRISTVS IESVS sic actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, vt Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium rerum Imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus incursibus distaret, & DEO militans (scilicet Papa) minime se negotiis secularibus implicaret: ac vicissim ille (scilicet Imperator) non videretur diuinis rebus præsidere, qui esset secularibus negotiis implicatus. Hæc ibi. Vbi glossa ordinaria de vtraque potestate loquens, dicit sic: Cum ergo potestates istæ distinctæ sint, est hoc argumentum, quod Imperium non habetur à Papa: & quod Papa non habet vtrumque gladium. Nam exercitus facit Imperatorem, 93. distinct. c. Legimus: & imperium à solo Deo habetur, 23. q. 4. c. Quæsitum. Alioquin si imperium haberetur à Papa, posset in temporalibus ad Papam appellari, quod prohibet Alexander Papa IV. quod illa (scilicet temporalia) suam (scilicet Papæ) iurisdictionem non attingunt, ext. de appellationibus, c. Si duobus: & Qui filij sint legitimi, c. Causam quæ inter. Et ita ego credo istas potestates esse distinctas. hæc glossa. Et 1. distinct. c. Quo iure, dicitur, quod iura humana per Imperatores, reges seculi, Deus humano generi distribuit. Et lex dicit, quod imperium et sacerdotium ab eodem principio processerunt in actum, Authen. Quomodo oporteat episc. & cler. ad ord. perduci, in prin. collat. 1. Nicol. PP.

Nec

Nec Imperator iurisdictionem Papæ, nec Papa iurisdictionem Imperatoris perturbare debet, ext. de iud. c. Nouit. Ex quibus & aliis pluribus, quæ breuitatis causa dimittuntur, clarè patet, quod potestas & auctoritas imperialis est immediatè à solo Deo & non à Papa: et quod electus in Imperatorem ex sola electione est Rex Romanorum, & habet auctoritatem, iurisdictionem & potestatem Imperialem, etiã antequam inungatur, consecretur, & coronetur à Papa; et quod Papa in temporalibus non habet dictam plenitudinem potestatis.

Sed obiicitur, quod ille, qui se Iohannem Papam XXII. *appellabat, per suos processus de facto cassauit, siue nullã, cassam, & irritã pronunciauit electionẽ de nobis in regẽ Romanorũ factam: asserens in suis processibus, nos administrare non posse iura Imperij, & quod administratio Imperij ad ipsũ Iohannẽ pertinebat de iure: et alia plura in ipsis processibus asserẽs, & de facto attentans cõtra nos & iura & libertates Principũ Alemanniæ & subditorum Imperij, & contra consuetudines antiquitus rationabiliter introductas & obseruatas, prout in ipsis processibus, imò veriùs excessibus continetur. Insuper post dictos processus, quasdam literas sub bulla sua dicitur fecisse, & per mundum publicè transmisisse, in quibus asserit, se totam Italiam ab Imperio et regno Alemanniæ separasse: insinuans per sua scripta et dicta, quod Papa tanquam dominus vni-*

vniuersalis, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus totius mundi possit ad suum libitum disponere & ordinare.

Ad quæ omnia duximus respondendum, quod dicti omnes processus, assertiones, & literæ, et omnia, et singula, quæ per dictum Ioannem in prædictis, & contra prædicta gesta seu attentata fuisse dicuntur, fuerunt & sunt nulla, & nullius valoris et momenti, rationibus infrascripis.

Prima ratio est, quoniam Papa quantumcunque catholicus & legitimus, non habet talem potestatē nec auctoritatem, aut iurisdictionem in temporalibus, & maximè super iura imperij, quod est immediatè à solo Deo, vt euidenter probant canones, & iura superius allegata. Vnde quicquid prædictus Ioannes fecit in prædictis, tanquam à non suo iudice factum, nullius fuit momenti, vt probant apertè Canones, 11. q. 1. c. pen.[a] *& 2. q. 1. c.*[b] *Inprimis, iuxta fin. & 16. q. 1. c. Frater*[c] *noster, & ext. de iud. c. At*[d] *si clerici, & ext. de consuetud. c.*[e] *Ad audientiam nostram, & C. Si à non compet. iud. l. 2. & 3. & vlt. cum similib.*

[a] Hadr PP
[b] Greg PP
[c] Greg. PP
[d] Alex III.
[e] Innoc. III

Secunda ratio est ex eo, quod dicti processus, imo verius excessus, fuerunt facti per dictum Iohannem contra nos, & in præiudicium enorme nostrum, & illorum qui nos elegerunt in Regem Romanorum, *et aliorum Principum Imperij, et Alemaniæ ex notoriè falsis causis, et nullo fori ordine seruato, nobisque & aliis, quorum intererat, absentibus et nullo modo legi-*

timè monitis et citatis. Vnde cum sacri Canones & iura diuina et humana decernant sententias & processus quoscunque promulgatos absentibus iis, quorum causa agitur siue ventilatur, & eis legitimè non monitis & citatis, nullius existere firmitatis, 3. q. 9. per totam, *vbi etiam legitur, sanctos Pontifices definiuisse in hæc verba*: Omnia quæ aduersus absentes in omni negotio aut loco aguntur, aut iudicantur, irrita erunt, & euacuantur omnino, nec aliquam obtinent firmitatem: quia diuinæ & humanæ leges hoc fieri prohibent, vt

[a] Greg. IX. ext. de testib. c. In nomine [a] Domini, & in authen. de testib. §. Et hic verò. collat. 7. & ff. Quæ sent. sine appell. resc. l. 1. §. Item cum ex edicto: & C. Quomodo & quando iudex, l. Ea quæ. *Et maximè* in causis, quæ summi Pontificis iudicio deciduntur, ordo iuris & vigor æquitatis, est subtiliter obseruandus, vt ext. de sent. & re iud. c. In causis. *Sequitur* — Innoc. III.

quòd prædicti processus, imò veriùs excessus, fuerunt nulli et nullius valoris penitus & momenti.

Nec obuiat, si dicatur, quod prædictus Ioannes in ciuitate Auinionis Prouinciæ existens cum sua curia, per suas literas, quas dicitur ad fores Ecclesiæ maioris Auinionis appẽdi fecisse, nos absentẽ citauit, quoniã talis citatio (esto quod appareret) nullatenus fuit nec est dicenda legitima, rationibus infrascriptis.

Prima ratio, quia sunt canones & iura ad hoc. Quod censeatur & dici possit citatio firma, necesse est, quod qui citandus est, citetur aut personaliter, si inueniri potest, aut si non potest inueniri, publicè citetur ad domum suam, alias nisi sic citetur, non potest contra ipsum procedi vt apertè probatur 4. q. 5. c. [b] Quisquis, & ext-

[b] Carthag. IV.

& ext. de dol. & contumac. c. [a] Causam, in tex. & in gloss. & in c. [b] Vene- [a] Alex. III.
rabilis, in fin. & de cleric. non residen. c. [c] Ex tua, & ext. Qui matr. accus. [b] Greg. IX.
pos. c. [d] 1. & De eo qui mittitur in possess. causa rei ser. c. vlt. & ff. Ex quib. [c] Innoc. III [d] Alex. III
caus. maiores & C. l. Item ait. §. Hac autem, cum similib. Etsi proce-
ditur, processus nullius est momenti, vt dicitur in su-
perius allegatis iurib. 3. q. 9. [e] c. Caueant. & ff. Quae sent. sine ap- [e] Eleut. PP
pellat. rescind. l. 1. & C. Quomodo & quando iudex, l. Ea quae. Ex qui-
bus iuribus clarè patet, dato sine praeiudicio, quod talis
citatio per literas in ciuitate Auinioni appensas repe-
riretur facta fuisse, quod nihilominus processus per
ipsum Iohannem factus fuisset irritus & inanis.

Secunda ratio est, quia ad hoc vt citatio de iure
legitima censeatur, et arctet citatum ad veniendum,
necessum est, quod assignetur illi, qui citandus est, ter-
minus & locus ad comparendum securus, prout ma-
nifestè probant iura, ext. de appell. c. [f] Ex parte tua. 33. q. 2. c. [g] si- [f] Innoc. III
ue de coniugij, vbi dicitur, Prouidendus est locus, in quo nulla vis formide- [g] Nicol. PP
tur multitudinis, nec sit difficile testes producere, vel ceteras personas, quae
tam à sanctis canonibus, quam à venerandis Romanis legibus in huiusmodi
controuersiis requiruntur. Haec ibi. Et 3. q. 9. c. [h] Hortamur, & ext. [h] Felic. PP
Vt lite non contestata, c. [i] Accedens 2. & ff. De iudiciis, l. Sed locus. Sed [i] Innoc. III.
notorium est, et indubitatum existit, quod dictus Ioan-
nes tam nos, quàm imperij nostri fideles et amicos odio
capitali, & etiam hostili exercitu persequebatur de fa-
cto, et ciuitates et iura imperij sibi vsurpare & subiu-
gare quantum poterat, conabatur. Ciuitas quoque
Auinionis, in qua idem Ioannes cum suo consistorio mo-
rabatur, et ad quam nos per suas literas euocabat, &
ille, qui illius ciuitatis dominium detinebat, nos &

Romanum imperium habebat odio notorio & antiquo: vnde patet, quod desiperet, qui diceret vel sentiret, talem citationem nos ad comparendũ modo aliquo coarctasse. Quis enim auderet dicere, quod talis consistorij in tali loco periculoso teneremur subire iudiciũ, & in hostium nostrorum nos ponere sinũ, et mortis periculo vltroneo nos offerre? Patet igitur, quod talis citatio, si facta reperiretur de nobis, foret irrita et inanis.

Tertia ratio sumitur ex eo, quod in sacris canonibus & legibus statuitur, quod nullus in propria causa possit iudicare, vel ius sibi dicere, vt probatur 23. quæst. 4. cap.[a] *Inter querelas: & quæst. 5.*[b] *De occidendis, & 4. quæst. 4. cap.*[c] *1. & C. Ne quis in cau. prop. iud. vel ius sibi dicat. Sed manifestũ adeo est & notorium, vt nulla tergiuersatione possit negari, quod prædictus Iohannes de facto cõtendebat, scilicet quod ipse nõ solũ in spiritualibus, sed et in temporalibus, et in nos, et in totũ Imperiũ, ac iura Imperij habeat plenitudinẽ potestatis: et quod super hoc cõtra nos cõtrouersiam et litigium de facto mouebat, & iura imperii etiã hostiliter sibi pro viribus vsurpare conabatur, et nos & Imperij nostri fideles, quantũ poterat tanquam aduersarius, hostis & inimicus noster et Imperij, persequi nitebatur. Vnde etiam cõtra eum tanquam contra aduersariũ, inimicum et hostẽ nostrum, & etiam Imperij, pro defensione nostra, et etiam fidelium nostrorum, et iuris imperialis ac fidei, appellamus*

[a] Greg. PP.
[b] S. Aug.
[c] Fab. PP.

*mus * ad futurum generale Concilium, in loco tuto & securo, modo debito, & secundũ formã sacrorum Canonum congregandum. Ex quibus sequitur manifeste, quod dicti processus, immò veriùs dicti excessus, per dictum Johannẽ cõtra nos & contra fideles nostros et iura imperij, facti fuerunt in propria causa, & temere et perperã attentati: et quod ipse in ipsis processibus se iudicem simul et partem effecit: ac per cõsequens, quod fuerunt irriti, et nullius penitus firmitatis.*

* forte appellauimus

Tertio obiicitur contra nos, quod dictus Iohannes tam in nos, quam in omnes sequaces ac fideles nostros, habentes & tenentes nos pro Imperatore, nomine & honore, & nobis tanquam Imperatori obedientes et reuerentiam exhibentes, et in omnibus admittentes nos ad diuina, seu nobiscum participantes in diuinis, aut diuina officia celebrantes coram nobis, & prabentes nobis auxilium, consilium & fauorem, de facto excommunicationis sententiam fulminauit: & Ecclesias et vniuersitates, qua contra facerent, Ecclesiastico supposuit interdicto. Vnde dicitur, quod sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta, seruanda est & timenda.

Ad qua respondemus & dicimus, quod secundum sacros canones & iura, huius sententia et processus fuerunt et sunt nulla ac nullius firmitatis, nulliúsq; valoris penitus et momenti: nec sunt aliquo modo timenda nec seruanda, nec timendi nec seruandi: quod cui-

euidenter ostenditur & probatur rationibus infra scriptis.

Prima ratio sic sumitur. Certum est, quod cum prælatus Ecclesiæ in suo mandato excedit formam & potestatem à sacris canonibus sibi traditam, & in contra mandatum huius facientes, excommunicationes in singulares personas et in Ecclesias, & vniuersitates, sententias interdicti promulgat, talem sententiam non tenere, sed nullam ipso iure fore, nullatenúsque obseruandam, vt probatur per id, quod legitur et
Clem. III. *notatur* ext. de exceß. prælat. c. Cum ad quorundam. *Temerarium enim est & indignum, aliquem sibi sua auctoritate vsurpare, quod Romana catholica Ecclesia non con-*
Alex. III. *cedit,* ext. de priuileg. c. Sane. *Sed (vt supra probatum est euidenter) sancta* Romana *Ecclesia catholica & Apostolica non concedit, sed prohibet Papæ, ius Imperij & potestatem in temporalibus vsurpare. Quia vt dictũ est, ista Papæ iurisdictionem, quæ solum est in spiritualibus, non contingunt, vt patet in superius allegato text.* De appell. c. Si duobus. *Et manifestum est, quod dictus Iohannes per suas antedictas sententias, excessit formam et potestatem Papæ traditam. Quia ius imperij et potestatem in temporalibus sibi vsurpare conatus est, contra sacrorum canonum constituta. Ergo huius sententiæ sunt et fuerunt nullæ, et nullatenus obseruandæ. Et hic est vnus de casibus expreßis, in quibus sentẽtia de excõmunicatione nullatenus est obseruãda*

Secunda

Secunda ratio ſic ſumitur. Certum eſt de iure, quod vbi eſt error expreſſus in ſententia vel in mandato præſidentis, puta quia præcipit, quod non obediat ſuo ſuperiori, vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra ſacram ſcripturam: talis ſententia ipſo iure nullius eſt momenti, nec eſt timenda, nec aliquatenus obſeruanda, vt probatur per illud quod legitur extra de ſentent. excomm. c. [a] Venerabilibus iuxta finem in gloſſ. & 11. q. 3. c. [b] Si is qui præeſt, cum duobus [c] c. ſeq. Et idem eſt vbicunque ſententia eſt ipſo iure nulla, vt probatur apertè, per illud quod legitur & notatur extra de ſentent. excomm. c. [d] Per tuas & ext. de procurat. c. [e] In noſtra præſentia, in fine: & extra de crimine fals. c. [f] Super eo, & ext. de ſentent. & re iud. Sed manifeſtum eſt, quod dictus Joannes in dictis ſuis proceſſibus & ſententiis expreſſit, quod non obediatur nobis, cui omnes imperio ſubiecti obedire & reuerentiam exhibere ſecundum diuina & humana iura ſunt aſtricti: & quod hoc fecit volendo ſibi ius imperij et poteſtatem omnimodam in temporalibus contra dominũ et contra iuſtitiã vſurpare, ad quæ non extenditur (vt dictum eſt) eius auctoritas & poteſtas. Ergo ipſæ ſententiæ ſunt & fuerunt nullæ, et nullius penitus firmitatis, nec fuerunt, nec ſunt quomodolibet obſeruandæ.

[a] Hoc c. in vulg. edit. iam deeſt.
[b] S. Iſidori.
[c] Eiuſdem & ſunt coniuncta præcedenti.
[d] Innoc. III
[e] Eiuſdem.
[f] Lucii III.

Tertia ratio ſic ſumitur. Manifeſtum eſt, quod quando ſententia excommunicationis vel interdicti, quæ prolata eſt poſt appellationem legitimam, nulla eſt, nec aliquatenus eſt timenda nec ſeruanda, vt

apertè

[a] Innoc. III apertè probatur *ext. de off. & poteſt. iud. del c.* [a] *Cum olim, in fine:*
[b] Lucii III *& de ſent. excom. c. Venerabilibus, in fine; & ext. de appellat. c.* [b] *Ad hæc*
[c] Innoc. III *5. quod & habetur & notatur extra de ſent. excomm. c.* [c] *Per tuas; in gloſſ. ord. & tam per dominum Hoſtienſem in apparatu ſuper c. Solet, & in ſumma, quam per alios doctores.* *Sed manifeſtum & notorium eſt, quod nos dudum cõtra dictum Iohannem, et proceſſus, quos ipſe de facto fecit cõtra nos ac poteſtatem & auctoritatem imperialem, & præiudicium & derogationem fidei catholicæ, quam ſancta Romana Eccleſia firmiter hactenus docuit & credidit, et docet, & credit, et tenet, appellauimus ad futurum generale concilium in loco ſecuro & congruo congregandum, & ad ſanctam matrem Eccleſiam Catholicam. Quæ appellatio fuit ad ipſius Iohannis notitiam deducta, prout notorium eſt & manifeſtum: & conſtat etiam per legitima documenta. Et quia ipſe Iohannes poſt & contra dictam appellationem, promulgauit, et protulit de facto contra nos & fideles noſtros, & nos ſequentes, & nobis præbentes conſilium, auxilium, & fauorem, dictas excommunicationis & interdicti ſententias (ſi ſic dici poſſunt) ergo fuerunt & ſunt nullæ, & nullius valoris & momenti, nec ſunt aliquo modo timendæ nec obſeruandæ.*

Nec obſtat quod dicitur, quod Papa non habet ſuperiorem, vnde (vt aliqui garriunt) non poteſt ab ipſo quomodolibet appellari. Et verè non obſtat: quoniam manifeſtum eſt ſecundum doctrinam catholicã, & ſacrorum canonum, quod Papa, vbi de fide, ſiue

de

de iure diuino agitur ſubeſt conſiliis vt patet expreſſè, & legitur et notatur 15. diſt. c.[a] Sicut ſancti, in textu & gloſſa, & 25. q. 1. c.[b] Sunt quidā, cum capitibus ſequentib. & 19. diſt. c.[c] Anaſtaſius, vbi dicit gloſſa ordinaria ſuper verbo, Concilio: Videtur ergo quod Papa tenetur requirere concilium Epiſcoporum, quod verum eſt, vbi de fide agitur: & tunc Synodus maior eſt quam Papa 15. diſt. c. Sicut S. Euangelij. Ita dicit gloſſa ord. Et quod Papa, vbi de fide agitur, habet ſuperiorem in terris, à quo poſſit iudicari, & per conſequens, ad ipsū ſuperiorē valeat appellari, probatur etiam notanter per illud, quod legitur & notatur 40. diſt. c.[d] Si Papa, Vbi expreſſè definitur, quod Papa à nemine iudicari poteſt, niſi deuiet à fide catholica. Ergo ſi Papa deuiat à fide, habet ſuperiorem in terris, à quo poteſt iudicari, et per conſequens ad ipſum poteſt appellari. Hoc etiam patet per hoc, quod dicit Auguſtinus in epiſtola ad Glorium et Eleuſium, et reliquos Donatiſtas, vbi de Concilio Papæ, & Collegij Cardinalium ſcribit dicens ſic: Quaſi non eis ad hoc dici poſſit, & iuſtiſſimè dici, Ecce putemus illos Epiſcopos qui Romæ iudicarunt (Melchiades Papa & alij) non bonos iudices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ vniuerſæ concilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari, vt ſi male iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur. Hæc Auguſtinus. Ex quibus & aliis pluribus auctoritatibus quæ breuitatis cauſa dimittuntur, euidenter patet, quod Concilium vniuerſale eccleſiæ catholicæ, vbi de iure diuino, aut de fide agitur, maius & ſuperius eſt Concilio Papæ et Cardinalium, & ipſum tollit & ſoluit, ſi ipſi repugnet. Cum ergo pro defenſione iuris imperij,

[a] Greg. PP
[b] Vrbā. PP
[c] Ex Pontificali.
[d] S. Bonifacii.
Epiſt. 162 poſt m.

* appellamus. quod est à iure diuino, & fidei catholicæ appellamus * ad generale concilium, in loco tuto & securo congregandum: sequitur, quod appellatio nostra fuit interposita ad superiorẽ, ad quem legitimè potuit appellari.

Plures quoque aliæ rationes & causæ sunt, ex quibus cernitur euidenter, quod prædictæ sententiæ fuerunt, & sunt nullæ ac nullius valoris siue momenti, nec fuerunt, nec sunt timendæ, nec aliquatenus obseruandæ. Quæ rationes & causæ in appellationibus & prouocationibus, contra aduersantes nobis, & nos & imperium, et fidem catholicam, quam sancta Romana tenet Ecclesia, impugnantes, solenniter interiectis, seorsim explicantur, quas omnes seriatim præsentibus literis explicare, prolixum nimium videretur.

Quamobrem denunciamus & dicimus processus & sententias, de quibus superius dictum est, fuisse et esse nullas, et nullos, et nullius valoris et momenti, et nullatenus obseruandas: ac vniuersis & singulis sub nostro imperio degentibus, cuiuscunque status, dignitatis ac conditionis existant, districtè præcipimus et mãdamus, quatenus nulla persona singularis aut communitas vel vniuersitas, dictas excommunicationis & interdicti sententias præsumat obseruare, vel facere ac sustinere quomodolibet obseruari.

Quicunque autem contra hoc nostrũ mandatum præsumpserit facere vel venire, eum omnibus feudis, quæ ab imperio tenet, ac omnib. iurisdictionib. gratiis

&

& priuilegiis, libertatibus et immunitatib. à nobis vel prædecessoribus nostris, ei concessis, ex nunc priuamus.

In quorum omnium testimonium et fidem præsentes literas fieri fecimus, & nostræ imperialis Maiestatis bulla iussimus et fecimus communiri. Et vt ipsæ literæ ad communem omnium notitiam deducantur, eas maioris ecclesiæ de Franckenfurt ostiis appendi siue affigi faciemus, quæ hunc processum nostrum quasi sonoro præconio publicabunt, ita quod nullus possit prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eum prædicta non prauenerint, siue quod ea ignorauerit: cum non sit verisimile, occultum & incognitum remanere, quod tam patenter fuit omnibus publicatum. Datum in oppido nostro de Franckenfurt, die VIII. mensis Augusti. Anno Domini M. CCC. XXXIIX.

48. Tu, mi Bzoui, existimas ad infamiam Ludouici hoc scriptum per vulgus dispersum; at ego id ad eius infamiam *maximè pertinere arbitrarim* (tuis verbis loquor Bzoui) qui odio & inuidia stimulatus, apud Pontificem *nimis multum imò supra nimis multum* (vt etiam hanc elegantiam à te mutuer) *potuit*; proximè deinde ad infamiam eius, qui *apud Regem prophanum* (vt tu fateris) *quasi in potestatem secularium redactus, omnia & dicere & facere & iubere cogebatur non ex maiestate Pontificia, neque ex potestate plenaria,*

an. 1313. II. §. 2.

an. 1335. XVI. prope pr.

an. 1305. III. §. 2.

 sed

ſed neq; ex iuſtitiæ præſcripto, ſed vt Rex & Proceres vellent adeóq; mandarent. Hi nimirum fecerunt, vt ad eiuſcemodi defenſionẽ Ludouicus adigeretur. Certè vbi innotuit Pontificem aut nolle, aut non audere Ludouico abſolutionem impertiri; Gallus, qui ſeſe deprecatorem apud Pontificem pro Cæſare obtulerat, eiúſque cauſam deteriorem admirabili ſimulatione ac perfidia reddiderat; *in ſinu,* vt
P. 236. 21 ait Mutius, *ridebat, triumphabat, quod ita hoſtem ſuum* Ludouicum *fefellerat, virtutis eſſe aſſerens hoſtem quocunque dolo circumuenire.* Quocirca Imperator cum cerneret ſeſe circumquaque per exterorum iniquitatem deſtitutum, per domeſticorũ Principum conſilia eò deuenit, vt proceſſus Iohannis contra ſe nullos eſſe oſtenderet. Omnia iſta pepererе Bzoui, metus & ſeueritas Pontificis, aut potius eius improbitas, qui Pontifici manus iniecit.

49. Deinde ſi vir & verus Baronij ſucceſſor eſſes, decretum illud Ludouici impugnaſſes. At alij, vt tu mox dices, impugnarunt! Frigidiſſimè. An tu eum patronum laudares, ac non potius ad Garamantes relegandum iudicares, qui totam actoris orationem & crimina in clientem coniecta longo ordine percenſeret; deinde vno verbo diceret, ea ab aliis alio loco ac tempore fuiſſe confutata. Tu patrocinium Iohannis ſuſcepiſti, actionem aduerſus

ſus eum à Ludouico inſtitutam repræſentaſti; lector iudex eſt, tibíque in tot fraudibus ac dolis deprehenſo non plus fidit quàm videt.

50. Etenim Doctor Doctorum, vt viuens appellari ſolebat, Martinus Nauarrus eadem fere argumenta quibus in decreto illo Ludouicus nititur, atque etiam plura adfert, vt probet, ſupremam iuriſdictionem merè laicam non eſſe penes Romanum Pontificem: in quam ſententiam ſe quoque argumentis illis tractum fatetur, quamuis olim à contrariâ ſteterit. Inter argumenta nono loco numerat etiam conſtitutionem illam Ludouici *Licet iura*, *Nonò*, inquit, *facit id, quod refert Albericus in l. bene à Zenone. C. de quadri. præſcrip. num. 16. ſcilicet Ludouicum à Bauaria cum electoribus condidiſſe legem quandam, relatam ab ipſo ibi ad verbum, quæ declarabat poteſtatem Imperatoriam eſſe immediatè à Deo; & incurrere crimen læſæ maieſtatis, quicunque diceret electum in Imperatorem ante coronationem non eſſe verum Imperatorem, vel non poſſe adminiſtrare Imperium: quam legem Albericus ait iuſtam viſam fuiſſe tunc multis prælatis, & eruditis viris Romæ, vbi tunc ipſe agebat. Facit & epiſtola Philippi regis Francorum, cognomento Pulchri, ad Bonifacium* VIII. *conditorem prædictæ extrauag. vnam ſanctam, qua negat Franciam, eiúſque regem in temporalibus ſubiici Papæ. quod et ſatis innuit prædicta*

T. 3. in c. Nouit, notab. 3. n. 21 & ſeqq.

N. 29.

 ex-

extrauag. meruit. de priuileg. allegata in argum. praecedenti. Facit, quod omnes Hispaniae reges, qui se credunt nemini subiacere in temporalibus, iuxta glo. multis singu. in cap. Adrianus. 63. distinct. quae tamen habet similem in cap. & si necesse. de donat. inter vir. & vx. aegerrimè ferunt se vocari subiectos, & (vt cum vulgo loquar) vasallos Papae in temporalibus. Quis enim eorum ferat subditum suum à se ipso ad Papam appellantem? Quis eorum pareat Papae iubenti, ne in illa vel illa causa prophana cognoscat? Quis eius legitimationem quoad successionem temporalem in suis regnis recipiat? Quis legibus eius contrariis suis extra spiritualem, & ad spiritualia ordinatam materiam pareat? Qui etiam horum regnicolae audiant aequo animo suos reges subesse Papae in temporalibus? At vel oportet opinionem communem paulò aliter declarare, vel fateri, & reges praefatos, & eorum subditos perseuerare in peccato mortali, & confessarios eorum non posse illos absoluere, citra sacrilegij crimen, quod durum esset concedere. Haec Nauarrus de Galliae Hispaniaeque Regibus, quae multo potius dici de Imperatore debent, vt Regibus cunctis honoratiore.

Addamus plura ex eodem, *Septimò*, inquit, *idem probatur ratione Caesarea, qua Imperator dominus dicitur mundi, l. deprecatio ff. ad leg. Rhod. de iactu. l. bene à Zenone. C. de quadri. praescription. l. 2.*

l. 2. §. penultimo. C. de iureiuran. propter calu. dand. l. 1. §. & cum lex. C. de rei vxor. Non est igitur Papa dominus mundi: cum duo insolidum nequeant esse domini, l. si vt certò, §. si duobus. ff. commoda. Adde, quod Papa Joannes scribens Iustiniano præposuit nomen illius suo, cùm tamen Iustinianus scribens Papæ contrafecerit, vt habetur in inscriptionibus l. inter claras, & legis sequentis, C. de summa Trinit. quod non videtur fuisse facturus Papa, si superior fuisset Imperatore in omnibus tam temporalibus, quàm spiritualibus: quia indiscreta videri potuit illa modestia, argument. cap. cum humilitatis causa mentiris, si antea non eras peccator, mentiendo efficeris. 22. quæstio. 2.

Vndecimò etiam sacris literis probatur, eo quod nunquam in eis legitur Saulem vel Dauidem, vel vllum alium Hebræorum Regem subiacuisse quoad temporalia sacerdotibus, nec eis obedisse in illis, saltem qua parte sacerdotes erant; quamuis qua parte nuncij erant Dei, obedire tenerentur: sed illud non erat obedire sacerdotibus, sed Deo, argum. cap. cum aliquibus, de rescript. lib. 6. cap. hi qui, de præb. eo. lib. l. qui autem. §. fi. cum l. sequenti, ff. de constitu. pecu. per quam singulariter probatur, etiam directam actionem quæri alicui per liberam personam, quando illa interuenit, vt nuncius: imo in cap. nos si competenter. §. sed notandũ. 2. q. 7. habetur singulariter, Dauidem

extrauag. meruit. de priuileg. allegata in argum. præcedenti. Facit, quod omnes Hispaniæ reges, qui se credunt nemini subiacere in temporalibus, iuxta glo. multis singu. in cap. Adrianus. 63. distinct. quæ tamen habet similem in cap. & si necesse. de donat. inter vir. & vx. agerrimè ferunt se vocari subiectos, & (vt cum vulgo loquar) vasallos Papæ in temporalibus. Quis enim eorum ferat subditum suum à se ipso ad Papam appellantem? Quis eorum pareat Papæ iubenti, ne in illa vel illa causa prophana cognoscat? Quis eius legitimationem quoad successionem temporalem in suis regnis recipiat? Quis legibus eius contrariis suis extra spiritualem, & ad spiritualia ordinatam materiam pareat? Qui etiam horum regnicolæ audiant æquo animo suos reges subesse Papæ in temporalibus? At vel oportet opinionem communem paulò aliter declarare, vel fateri, & reges præfatos, & eorum subditos perseuerare in peccato mortali, & confessarios eorum non posse illos absoluere, citra sacrilegij crimen, quod durum esset concedere. Hæc Nauarrus de Galliæ Hispaniæque Regibus, quæ multo potius dici de Imperatore debent, vt Regibus cunctis honoratiore.

Addamus plura ex eodem, *Septimò*, inquit, *idem probatur ratione Cæsarea, qua Imperator dominus dicitur mundi, l. deprecatio ff. ad leg. Rhod. de iactu. l. bene à Zenone. C. de quadri. præscription. l. 2.*

l. 2. §. penultimo. C. de iureiuran. propter calu. dand. l. 1. §. & cum lex. C. de rei vxor. Non est igitur Papa dominus mundi: cum duo insolidum nequeant esse domini, l. si vt certò, §. si duobus. ff. commoda. Adde, quod Papa Ioannes scribens Iustiniano praeposuit nomen illius suo, cùm tamen Iustinianus scribens Papae contrafecerit, vt habetur in inscriptionibus l. inter claras, & legis sequentis, C. de summa Trinit. quod non videtur fuisse facturus Papa, si superior fuisset Imperatore in omnibus tam temporalibus, quàm spiritualibus: quia indiscreta videri potuit illa modestia, argument. cap. cum humilitatis causa mentiris, si antea non eras peccator, mentiendo efficeris. 22. quaestio. 2.

Vndecimò etiam sacris literis probatur, eo quod nunquam in eis legitur Saulem vel Dauidem, vel vllum alium Hebraeorum Regem subiacuisse quoad temporalia sacerdotibus, nec eis obedisse in illis, saltem qua parte sacerdotes erant; quamuis qua parte nuncij erant Dei, obedire tenerentur: sed illud non erat obedire sacerdotibus, sed Deo, argum. cap. cum aliquibus, de rescript. lib. 6. cap. hi qui, de praeb. eo. lib. l. qui autem. §. fi. cum l. sequenti, ff. de constitu. pecu. per quam singulariter probatur, etiam directam actionem quaeri alicui per liberam personam, quando illa interuenit, vt nuncius: imo in cap. nos si competenter. §. sed notandũ. 2. q. 7. habetur singulariter, Dauidem

dem præfuisse sacerdotibus in causis secularibus; subiacuisse verò illis in causis Dei, & 3. Regum 1. propheta Natan appellat Dauidem dominum suum per illa verba; Domine mi rex, & per illa: A domino meo Rege, *& per ea: Mihi non indicasti seruo tuo.*

Decimo tertio facit, quod illa duo luminaria totius orbis Christiani Petrus, & Paulus apostolorum principes, quibus hic dies sacer est, id manifestè videntur docuisse: Petrus quidem in 1. epistola cap. 2. qui relatus in cap. solita. de maiorit. & obedien. iubet omnibus Christianis obedire Regibus, etiam ethnicis, quales tunc omnes erant: Paulus verò ad Rom. *13. & ad Titum 3. relatus in cap. conuenior. 23. q. 8. & in cap. 2. de censib. præcipit, vt omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit; quos constat non cepisse quicquam à Petro; quippe qui essent ethnici: sed à Deo ipso, vel à populis, qui eam* potestatem *ab eo acceperunt iuxta illud: Omnis potestas à Deo est, ad* Rom. *13. Idem item Paulus relatus in c. 1. ne cler. vel mona. ait 1. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. qui verò maximè militare Deo debet, Papa est, cap. si Papa, 40. dist. Ergo non debet esse penes eum potestas merè laica omnium secularium.*

Decimo quartò ratione naturali idipsum ostenditur, eo quod illa suadet, singula officia singulis esse committenda personis. cap. 1. 89. dist. c. cum singula.

de

de prabend. lib. 6 l. nemo. C. de assess. et l. consulta. C. de testam. Et ideo excepta necessitate, nemò debet esse carnalis simul & spiritualis pater eiusdem, cap. ad limina. 30. q. 1. nec Comes Palatinus proprium legitimat filium, secundum gloss. singularem cap. per venerabilem. verb. regi. qui fily sint legit. quam sequitur Ancha cons. 320. Primum dubium, 3. dubio. Ant. à Rosellis de legitimat. in cap. de causa materiali, num. 12. Io. ab Anna cons. 29. Visa Imperiali, dubio 3. quamuis contra tenuerit Bal. in l. Si consul. 4. quast. ff. de adoptio. & Bologninus in additio. consily prafati Ioannis. At monarchia spiritualis siue summum sacerdotium, & summũ Imperium siue secularis monarchia, duo sunt munera distincta, et non quomodocunque, sed vt aurum, & plumbum, cap. duo sunt. 96. distinctio. imò & vt duo luminaria diuersis prasidentia, cap. solita. de maiori. & vt duo dona maxima Dei, authen. quomodo oporteat episcopos, collat. 2. in princi. Ergo non sunt committenda vni, aut certè meliùs committuntur duobus. At Dei opera sunt perfectissima, Deut. 32. Ergo illa duo non vni, sed duobus fuere à Christo summo Deo commissa.

Decimo quinto, facit illud ab hac eadem naturali ratione manans, scilicet Qui ad vtrũque festinat neutrũ bene peragit, l. nemo. C. de assess. et illud, Plurib. intentus minor est ad singula sensus, et illud, Psalterium cum cithara malè concordat. cap quod à te. cap diuersis fallaciis. de cleri. coniugat.

Decimo sextò facit ratio canonica mixta naturali, ob quam in cap. te quidem. 11. q. 1. Petrus sic alloquitur Clementem destinatum Papam, Oportet summo te studio niti, Clemens, vt omnes vitæ huius occupationes abiicias, ne fideiussor existas, nec aduocatus fias, neue in vlla alia occupatione mundialis officij prorsus inueniaris, ne præfocatus præsentibus hominum curis, non poßis verbo Dei vacare. In quibus verbis pondero primò illud, omnes vitæ huius occupationes, per quas certum est intelligi seculares. Secundò illud, ne fideiussor existas. Tertiò illud, ne in vlla prorsus. Quartò illud, ne præfocatus præsentibus hominum curis. Quintò illud, non poßis verbo Dei vacare. constat enim, & id quidem palam, eum, qui summam, præsertim omnium Christianorum, potestatem laicam habet, non posse præcepta hæc seruare. Ergo videntur hæc duo munera secum pugnare, vt quidam malè dixerunt, aut certè magis conuenire, vt illa diuersæ subeant personæ. Quod subiicit ille canon in illis verbis, Hæc verò opera quæ tibi minus congruere diximus, exhibeant sibi inuicem vacantes laici. audis minus congruere? Adde, quòd Romulus Romanorum ille rex primus legem naturæ solam doctus, instituit sacra, & qui illa peragerent sacerdotes à se distinctos, Marco Varrone, Dionysio Halicarnasseo & Antoni. Coccio testibus; prospiciens vir prudens se non posse Imperio simul, & sacerdotio facere

cere satis; & quòd post illum ea in melius reformauit eius successor Numa Pompilius solam item legem natura doctus. Sed & Moyses Hebraorum dux ille primus, et optimus, ratus etiam non posse ab vno temporalia et sacra omnia iustè curari, Aaroni hac, illa sibi curanda partitus est.

Postremo, vt finiamus in ratione pontificia, à qua etiam incepimus, facit, & neruosè quidem, cap. per venerabilem, qui fi. sint leg. primo, quatenus de rege Francorum ait, neminem eum superiorem in temporalibus recognoscere. Quod certè non dixisset, si ipsemet, qui dicebat, fuisset illius superior in illis. Secundò facit, quatenus de rege ipso verba illa subdit, Nostra iurisdictioni subiicere se potuit. Nonne apertè indicat eum non esse iurisdictionis Papa quoad temporalia, sine subiectione voluntaria? audis enim, potuit, & non debuit. Tertiò facit; quatenus probat, Regem Francia posse legitimare subditos suos quoad temporalia, sine vllius alius consensu. Quod facere non posset, si Papam recognosceret superiorem: vt etiam ipsemet Papa ibidem palàm probat.

Hac sunt alia pedamenta, quibus suprema potestas laica, suum caput extollit, & se à DEO ipso ortam probare nititur. quod iure facere posse affirmat Iohannes Theutho. vir vndequaque doctissimus in scholiis, cap. quoniam. 10. distinct. et sentit in cap. 1.

22 distinctio. & in cap. cum ad verũ. 96. dist. Franciscus itẽ à Zabarellis Cardina. Flor. in præsenti cap. & Bal. in rub. Digestorum. colum. 2. parum memor Bart. contrariũ tenentis, dixit omnes legistas tenere pro maxima, Imperatorẽ Romanorum *neminẽ habere in temporalibus superiorẽ. Idem Joannes Parisiensis Theologus Ordinis Prædicatorũ Doctor antiquus in lib. de potestate Papali, & Imperiali, quẽ sequitur Alber. in l. cunctos. nu. 9. & 20. C. de summa Trin. et in l. bene à Zenone. C. de quadr. præscrip. num. 16. hoc idem sentit Cosmas in procemio congregat. Gallicanæ. & Jacobus Almay. in lib. de potest. Papæ. Idem Ioannes Maior in 4. distinctio. 24. quæstio. 3. & super Matth. cap. 16. idem Antonius à* Rosellis *de potest. Imperatoris. colum. 15.*

Denique sententia sua declarata Nauarrus ait, Pag. 77. n. 42. *Infero primo, errare Bar in l. 1. §. præsides. ff de requirend. reis, dum significare videtur hæreticam esse,* *de hæresi *quã elegimus, opinionẽ; & ob id quasi * damnatum fuisse Dantem Floren. poëtã celeberrimũ, & qui eam affirmant, hæreticos.* Vbi habes Bzoui responsum ad Baldi de Dante quasi hęreseos damnato dictum, quo alicubi triumphas.

Pag. 78. n. 72. f. Audi & S. Thomam ex Nauarro cùm dicit, *S. Thomas de regimine prin. lib. 3. c. 8. concludit* Octa*uianum Augustum Christi vices gessisse in temporalibus, licet ipse id non intelligeret; sicut & Cayphas pro-*

prophetauit, non intelligens se id facere. Itaque Iacobum Almaynum qui potestatem Ecclesiasticam immediatè à Deo institutam dixerat, laicam non item; refellit Nauarrus, ac docet vtramque esse datam immediatè à Deo, quamuis neutra hodie acquiratur sine interueniente hominum ministerio, quod fit electio vel successio. Pag. 85. b. 144. & 145.

51. Hieronymum Balbum Bzouius vt Ordinis sui consortem haud, credo, aspernabitur, atque vt Episcopum, fortasse etiam reuerebitur. Is igitur de Coronatione ad Carolum V. Pontificis ac Imperatoris potestates esse distinctas docet, ideóque alterum in alterius iurisdictionem se ingerere non debere nisi opis ferendæ gratia. Probat id iisdem ferè firmamentis quæ Ludouicus in illo decreto proponit. Affert deinde argumenta eorum, quibus aliqui contendunt, Imperatorem ex sola electione non consequi ius nisi inefficax, & sicuti gladium in vagina reconditum: at vt eum educere ac stringere possit, è sola Pontificis auctoritate approbationéque proficisci. Deinde hoc de iisdem argumentis interponit iudicium, *His* inquit, *inuolucris nobiscũ agunt, qui iura Imperij labefactare student:* profitetúrque allaturum se rationes, quibus conuincatur, ex sola electione aliquem fieri verum & legitimum Imperatorem. Inter cætera, *Quid verò,* inquit, *in re perspicua tantum opera ponimus?* Pag. 41. ante m. Pag. 58. f. Pag. 61. f. Pag. 62. post m.

nimus? quum ille idem Pontifex, nec non certissimus Canonum interpres Innocentius omnē scrupulum ex animis exemerit: qui in c. Venerabilē de electio. verba hæc ascribit: Credimus tamen, quod si Imperator Coronam in loco debito accipere nō posit, nihilominus autoritatem administrandi ab Archiepiscopo Coloniensi posit recipere: vel sua autoritate, quam habet ex electione, sine ulla coronatione administrare. At Ioan. Andr. alterum iuris Pontificij iubar in c. auaritiæ. de electione. libro sexto: & in d. Clemen. I. non solum huic sententiæ subscribit: sed etiam addit ita de iure esse & consuetudine à Pontifice tolerata, cui standum est. In hanc sententiam Iac. de Are. Imol. Butrigarij, Bal. Albe. denique tota iuris Cæsarei schola cateruatim transit. Sed ne qui pro contraria factione stant, vel verbum unum amplius hiscere audeant, ratiocinationes quasdam ex communi usu diuturnáque experientia ductas in medium proferam: quarum prima sit hac. In principatu omniū maximum est legem condere, soli enim Imperatori in supremæ potestatis prærogatiuam id competit C. de leg. l. fi. Sed legem potest, simul atque est designatus, condere: quod in Diuo Maximiliano nos ipsi obseruauimus, & Antoninus Pius Imperator his verbis testatur: De his omnib. Diuus Pater meus ingrediens mox principatū, constitutiones, honores & immunitates certificauit. l. sed & reprobari. ff. de excu. tuto. Quanto igitur magis,

gis, quæ minoris momenti habentur eius erunt in potestate, per regulam Non debet. Præterea si prælatus trans montes electus hac gaudet prærogatiua, vt sola ex electione ius administrandi acquirat, c. nihil. de elec. quanto id iustius, rationabiliúsque de Imperatore, qui trans montes eligitur, statuendum est? Adhæc electio Comitiis Germanicis celebrata illi successit, pro qua olim populus Romanus suffragia ferebat; illius ergo naturam induere debet, insti. de actio. §. fuerat, & de dona. §. qui id quod. At ex ea nullo adminiculo extrinsecus accersito summa potestas in principem conferebatur, vt scilicet quodcunque constituisset, foret ratum. ff. de orig. iur. l. 2. & c. legimus XCIII. *di. Idem igitur ex hac ipsa Germanica confertur. Quod si contraria sententia vincat, in quasdam angustias & quasi labyrinthos incidemus: quum sub* Romanis *Pontificibus (ne vetustiora repetam) plerique fuerint Imperatores nec inuncti nec coronati; recenti verò memoria Albertus & Maximilianus, sine vlla Pontificis approbatione Imperij munus egregiè obierunt, quorum omnium res gestæ, si secundum aduersarios lis daretur, nihil virium, nihílque firmitatis obtinerent: sic leges ciuiles, sic limites cuique prouinciæ designati, sic principatus vel in feudũ, vel alio nomine quæsiti, & id genus pleraq; radicitus tollerentur. Sed hanc repugnantiã rerum sententiarúmq; non tenent, qui veteres Cæsarum historias non tenent.*

CON-

CONSTITVTIO LVDOVICI BAIOuari Imperatoris de Imperij iuribus & excellentia.

Hac de re magna fuit olim colluctatio Pontificatu Joannis XXI. *& eius successoris Benedicti* XII. *quum Ludouico Duce Baiouariæ Imperatore designato, demum omni ambiguitate per sacrarum literarum Antistites maturè solertérque discussa, Ludouicus legem sanciuit, promulgauítque, quam ad verbum his adieci, ne quis in eo amplius aberret, in quo omnis Imperij dignitas, maiestásque continetur. Licet iuris vtriusque testimonio manifeste declaretur Imperialem dignitatem* &c. quæ in constitutione *Licet iura* sequuntur. Subiicit continuò inuectiuam in Oldradum, iam supra à nobis allatam.

Proponit demum Balbus rationes, vt ait, efficacissimas, quibus conuincatur, ex Coronatione nihil noui iuris Cæsaribus accedere. *Sed, vt in viã,*
Pag. 61. inquit, *redeam, vno simul ore, paríque cõsensu, omnes legum interpretes statuunt, hæc quæ ad coronationem attinent, fieri magis honoris & officij causa, quàm vel necessariò, vel vt ex hac actione quicquam Cæsaribus accedat. In quouis enim ferè actionum genere, quædam exiguntur ad rei (vt nunc loquimur) quiditatem substantiámque, quædam verò ad solennitatem: quæ quidem distinctio ad id de quo agimus, adamußim accõmodatur: siquidem electio solùm ad Im-*

Imperatoris substantiam pertinet, ad solennitatem reliqua, vt confirmatio, inunctio, consecratio, coronatio, d. c. venerabilem. de elect. d. Clemen. I. de iureiur. At Imperator quo ad ea quæ solennitatis sunt, perinde atque Pontifex, solutus est legibus. l. digna vox. C. de legi. Vnde efficitur ad ius Imperij cumulatissimè assequendum solam electionem, quæ substantiæ locum obtinet, per se sufficere. Hæc traditio quia vera est, quadrat vbique, & tota sibi constat. Et si qua forte repugnare videntur, facile vel ex hoc capite dilui possunt, quod erubescendum est illi, qui super his, quæ lege aguntur, sine lege loqui audet in authen. de trien. & semis. §, consideremus. colla. III. l. illam. C. de colla. Nulla autem lege cauetur Imperatorem designatum esse confirmandum: nam c. Venerabilem de elect. quòd aduersarij tanquam telum acerrimum in nos contorquent, ne verbum quidem vnum de confirmatione facit. Recognoscite quæso mecum dicta Innoc. in eo. c Ius, inquit, & autoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendum in Imperatorem, ad nos spectat, qui eum inungamus, consecremus, & coronemus. Si quis hæc accuratius rimari voluerit, manifestè deprehendet, ea cuncta Imperatori designato licere, quæ electus confirmatus ante consecrationem assequitur, & constat illi omnia licere, quæ sunt iurisdictionis, c. nostri. c. transmissa, de electio. Quid quod nullo in loco cautum reperitur, Ec-

clesiam translationis tempore eiusmodi legem Imperio præscripsisse? Sed nec video cur quippiam super ea re potuerit sancire, iuráue Imperij labefactare. Nec illud officit, quod ante coronationem appelletur Rex *Romanorum, & proinde nequeat vsurpare Imperij nomen, gubernaculáue: quandoquidem hæ duæ voculæ Rex Romanorum, & Imperator, idem omnino valent, & synonymæ sunt, vt liquido constat ex verbis d. l. bene à Zenone & C. vt nemo priuatus, l 1. in vtraque scribitur promiscuè, & Imperialis maiestas, & Regale culmen. Immo aduersarij, qui sacra profanis commiscent, vt nos è gradu deiiciant, argumentorum inopia eò confugere coguntur, vt pleraque proferant, quæ in rem nostram maximè faciunt. Nam si post electionem vocatur Rex Romanorum, hoc certè iuris habet, vt regat. ff. de verbo. signi. l. Tugurij. id igitur poterit, quod Imperator, hoc est, quod scribitur l. 1. ff. de offi. præf. præto. regimentis Reipublicæ in Principem translatis: simul enim atque Germanorum suffragiis est designatus, efficitur verus, & legitimus Imperator, & inde incipiunt Imperij anni fluere: vt in authen. vt præpo. no. Impe. §. 1. col. 1. prima inquit die qua Deus nos Romanorum præposuit rebus; atque eodem temporis vestigio potest quæcunque sunt potestatis Imperialis implere: vt est tex. & ibi Bald. in 1. constitu.*

Quid tibi de hoc tuo Hieronymo videtur Bzoui?

Bzoui? Si præiudicium tuorum quæris, audi quid Leander Albertus & ipse Dominicanus, ac Prouincialis de eodem Hieronymo ad quendam Cardinalem scripserit.

AMPLISSIMO P.L. CARD. S. QVAtuor, Leander Albertus Terræ Sanctæ Prouincialis Sal.

Tuo iussu ampliss. P. ac ex animi mei sententia Hieronymi Balbi Antistitis Gurcensis, viri vndecunque literatissimi, libellum ad Carolum V. Imperatorem de coronatione perlegi: qui dum triplici corona Cæsaris caput adnititur cingere, nō minori laudis gloria ipse redimendus est, quam olim in Olympiaco certamine victores coronabantur. Quam bellè est videre in hoc opusculo multiuaga eruditione referto, acriq; ingenio elucubrato, Balbum nostrum: at non balbè sed disertè, sed tersè loquentem: vt lectorem oblectet, capiat, atque teneat, tam dicendi lepore, quam sententiarum grauitate. Porrò actioni verba quadrant, & verbis sensus: & sensui, verbis, ac actioni, omnia correspondent. Multis quidem peruestigatio ac rerum cognitio data: sed sensuum explicatio paucis. Verum vtrumque in Balbo nostro inuenies, atq; vtinam eius cætera opera in lucem prodeant, vt eruditionem simul & voluptatem ex eorum lectione capere valeamus. Hoc, amplissime pater, tibi significandū duxi, vt meū quantulumcunq; est de hoc opusculo, pro corona- In princip. lib. de coronat.

tione Cæsaris edito, iudicium afferrem: quod omnibus eruditis (modò absit inuidia) probatum iri existimo. Vale amplissime Pater, Leandri tibi deditissimi memor. Ex ædibus diui Dominici XV. *Kl. Mart. M. D. XXX.*

In c. Nouit. p. 75. Col. 1. post m. Martinus Nauarrus ad confirmandam quandam sententiam affert *insigni*, vt ait, *authoritate doctores*, & in his Hieronymum Balbum, quem Episcopum Corsensem (Gurcensem intelligit) virum varia lectione & eruditione insignem vocat. Dic tu nunc Bzoui quicquid voles: aut enim Leandri tui & Nauarri iudicium confirmabis, aut certè nō infirmabis; & aut eruditione carebis, aut inuidia laborabis non meo sed Leandri tui iudicio.

52. Verum enim verò, quandoquidem tu id decretum ad perpetuam Ludouici infamiam pertinere arbitraris, subiungere placet longè alium sensum quorundam Authorum apud Restaurum Castaldum, de Imperatore, quæst. 46. Eiuscemodi verbis rem exequitur. *Est benè verum, quod Aretin. allegando. l. 2. de offic. proconf. videtur sentire distinctionem in hac quæst. quam tetigit Spec. in dicto titu. de rescrip. præsen. §. ratione autem causæ. versi. idem quod est obtentum, in fin. dum dicit, quosdam audiui dicentes, quod imperator ante coronationem potest dare priuilegia absq; imperij læsione, vtputa creare tabelliones, & ea, quæ sunt valuntariæ,*

taria, non contentiosæ iurisdictionis, allegan. l. 11. immò ego addo, quod August. de Anco. in d. tract. de potesta. Papæ, quæstio. 39. l. II. & III. ar. tenet, electum in imperatorem ante coronationem administrare non posse, per capitu. nosti. de electio. extra, & per naturales rationes. Item quod nec post confirmationem, ante vnctionem, consecrationem, & coronationem, nisi in Regno Alemaniæ, quia in eo, dicit 3. artic. ex diuturna consuetudine, quæ legi æquipollet, potest administrare etiam ante eius confirmationem. Sed tamen communis, de qua supra, in omni genere administrationis, & vbiq; loqui videtur, & generaliter, vt per docto. in l. locis suprà allega. pro ea, vnde ab illa non videtur recedendum, & Bald. simpliciter in l. I. II. colum. in princip. C. de sum. trinita. & fide catho. tenet, quod imperator recipit ab Ecclesia insignia temporalia, quamuis ante etiam sit imperator, pro qua facit, quod licet videamus Papam coronandum, & coronari, vt per glos. in prooe. ele. in versicu. pontificatus, & in Data. 6. in versicu. eodem. & per Bald. in procem. decreta. 7. colum. tamen administrare potest ante coronationem in omnibus, & per omnia, ac si esset coronatus, vt notanter excommunicantur, qui aliter dicunt, in extrauag. Cle. V. quia nonnulli, in titu. de sentent. ex commun. vnica, quæ est constitutio fi. in lib. extrauag. & per Fely in capitu. eam te. de rescrip. extra. 4 colum. versic. 11. restrin-

 getur.

getur. Et plus in prædictis considerandum est. quia d. communis conclusio non solum videtur procedere ante coronationē, sed etiam ante approbationē aliquam de eo factam, vt testatur Abb. in dicto capitu. venerabilē. ad fin. versicu. extra glos. licet Barto. in d. extrauag. ad reprimen. in versicu. reges. primo. ad fin. videatur sentire procedere post approbationem à sede Apostolica factam. Sed in fin. verbis, quod etiam ante, vbi electi sunt in discordia, de quo infra videmus. Paul. autem de Cast. consi. 78. incip. donatio. libro primo. in princi. dicit, quod Rex Romanorum concorditer electus, & per Papam confirmatus, licet adhuc non sit coronatus in imperatorem, potest facere, quæ posset imperator, & sic Paul. de Castro videtur velle, quod saltem sit approbatus à Papa. & Pe. de monte in d. tract. de Monar. ante fin. 5. quæstio. omissis argumentis ad partes, quæ non ponit in hac quæstio. causa breuitatis concludit ex sola electione plenum ius imperiale consequi, & iam quoad omnimodam administrationem, sine alia examinatione, vnctione, confirmatione & coronatione Papæ, probans primo 8. fundamentis seu rationibus satis subtilibus (quas ibi videant, qui volunt) demum auctoritatibus multorum excellentium virorum Iaco. de Rau. quem dicit hanc quæstio. publicè disputasse, & ita tenuisse Cyn. Guilelm. Nason. Innocen. Ioann. And. Alber. de Rosa. vbi ibi, & refert Alb. de Rosa. in d. l. bene à. Zenone.

Zenone. dicere de hoc fuisse magnam concertationem inter Papam Ioannem XXII. & successorem suum Benedic. XII. ex vna, & Dom. Ludoui, de Bauaria electun. prælatos & Doctores tam in curia, quam extra consultos in hanc partẽ inclinasse, pro qua d. Domi. Ludoui. fecit vnã constitutionẽ, quam dicit Albe. ponere d. loco, & quod audiuit literas electorũ imperij, qui hanc partẽ veram dicebant. Simile, aliàs in patricio, & consule, vt ex sola electione ius consequantur, secundũ glos. not. post text. in §. filius fam. institut. quibus modis ius patr. po. solu. quæ omnia nota, quia Felyn. in capi. eam te. 2. colum. in princi. extra de rescript. tenebat, ante coronationem nihil posse in administratione imperij, post Salycet. in d. l. bene. 1. colum. cum 4. seqq. Et hanc communem opinio. de qua supra multùm nota, quia ex ea videbatur posse inferri contra prædictam quæsti. quia, scilicet, si ante coronationem omnes effectus, & iurisdictionem veri imperatoris habet, cur & non nomen, argument. l. à nullo. C. de fer. & l. 5. C. de defens. ciuita. Est & aliud institut. de donat. cum sim. nisi dicas, quod & aliàs quandoque nudum tamen est in consideratione. l. 11. §. si vero. ff. ad Tertul. cum simil. Sed profecto in puncto iuris durum videtur, quod à Papa debeat Imperator vngi, consecrari, & coronari, vt supra suo loco dictum est, & tamen dicamus ante hac omnia plenum ius imperiale omni modo consequi

contra

contra capitu. nosti, de elect. cum simi. & ad quid dicta solennitates superfluo inducta, & iuramentum fidelitatis, & Episcopus Gurgen. in lib. suo de corona. char. 27. & seq. sub §. hinc illa. disputat, licet sicce, hanc quaest. tandem concludit pro necessario, vt imperator sola electione administrare possit, etiamsi prius confirmationis virtus non accesserit, deducen. vt ibi retorquendo fundamenta, vt scilicet ex sola electione rite, legitiméq; facta, verus efficiatur imperator, & omnia possit exercere, sicut in simili in Pontifice est, vt ibi no. & ne vetustiora repetat, plerósq; ait fuisse imperat. nec inunctos, nec coronatos, & recenti memoria, Albertus & Maximilianus, & tamen imperij munus obière, vnde quod ex coronatione nihil noui iuris Caesaribus accedat, refertq; ad literam constitutionem Ludouici Imperatoris tempore Ioann. XXI. & Benedicti XII. qua sanciunt, vt ex sola electione sit verus imperator cum administratione, secus dicentibus priuatis omnibus iuribus &c. & criminis laesa maiestatis poena puniendis, Resoluens d. Gurgen. char. 31. §. sed vt electionem esse ad substantiam imperatoris, reliqua ad solennitatem, vtilem tamen, & non paruipendendam. In vno tamen errare videtur, dum ibi dicit, nullo iure caueri imperatorem designatum confirmandũ, quia contrarium, pace sua, constat in dictis supra q. 17. Et addo, quod d. deci. in c. postquam. in prin. 1. not. de elect. tradit latè, & congerit in

impe-

imperatore sicut & in Papa non requiri confirmationẽ & ante eã electus potest administrare post gloss. Barto. Ange. Cyn. Cal. vbi, & seipsum consil. 193. sed pace sua, ibi nihil de confirmatione, sed de coronatione, vt supra diximus, & de hac q. an ex sola electione imperator ante confirmationem posse administrare, post Alberi. & Salycet. in dicta l. bene à Zenone. ponit. Ioann. And. in addi. ad Specu. in titu. de rescrip. præsen. §. fi. versi. item quod obtentum. circa medium, & Aluaret. in capitulo primo, quis dicatur Dux, & remissiue Cardi. Iaco. in tracta. de conci. nouiter impresso, facie 173. col. 1. & 2. quod sic idem Ioan. Lecirier in tract. de primoge. 11. q. 1. lib. colum. 4. & seq. in no. q. an natus ante Regnum adeptum dicatur primogenitus Regis, vbi tenet, quòd sic, post varias quatuor opi. no. & late, sed id non est præsentis indaginis.

53. Bzouius. *Dantes Florentinus Poëta, Gibellinæ factionis præco, composito de monarchia libello, eius hæresis auctor inprimis fuit, quam postea Guillelmus Okã Franciscanus cõplexus, Ludouico Bauaro instillauit, ádque edictum superius à se cõceptum, totis conatibus incitauit publicandum. Fuerunt quamplures Zelo Ecclesiasticæ disciplinæ flagrantes, qui se vesanieti Ludouico opposuerũt; & tum libris doctissimè cõscriptis profanum eius decretum impugnarunt, tum sententias & censuras Joannis Pontificis aduersus eundem Ludouicum & complices latas, seruandas esse docuerunt.* Col. 799. VIII.

Canonici inprimis Francofordienses, & Apostolicæ sedis Commissarij, quod Ioannis edicta & processus locis publicis, maximè verò ad postes Basilicæ Diui Bartholomæi, vbi etiam suum Ludouicus affixerat, diuulgabant, prædiis mulctati; Dominicani Francofordia, Spira, & aliis locis eiecti; Carmelitani etiam ab Henrico de Firberg, Moguntino Archiepiscopo, in gratiam Ludouici pulsi: alij religiosi, & Clerici, & sæculares male mulctati: secutáque per imperium, & partes Alemaniæ maximè autem Sueuiæ, in comitatu Wirtenbergensi, in omnes Pontificiis mandatis obsequentes persecutio. Mutius Germ. Chron. scriptor libro vigesimo quarto hæc fusius enarrauit istis verbis. Hoc, inquit, decretum, vt vocant, scriptum & editum ex consilio quorundam Fratrum Minorum, est ingens turbatio in Ecclesia secuta.

Pontifex enim è contra bullis horrendis & multis fulminauit. Quidam Ecclesiasticorum adhærere Pontifici conabantur: quos omnes Prælatos & vulgum sacerdotum à præbendis & dignitatibus deturbauit Ludouicus. Monachi multi relinquebant Monasteria, ne incurrerent excommunicationis sententiam. Statim post publicatum hunc, vt sic dicam, processum, expulit ex Francofurdia Prædicatores, qui nolebant obseruare contra Papam eius mandata. Mox ex reliquis omnibus Ecclesiis eiecit Prædicatores, qui Papæ adhærere pergebant.

Plu-

Plurimi Pontificis studiosi, ob reuerentiam quam habebant erga Romanam sedem, nolentes Ludouici mandatum obseruare, Auinionẽ tunc ex Germania profecti sunt, ibíque questi sunt de persecutionibus, quas ob religionis obseruantiam perferrent. Cùm autem maior pars non esset pecuniata, expectabant enim frustra opem ab illo propter quem exulabant, fame suadente & compellente in Germaniam reuersi, & gratiam rogantes à Ludouico recepti sunt: quod Clericorum genus tum acerrimè Ludouici causam egit aduersus Papam. Ex illis Ludouicus concionatores fecit: qui aliquandiu nihil aliud ad populum prædicabant, quam de Imperatore & Pontifice: declamantes, imperium esse immediatè à Deo, nec habere Papam quicquam iuris in imperium, quantum attinet ad temporalia: & rectè Ludouicum appellasse ad futurum Concilium, ceu ad superiorem Magistratum: conciliúmque esse maius quam vel Papa vel Imperator sit. Ex hac occasione multa bella exoriebantur. Quidam enim Principes, qui alioqui Ludouico erant inimici, per suas Ecclesias omnibus festis diebus Pontificiam excommunicationem in Ludouicũ euulgabant: aduersus quos iste copias, vel ipse ducebat, vel mittebat, tumultibúsq; & cædibus Germania implebatur. hæc Mutius ex Iacobo Argentinensi. Alij quemadmodum Kranzius in lib. 9. c. 15. Saxoniæ, refert, visa Comitij Francofordiensis pertinaciter assere-

 bant,

bant, inter alia garrientes: quod electus à Principibus, aut maiore, aut saniore parte, administrationem habeat citra assensum Pontificis: quasi ea quæ præter hæc introducta sunt, nec diuino iure, nec vlla Patrũ ordinatione, sed blanda quorundam assentatione, & Romanorum spontanea ingestione Pontificum prouenerint. Addebant sufficere, vt electus insinuetur summo Pontifici Romano, quod sit Princeps Catholicus, iustus, imperio dignus, petatúrque coronatio: quæ (nisi manifesta obstiterit causa) si negatur, sumatur consecratio à quouis catholico Pontifice: quasi omnes illæ solennitates per Ecclesiam introductæ fuissent: nec Pontifex Romanus aut Constantinopolitanos aut multos ante Carolum Christianos, aut ante Constantinum Ethnicos Imperatores vnquam sacrauerit. Denunciabant pariter, in eodem Comitio ordinatum fuisse, quod Imperator præstabit Pontifici & Ecclesiæ defensionis, deuotionis & humilitatis, non fidelitatis, homagij, aut subiectionis iuramentum; quod temporalis dominij aiebant, Papa Imperatori nihil tribuit; immo Ecclesia omnia illa sumpserit ab Imperio: et gladius vterque nihil habeat commune; cum alter animam, alter solum corpus conficiat: & vacantis imperij vt Pontifex administrationem habeat, nulla scriptura, nulla ratio, sed sola vsurpatio induxerit. Hæc in cœtu Imperij constituta, pseudoconcionatores renunciabant. Kranzius supra.

Satis

Satis multùm *imò supra satis multum* locutus est Bzouius, nos diuidemus sermonem eius.

54. Pronunciatum I. *Dantes eius hæresis auctor. quam Okam Cæsari instillauit.* Hæresin vocas sententiam eorum qui dixere Imperium esse immediatè à Deo & Imperatorem in temporalibus non habere superiorem; quo ipso hæreseos damnas Pium II. Papam, Cusanum Cardinalem, alióśque Catholicos doctores, quos in hanc sententiam supra citauimus. *AAN.III.*

55. Pronunciatum II. *Fuisse qui decretum Ludouici impugnarint, & censuras Iohannis contra eum latas, seruandas docuerint.* Ita sine auctore pronuncias, & fuerunt etiam qui contra docuerint, vt ad annum 1323. ostendimus cum ex aliis, *P.244.34* tum ex Nauclero, ex quo tu hunc §. non sine tuis deprauationibus sumpsisse videris. Nauclerus enim longè quàm tu aliter dicit, *Quamobrem multi viri doctissimi tunc quæstiones disputabant de potestate Ecclesiastica.* De Dante quoque aliter, quàm tu, loquitur, eúmque non absolutè aut ex sua sed Antonini sententia errasse dicit; neque etiam ipse Antoninus Dãtem hæreseos sed erroris arguit. De Occamo similiter Nauclerus & Antoninus (cuius verba Nauclerus refert) scribunt nulla Ludouici facta mentione, quam tu in Ludouici gratiam fecisti, idque de tuo, cùm nec Mutius nec Nauclerus dicãt,

decretum Ludouici ab Occamo factum, sed ex consilio Minorum quorundam, quod ipsum tu
N.VI.§.2. iam antè dixeras. Cur non iterum à Lupoldo Babenbergensi profectum dicis, quando nec lac lacti, nec ouum ouo tam simile est, quàm decretum hoc illi superiori *Licet iura?*

56. Pronunciatum III. *Canonici inprimis Francofordienses, & Apostolicæ Sedis commissarij, quod Ioannis edicta & processus locis publicis, maximè verò ad postes Basilicæ D. Bartholom. diuulgabant, prædiis mulctati*, &c. Hæc quasi ex Mutio affers, quæ tamen partim ex Nauclero nō sine fraude, partim ex te vel alio sunt. Ex Nauclero sunt, quæ de Spira, Alemania, Sueuia, & Comitatu Wirtenbergensi memoras; fraudulenter omisso illo, quod Nauclerus addit, aliquos Dominicanos Francfurti mansisse mandata Imperatoris obseruantes. De Canonicis Francofordiensibus & Apostolicę Sedis cōmissarijs, de postibus D. Bartholomæi, de prædiorū ereptione, de Carmelitis & Archiepiscopo Moguntino, de secularib. malè mulctatis nil speciatim habet Nauclerus, nil Mutius. Denique in gratiā Franciscanorum repetis ex Mutio decretum Ludouici editum fuisse ex consilio quorundam fratrum Minorum;
N.VI.§.2. quasi non id iam supra ex eodem attulisses.

57. Pronunciatum IV. *Hæc omnia Mutius ęnarrauit fusius istis verbis.* Neque huic dicto per omnia

omnia fidem præſtas Bzoui. nam primò vbi Mutius dicit, *Pontifex è contra bullis horrendis & multis fulminauit*, tu appendiculam hanc omittis, *quibus conſcientiæ miſerrimè tortæ ſunt*. Secundò vbi Mutius ait, *Monachi multi relinquebant monaſteria, ne incurrerent excommunicationis ſententiam*, rurſus omittis, *quidam fortaſſe arripiebant hinc occaſionem vagandi*. Tertiò, vbi Mutius refert, *Ex iis Ludouicus concionatores fecit*, omittis verbum *prudenter* à Mutio vſurpatum, ne prudenter feciſſe videatur Cæſar. Quartò, vbi Mutius infit, *Exoriebantur multa bella ex hac lite Pontificis & Imperatoris*, tu elegantiùs & terſiùs, vt ſolus Cæſar videatur reus, rem ſcribis, ſed mutas, *Ex hac occaſſone multa bella exoriebantur*. Quintò omittis omnino quod Mutius addit, *In Jtalia Papa omnia occupabat, & expulſis Gibelinis (ſic enim adhuc eos vocabant) conſtituit præfectos aut ſuo nomine, aut donauit ciuitates, quibus fidebat amicis, nec hoc ſine magno motu Latij factum eſt, ſtabiliuit ergo Pontifex ita res ſuas in Jtalia, vt nihil amplius periculi eſſet à Cæſare, vt putabatur*. Hæc omnia, mi Bzoui, non ideo tuo lacero ſermoni adijcio, vt ea vel probē vel cōmendem, ſed vt oſtendam, quomodo auctores aliter, quàm promittas, in publicum educas. Si auctorum tibi verba vſurpanda ſunt; ne mutiles aut augeas: pone ea in natiuo ſuo ſchemate, & quæ proba ſunt

lauda;

lauda; quæ improba, damna: alioqui lector, præſertim qui parùm cauſæ Eccleſiæ fauet, dicet non ſcriptorem te ſed impoſtorem agere.

58. Pronunciatum V. *Hæc Mutius ex Iacobo Argentinenſi.* Bzouius ſcribere voluit, *Hæc Mutius ex Iacobo Moguntinenſi,* nec me ſententia fallit; ſed *Bzouium* fallit memoria. Neque verò ea, quæ hoc numero narrata ſunt, Mutius è Iacobo refert, ſed longè alia de reb. inter Regem Galliæ & Ludouicum Imperatorem geſtis, tempore & loco remotiora.

p.239.50 douicum Imperatorem geſtis, tempore & loco re-

59. Pronunciatum VI. *Kranzius refert, pſeudoconcionatores viſa Comitÿ Francofordienſis pertinaciter aſſeruiſſe, & renunciaſſe.* Fœde Mutium, fœdius Kranzium deprauaſti. Kranzius non quid cōcionatores dixerint, ſed quid Imperator & Principes decreuerint refert, & quidem ita, vt omnino comprobet atque confirmet. Sic enim ſcribit, *In*

9.Sax.15. *Germaniam Ludouicus reuertitur conuentúque regni conuocato permagnifico, in Francfordiam, ad quem etiam vocauerat reges Imperio non parentes. Venerat rex Angliæ, Imperio nihil debens: aderat rex Bohemiæ Iohannes Henrici ſeptimi filius, ceteríque regni tam ſpirituales quam ſeculares principes. Ibi conſtituta ſunt multa, quæ ex dignitate Imperÿ tum ſunt viſa: inter alia verò quod electus à Principibus, aut à maiore aut ſaniore parte, adminiſtrationem habeat*

beat citra assensum Pontificis: nam ea quæ præter hæc introducta sunt, nec diuino iure nec vlla patrum ordinatione, sed blanda quorundam assentatione, & Romanorum spontanea ingestione Pontificum prouenerint. Electus insinuetur Romano Pontifici, quod sit Princeps catholicus, iustus, Imperio dignus, petatúrque coronatio: quæ (nisi obstiterit manifesta causa) si negatur, sumatur consecratio à quouis catholico Pontifice. Nam omnes illæ solennitates per Ecclesiam introductæ fuerunt. Quis enim Romanus Pontifex consecrauit Constantinopolitanos Imperatores? & quis ante Carolum multos Christianos Cæsares? & ante Constantinum Ethnicos quis sacrauit Imperatores? Deinde ordinatum est, quod Imperator præstabit Pontifici & Ecclesiæ defensionis, deuotionis, et humilitatis, non fidelitatis, homagij aut subiectionis iuramentum: quia temporalis dominij Papa Imperatori nihil tribuit, imò ecclesia sumpsit omnia illa ab Imperio. Gladius enim vterque nihil habet commune, quum alter animam, alter solum corpus conficiat. Ibique decreto firmatum est, Quod vacantis Imperij administrationem Pontifex habeat, nulla scriptura, nulla ratio, sed sola vsurpatio introduxit. Hæc tum Principibus in cœtum Imperij congregatis visa fuere in rem Christianam obseruanda. Sed luit Germania pœnas diuisionis suæ; quæ si vnum sentiret, parerétque suo capiti (quo modo in Anglia & Francia principes regi) rectè

MM illi

illi omnia procederent: nunc verò experitur, quod verbo veritatis discere & cauere debuit, Omne regnum in se diuisum desolabitur. Hæc Kranzius. Vbi hîc vel verbum de concionatorum garritu? Hactenus de re; supersunt duæ in Bzouiana verba obseruationes. Prima est de verbo *Pseudoconcionatores.* monstrosa enim ex Græco & Latino composita monstrosum historicum decẽt. Secunda est, quod Comitij decreta vocat *visa*, quam elegantiam nõ facile apud quenquam alium reperias.

Col. 100. IX 60. Bzouius. *Interfuerat ei Comitio Rex Boëmiæ Joannes, & Edouardus Rex Angliæ. Hic quod non se ad oscula pedum Bauari demisisset, aliquantum offenderat Principem superbum. Excusauit tamen factum, quod nihil deberet Imperio, & esset inunctus, & in potestate sua haberet membra & vitam suam; ideóque non teneretur tantum se submittere, quantum alij Reges ab Imperio dependentes.*

Postquam aliquo modo Ludouico satisfecisset, fœdus cum eo societatis armorum in Philippum Galliarum Regem sanxit, quod Ludouicus consilia Pontificum Maximorum regi nutu Francorum sibi persuaderet, pérque eos stare existimaret, quod ad eam diem agendo moliendóque supplex armatúsue impetrare non potuerat, vt sibi à Pontifice Maximo benediceretur.

Facile erat Ludouico Edouardum in partem seducere, quod is incendente Attrebate non arcem San-

Santonum, non ignobilia oppida amissa, nihil mediũ, nihil humile animo versaret, sed suum esse ius Francici regni prædicaret; se Philippi Pulchri nepotem, filia ortum, potiorem esse qui ad solium Francicum insidendum vocetur, qui auo & auunculis succedat, quàm Philippum Valesium, qui à Philippi Pulchri parte oriundus, stirpe remotior regnum inuaderet; se & impuberem & absentem olim excluserit, ac tot retentis euersisue Aquitaniæ arcibus, ne pacem quidem Ambianensem sanctam velit.

61. Pronunciatum I. R*ex Angliæ aliquantum offenderat* P*rincipem superbum.* Quos non colores vndique conquirit Bzouius, vt Cæsarem nostrum pro libidine sua defædet? Superbiam illi hoc loco tanquam desponsam in thorum regium inducit, & quidem conscio sensu malè se agere. nam vnde nouit Principem superbum ab Edouardo offensum, quod ad oscula pedum sese non demisisset? Thomas Walsinghamus in Edouardo III. anno 1338. hoc tantùm vt incertum rumorem refert his verbis, *Quidam autem ferebant quod Bauarus indignè ferebat, quod Rex Angliæ non se submisit ad oscula pedum suorum.* Scio alibi Bzouium hos loquendi modos, vt inanes & friuolos, contempsisse, præsertim quando Bernardum suum veneficij accusatum propugnabat; nunc cum de Cæsare legit, *Quidam ferebant,* nihil hæsitat, eique perinde §. 2. f.

est ac si Walsinghamus diceret, *Bauarus agrè tulit, superbus fuit.* Affectum, non rationem sequeris Bzoui; quos vis accusas, quos vis excusas, paribus adductus momentis. Quis ista tradit? *Quidam ferebant*; licet & mihi loqui. Quidam ferunt Bzouium ambitiosum esse, cogitare purpuram. Quid censes, Bzoui, idémne est, ac dicere, Bzouius ambitiosus est, Bzouius purpuram cogitat? Certè si quid Ludouico ægri in hoc altero congressu accidisset, id etiam in primo quem ante biennium eodem Walsinghamo aliísque à te & me ibidem vocatis testibus cum Anglo habuit, accidisset, quia non est verisimile aliter salutatum ab Anglo Imperatorem cum eum primò conuenit, quàm cum secundò. Sed nihil de primo congressu aut indignationis, aut non impensi cultus auctores commemorant, sicuti neque affirmatè de altero congressu.

62. Deinde vt Ioan. Igneus ait, tota Canonistarum & legistarum schola in Italia censuit, Imperatorem esse dominum totius mundi; ita Bartolus, Baldus, Cynus, Albericus, Paulus, Angelus, Aretinus, Salicetus, Ostiensis, Ioannes Andreas, Antonius, Abbas; imo Bartolus, *Fortè*, inquit, *Si quis diceret, Imperatorem non esse monarcham totius mundi, esset hæreticus, quia diceret contra id quod Luc. 2. legimus, Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt descri-*

Apud Azir. l. 10. c. 1. q. 4. §. 2

describeretur vniuersus orbis. *Et contra illud Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Nihil ergo mirum si Ludouicus nonnihil offensus fuit, quod ei subditus, vt fortasse nec sine ratione putabat, suus, consuetam & debitam reuerentiam non exhiberet.

63. Quanquam etsi regem eum sibi subiectum non existimauit, nihilominus tamen sibi vt Imperatori, nec tantum Germaniæ, sed etiam Bohemię, & quarundam Galliæ Italiæque partium domino ab Angliæ rege longè inferiore honorem eum fortasse deberi iudicauit. Quia tamen iuris sui non certissimus erat, facile sibi ab Anglo satisfieri est passus. Certè etiam Benedictus Papa non modò à rege, sed etiam ab Imperatore ad pedes eius se non demittente plus quam aliquantum offensus fuisset ob consuetam debitámque reuerentiam non exhibitam. Ergo & hunc superbiæ accuses licet, sed tu instar furentis militis non qua plagam à te hostis auertas, sed tantùm qua inferas, aduertis.

64. Pronunciatum II. *Regem Anglum excusasse factum, quod nihil deberet imperio, & esset inunctus, & in potestate sua haberet membra et vitã suam: ideoq; nõ teneretur tantum se submittere, quantũ alÿ reges ab imperio dependentes.* Quantum hoc pronunciatum Bzouius auxerit, declarabunt verba Walsinghami, *Cui responsum fuit,* inquit ille, *quod rex Angliæ rex erat inunctus, et habet vitã & mem-*

bra in potestate sua, & idcirco non debet se submittere tantum, sicut rex alius non inunctus. Itaque quod rex Angliæ non debet tantum se submittere, quantum alij reges ab imperio dependentes, Bzouiana responsio est, non Anglicana; sed nos quærimus Bzoui quid gestum sit, non quid geri debuerit ex sua mente.

65. Pronunciatum III. *Postquam aliquo modo* rex Angliæ Ludouico *satisfecisset, fœdus cum eo sanxit.* Indubitatum est apud Bzouium Ludouicum offensum fuisse: est itidem indubitatum, Anglum ægritudinem, quam ceperat Ludouicus, mitigasse, cum tamen hæc Walsinghamus non referat. Verba eius hæc sunt, *Post mutuam collocutionem & pristinæ confœderationis renouationem, dictus Bauarus, qui se dicit Imperatorem, constituit regem Angliæ Vicarium suum, & rediit ad loca sua.* Adde quod ter iam coctam de Ludouici & Eduardi sancita confœderatione cramben Bzouius inculcat, idque tempore non suo, quippe quæ facta
N. VII. §. vlt. fuerit ante biennium vt ipsemet anno 1336. docuit, & apparet ex Æmilio, qui ad verbum ferè hîc ab eo descriptus illam confœderationem ad initium & præparationem belli Anglogallici com-
P. 449. f. memorat. Walsinghamus quidem hoc anno scribit, confœderationem à Ludouico & Eduardo congressis non iam primum sancitam sed renoua-

tam

tam tamen: at Villanus Walsinghamo annis 100. *l. 11. c. 71.* antiquior & rei gestæ synchronus eam renouationem factam scribit citra congressum ipsorũ, quod Eduardus impeditus fuisset, quo minus ad diem condictum veniret Coloniam quo Ludouicus venerat.

66. Pronunciatum IV. *Facile erat Ludouico Edouardum in partem seducere.* An Cæsar Anglum in partem seduxerit, an Anglus Cęsarem, supra iam demonstratum est, sed & vnà Bzouium temerè loqui. Accedat hic Æmilius, qui, *Bauarus Cæsar*, inquit, *Annonis gener, alienior à Franco erat, quod consilia Pontificum Maximorum regi nutu Francorum sibi persuaserat: nec ad eam diem agendo moliendóue supplex armatúsue impetrare potuerat, vt sibi à Pontifice maximo benediceretur. Secundißimis igitur auribus audiuit oratores Anglos de fœdere sanciendo, societatéque in Francos armorum ineunda. Ipse etiam Eduardus in continentem transmisit: cum Cæsare locutus, impetrauit vt ab eo Vicarius Imperij in Germania Galliáque institueretur: vt ea potestate augusta auctus, beneficiarios Imperij* Romani *proceres pro imperio cogeret, ac nomina danda in Philippum Valesij Comitem (non enim Regem Franciæ vocitabat) iam à Bauaro hostem iudicatum, quod oppida imperij Romani obtinere cum diceret, in queis Cameracum, circumiectósque fines.* *P. 449. f.*

67. Ad

N.X.& XI 67. Ad hunc etiam annum refers Benedicti ad Eduardum & huius ad illum epistolas ex Thoma Walsinghamo allatas, qui eas ponit anno 1336. Eum ergo cur non aut sequeris aut errare demonstras?

Col. 804. XII. 68. Bzouius. *Ex eadem causa Benedictus necquicquam Ludouico absolutionem, Regnum & Imperiū postulanti concessit, quod vereretur, ne his titulis auctus, Philippo Gallo quem iam hostem pronunciauerat, negotium vna cum Edouardo & sociis facesseret, illúmque legitimo titulo regem, regno & vita exueret.*

an. 1338. III. 69. Explosimus pridem hanc tuam nugationem: adeo Benedictus non succensuit Ludouico fœderi Anglicano sese iungenti, vt etiam voluptatem inde ceperit; imò postmodum vultum contraxit, cum intellexit Ludouicum fraude illectum §. vlt. ad Gallum respectare cœpisse. Auctores hîc à te citati, nihil horum dicunt.

Col. 805. XIII. 70. Bzouius. *Ita tum Gallia, Sicilia, Aragonia, Boëmia, Scotia, Hungaria & Polonia Regibus cum maiore parte Europæorum Principum aduersus Ludouicum Bauarum stantibus, Benedicto doluit, quod eundem Regni & Imperij Romanorum titulo non posset, quemadmodum optabat, exornare: præsertim quia per eundem Bauarum staret, quod in Gallia, & Belgio & Germania contra Iohannem 22. & Philip-*

lippum Regem omnia mouerentur. Surita libr. 3.
71. Bene tibi Bzoui, quod Suritam nancisci non possim, alioqui sub lectica te deprehenderem: Quanquam ne sic quidem tibi credo hos omnes reges Ludouici conatibus sese opposuisse: nam quid quæso hactenus contentionis Aragonum Regi cũ Ludouico fuit? quis scribit hostile quid inter hos intercessisse? Nec erat, quod Benedictus Pontifex Hungariæ Poloniæque reges metueret, si Cæsarem Ecclesiæ restitueret, nam vterque iam Cæsareis armis domitus, lacessere porro non audebat. Quis autem ex Italiæ Proceribus aures Pontificias occlusit, ne audiret Cæsarem sui restitutionem in integrũ postulantẽ? Gallus, Siculúsq; soli obstitêre, soli illi spẽ pacis intercidêre. Quod si illi maior pars Principum sunt, non multos in Europa Principes Bzouius denarrabit. Sed quæ causa fuit, cur tot Principes aduersus vnum Cæsarem essent? potissima fuit, quia *per Ludouicum stabat*, inquit Bzouius, *quod in Gallia & Belgio, & Germania contra Joannem 22. & Philippum regem omnia mouerentur.* Ineptissime scriptorum, ipse nescis quid deblateres: an tu nobis persuadebis Gallo tot principes fauisse, & Cæsarem hoc nomine odisse, quod Gallo hostis esset? Regem Galliæ orbis Christianus potius execratus est, quod deposita cura belli sacri, cuius sub velo pecuniam Ecclesiasticam corraserat,

NN vim

vim & arma in Christianos verteret. Audi te ipsum.
N. VII. §. 5 *Eam ob causam,* inquis, *anno 1336. apud Christianas gentes male audiit* rex Galliæ, *Benedicto Pontifice succensente, quod deserto sacra militia Anglicum bellum suscepisset.* Viden Pontificem ex hoc capite Gallo potius iratum quàm Ludouico? quomodo ergo Pontifex Ludouicum repulit, quod Gallo hostis fuerit.

72. Quod contra Ioannis 22. bullas (ita enim intelligo, nam contra ipsum Iohannem quadriennio antè vita defunctum moueri nihil poterat) idē Ludouicus omnia turbarit, inde euenit, quòd illæ bullæ contra Ludouicum turbarint. Sopiri turbæ potuissent omnes, si Pontifex Ludouicum liberum pronunciasset; penes Ludouicum modus nullus superfuit gratiam impetrandi aut pacem; quid ergo culpæ sustinuit? Imperium ponere poterat, dices, Bzoui, & pacem inuenisset. Omnino id facere poterat, sed tanto sese vinclo adstrictum nec inueniebat nec fatebatur Cæsar. Nimis grandia imperia, quia fieri non possunt, imponi non debent.

73. Illud placet quod fateris Benedictum optasse Ludouicum Regni & Imperij Romanorum titulo exornare, & quod hinc efficitur, Ludouicum Benedicti iudicio absolutione & Imperio dignum fuisse. Nam quod de Iohanne 22. obiicis, id quantum

tum Benedictus curarit, Argentinensis docet cum scribit, *Cúmque dicerent Ludouicum multa contra Ecclesiam fecisse, Papa dixit: Imò nos fecimus contra eum: ipse enim cum baculo venisset ad pedes prædecessoris nostri, si voluisset, sed ipse noluit eum recipere: & quicquid ille fecit, quasi prouocatus fecit.* Et Ludouicus cum Gallo iam amicitiam contraxerat, sua contra Iohannem 22. acta rescindere paratus. Ergo causa apud te præcipua, ob quam Ludouicum à Benedicto exornatum negas, nulla fuit. Sophista es Bzoui, & locum illum Sophistarum *Non causæ vt causæ* apprimè calles. Gallus porro ipse sibi auctor fuerat, cur ab Anglo & fœderatis cum eo Belgis Germanísque bello peteretur, vt ad annum 1336. ostendimus. P. 126. §. 3. ante m. N. V. & VI.

74. Bzouius. *In Sicilia Claramontij & Palicij eis adiuncti, aduersus* Petrum Regem *Trinacriæ, vna cum Roberto* Rege *Siciliæ belli faciendi causa coniurarunt. Aduersus quos cum se Petrus defenderet, & nonnulla in Campaniæ littoribus de Roberto cepisset, neque restituere iubente Pontifice voluisset, ac Ludouico Bauaro contra sedem Apostolicam adhæreret, sacris in vniuersa insula mulctatus est. Surita. lib. 3. Villani lib. 11. c. 78.* Col. 105. XIV.

75. Valde suspicor Suritam non plus de Petri Trinacriæ Regis fœdere cum Bauaro habere, quàm Villanum, qui nil ea de re habet loco à te notato.

Col. 813. XVI. 76. Bzouius. *Regem Edouardum Anglum, quod titulum Vicarij Imperij, à Ludouico Bauaro in Germania susceperit, redarguit* Benedictus Pontifex *& ad renunciandum hortatus est, epist.* Benedicti 380.

77. Breuis sermo, vtinam & verus sermo. Non video epistolam, ideo neque credo. Polydorus & Walsinghamus, huius Pontificis ad Regem Edouardum epistolas in sua monumenta retulere, hāc non retulere, ideo vt opinor, quod eam ipsorum rex non acceperit. Walsinghamus hoc anno scribit Cardinales legatos Franco potius studuisse, quàm Anglo; quare prætermitteret, si & Pontifex aduersarium Anglo sese præbuisset? an minus obseruandum est, quod Legatus, quàm quod dominus agit? *Hoc anno,* inquit Walsinghamus *cùm compertum fuisset, Cardinales (qui pro pace venerant reformanda inter Reges Angliæ & Franciæ) plus fauere Regi Franciæ quam Regi Angliæ, vt patebat in sermone vnius Cardinalis ad Clerum habito; surrexit Archiepiscopus Cantuariensis, & prædicauit publicè assertiones Cardinalis fore vanas. Et post modicum temporis manifestè dicebatur per totam Angliam, quod Rex Angliæ habuit ius in regnum Franciæ, quod prosequi intendebat.* Addit post paulò, *Hoc anno Cardinales prædicti de Anglia sunt egressi.* De Benedicto altum silet. Imò supra ex Ar-

§. 1. v. 2. p. 146.

§ 3. m.

p. 128. v. 2

gen-

gentinensi retulimus Pontificem iucundatum, cùm audiuit Cæsarem in partes Angli iuisse; quid ergo hîc reprehenderet, quod factum esse laudauit? In illo enim tum fœdere, quod Pontifici probabatur, inter cætera in pactum venit, vt Anglus Imperij Vicarius & diceretur & haberetur. Fidem suam Bzouius non liberabit, donec epistolam Benedicti monstrabit; & si monstrabit, responsum à me año sequenti ad aliam similem Benedicti epistolam datum, ad hanc quoque accommodet. N. V.

78. Bzouius. *Hoc anno, in Germania Dominicani eo quod Pontificias partes * deserere, neq; Ludouico Bauaro adhærere, neque eodem iubente contra Pontificia edicta sacris operari vellent, multa perpessi sunt. Nam vel eleemosynas, ne eis à fidelibus darentur, néue eis alia pietatis Christianæ officia exhiberentur, Ludouicus edixerat: vel eos vrbibus & monasteriis excedere præceperat, vel quibusdam, vt Cœnobia eorum diriperentur, inflammarentúrue permiserat. Lansutæ quidam Satraparum de Decle, faculis ardentibus, ad contubernium eorum prouolans, nisi templum in continenti aperirent, atque rem diuinam vti prius facerent, sese igne illud cum eis concrematurum, vociferatus, ad sacrificandum eos coëgit. Ipsi illi Francofordiæ, Sedis Apostolicæ partes deserere, & ad Ludouicum desciscere, nisi vrbe excedere maluissent, publicè rem diuinam facere coacti sunt.* Col. 114. XXII. * non

Factum idem alibi locorum, in illis vrbibus, quæ Ludouici crudelitatem metuebant. Franciscani soli, vel soli illi, qui Guilelmo Ochamo, & Michaeli Casenati auscultabant, necquicquam Pontificiam maiestatem aut potestatem metuebant. Namque ab authoribus sceleris docti, & sacris operabantur, & vesanæ paupertatis opinatores facti in Pontificem Ioannem indigna plura vomebant: quibus mendaciorum architectus Auentinus suos Annales deformauit: homo omnium vt petulantissimus in conuitiis, sic mendacissimus in narrationibus, adeóque inconstantissimus, in iisdem male scribendis, dum ex eodem ore calidum & frigidum efflat, ac in vno loco, neminem ad sacra facienda Ludouicum coëgisse, alibi aliquos & præsertim Dominicanos coactos esse asseuerat. Annal. Boiorum lib. 7.

Redeo ad meum morem, & Bzouiana verba in partes scindo.

79. Pronunciatum I. *Hoc anno multa Dominicani perpessi sunt.* Refert hoc loco Bzouius ea, quę ex Auentino excepit, sed si oculatius Auentinum tractasset, ad hunc annum, suorum Dominicanorum ærumnas non deploraret, quia ante tempus lachrymas fundere, geminata miseria est; anno enim demum sequente hic turbo Dominicanos afflauit, quod diserte tradunt Annales Bauarici quos ille hìc nominat.

Pag. 777. ante m. & 781. v. 6.

80. Pro-

80. Pronunciatum II. *Ludouicus eleemosynas, ne eis à fidelibus darentur, néue eis alia pietatis officia exhiberentur, edixit.* An hoc Bzouius felicius in Auentino reperire possit, quàm ego, nescio; fateor hac in re me oculis laborare, & in Bzouiano sole cœcutire. Solœcophanes.

81. Pronunciatum III. *Ludoui us Dominicanos vrbibus & monasteriis excedere præceperat.* In Auentini Annalibus non nisi tres eiusmodi vrbes triáque monasteria, Argentoratensium, Francofurtensium & Landishutanorum inuenio: Bzouius ex his tribus, vt apparet, sine numero vrbes & monasteria fabricat.

82. Pronunciatum IV. *Ludouicum quibusdam permisisse, vt cœnobia eorum diriperentur, inflammarentúrque.* Vno spongiæ tractu hæc deleo; Bzouius loquitur more eorum qui cretizant. Vbi hæc Auentinus? apud Bzouium, non apud se.

83. Pronunciatum V. *Lansuta quidam Satraparum de Decle, faculis ardentibus ad contubernium eorum prouolans, nisi templum in continenti aperirent, atque rem diuinam, vti prius, facerent, sese igne illud cum eis concrematurum, vociferatus, ad sacrificandum eos coëgit.* Vt Bzouius superius pronunciatum firmet, nempe Cæsaris permissu inflammata fuisse Dominicanorum Cœnobia, exemplum adfert, quod in caput eius erumpet. Videtur certè ho-

mo

mo pudorem omnem exuisse: nam huius datæ tragœdiæ indicem nominat Auentinum, à quo tamen ipse mirum in modum pectitur & plectitur. Audiat Lector ipsum Auentinum; is ita scri-

Pag. 781. post m. bit, *Dominicani, qui Landshutæ habitabant, cùm Imperator Hainrico bellum indixisset, demum templum suum clausere, rem diuinam in contumeliam Cæsaris gratificati Principi suo Hainrico, facere supersedere: & ne inconstantiæ argui possent, vt qui omni vento doctrinæ circumferrentur, hactenus, cùm etiam in gratiam* Principes *rediissent, defuncto etiam Hainrico, in proposito perseuerabant. At vbi Imperator Landshutam venit, pertæsi solitudinem, vltro amicitiam Cæsaris ambiunt, fallaciam, ne leuitate notarentur, concinnant, Satrapam de Deck clanculum orant, sibi conciliant, quid fieri ab eo velint, edocent. Is ex composito facculis postridie, prima luce, ardentibus, ad contubernium mendicantis religionis prouolat, nisi ædes actutum aperiatur, res diuina, vti prius, fiat, sese igne fanum cum monachis concrematurum simulat, vociferatur, clamitat, altercatur. Obedienter atque lubentißimè Dominicani huius fallaciæ fabri sua voluntate coacti obtemperãt. Aperto templo, nemine repulso, sacra palam, quod ante recusarant, faciunt.* Non dubito quin lector te execretur, Bzoui; ego minimum albis dentibus rideo. Audes tu pro facinore commemorare, & tuis mo-

nachis

nachis apud alios commiſeratione͂ excitare ex fabula quàm ipſi compoſuere? nimirũ peſſima flamma eſt quæ minatur, ne noceat. Vtinam Turca non aliter Chriſtianorum terras incendat. Quis te hîc vanum non pronunciet?

84. Pronunciatum VI. *Dominicani Francofordiæ ſedis Apoſtolicæ partes deſerere, & ad Ludouicum deſciſcere, niſi vrbe excedere maluiſſent, publicè rem diuinam facere coacti ſunt.* Auentini hæc ſunt, ſed partim mutilata, partim deprauata, partim perplexa. Sic Auentinus loquitur, *Dominicani Flaminicas * partes (nam Benedictus Pontifex Maximus amicus Cæſari erat) deſerere, ad Imperatorem deſciſcere, niſi vrbe excedere maluiſſent, publicè rem diuinam facere coacti ſunt.* Hæc Auentinus. Vbi primùm quæro cur omiſeris illud, *Nam Benedictus Pontifex Maximus amicus Cæſari erat?* nonne quia nec Benedictum Ludouico amicum fuiſſe, neque eam ob cauſam Dominicanos ad Imperatorem deſciuiſſe, quod vtrumque Auentinus affirmat, videri volebas? Quæro deinde cur Flaminicas apud Auentinum partes, Sedis Apoſtolicæ partes interpretere. nam ſedem Apoſtolicam Benedictus tum tenebat, atq; ita ex tua interpretatione, Sedis Apoſtolicæ partes fuere Benedicti partes. Atqui Auentinus perſpicuè docet, non à Benedicto ſed ad Benedictum Cæſaris amicum, ipſúmque adeò Cæſa-

Pag. 781. v. 8.

** Ioh. XXII defuncti.*

rem defecisse, & amicos Cæsaris factos, vti & Benedictus eiusdem amicus fuerit. Quî ergo ex Auentino Dominicanos partes Benedicti deserere coactos demonstras? Tuam Bzoui ignorantiam, qui Auentinum non intellexeris, demonstras. Flaminicæ partes Auentino sunt Iohannis 22. Ludouico inimici partes, non Benedicti 12. Quæro insuper quid sibi velint verba hæc à te ex Auentino allata, *Dominicani, nisi vrbe excedere maluissent, publicè rem diuinam facere coacti sunt.* Quæro, inquam, vtrum Dominicani Auentino auctore, rem in vrbe diuinam fecerint, an vrbe excedere maluerint, an vtrumq; simul. Si vrbe excedere maluerunt, rem in vrbe diuinā non fecerunt, nec facere coacti sunt. Si facere coacti sunt, non maluerunt vrbe excedere. Multo denique minus & facere & excedere potuisse videntur. Sed tu Auentini verba psittacorū more non intellecta recitasti. Hoc enim est, quod Auentinus indicat, Dominicanos rem diuinam in vrbe facere, aut vrbe excedere iussos; feceríntne an excesserint, Auentinus non indicat, Nauclerus indicat, eorum aliquos fecisse, aliquos vrbe excessis-
N. 56. se, vt ante diximus. Tu vero hîc lectori ex Auentino persuadere niteris, omnes vrbe excessisse, nullos mansisse: ex quo non solum fidem, sed etiam tau-
N. VIII. tologiam tuam perspicere est, vt qui supra scripse-
§. 2. antem Col. 799. ris, *Dominicani Francofordia, Spira & aliis locis eiecti*

eiecti: & paulo antè pronunciato tertio dicebas, eoſdem vrbibus & monaſteriis excedere iuſſos.

85. Pronunciatum VII. *Factum idem alibi locorum, in illis vrbibus quæ Ludouici crudelitatem metuebant.* Hoc Auentinus non ſcripſit, & tamen Bzouius profitetur, ſe id ex eo deſcribere maiore arte quam virtute.

86. Pronunciatum VIII. *Franciſcani ſoli, vel ſoli illi qui Guilelmo Ochamo & Michaeli Cæſenati auſcultabant, necquicquam Pontificiam maieſtatem aut poteſtatem metuebant.* Ex mera beneuolentia in Minorum Ordinem videtur Bzouius Auentino hoc augmentum adiicere: in quo tamen verba cum ſenſu pugnant. Etenim nec ſoli Franciſcani Pontificiam poteſtatē non metuebant, cum multi etiam alij non metuerint; nec ſoli illi qui Okamo & Cæſenati auſcultabant, cum etiam ipſe Okamus ac Cæſenas non metuerint.

87. Pronunciatum IX. *Ab auctoribus ſceleris* Okamo & Cæſenate *docti & ſacris operabantur, & veſanæ paupertatis opinatores facti, in Pontificem Ioannem indigna plura vomebant.* Hæc Bzouius, non Auentinus, nec verbum addo, quia Bzouius nimium addidit.

88. Pronunciatum X. *Auentinus homo omnium vt petulantiſſimus in conuitiis, ſic mendaciſſimus in narrationibus, adeóque inconſtantiſſimus in iis male*

scribendis, dum calidum & frigidum efflat, ac in vno loco neminem ad sacra facienda Ludouicum coëgisse, alibi aliquos & præsertim Dominicanos coactos esse asseuerat. Laudes mi Bzoui, quibus Auentinum prosequeris, tibi cum eo ferme communes sunt, nam quanta tu Ludouico petulantia conuitieris, quantam sæpe vim veritati facias, quantam in scribendo constantiam præstes, in aperto est. mendacissimum appellas; non repugno: sed miror te hic & alibi mendacissimi vestigia sequi: an tu putas me tam stultum, vt tibi credam narranti ex auctore, quem mendacissimum indigitas? Video quid velis. eius de Landshutanis Prædicatoribus narrationem illam falsi insimulas, ne perperam à te inuersa videatur. Sed Auentinus mentiendi de eis causam non habuit, quos tam libenter dixisset coactos quàm Frankfurtenses. Antilogiæ denique virum accusas, quia tu illam facis. Profer si potes locum vbi dicat *aliquos ac præsertim Dominicanos coactos.* nam hic tantum agit de Dominicanis coactis.

89. Sed contradictionem, quam ei exprobras, nec tamen pagina signata denotas, ne fraus tua patefiat, libet afferre. Sic ergo ille post recitatam Iohannis contra Ludouicum bullam anno 1323. editam & conuentum Imperialem, in quo eadem bulla pro irrita fuerit declarata, Ratisponæ actum scri-

Pag. 762. post m.

scribit, *Franciscani aliíque omnes sacerdotes & monachi, Episcopi, Cæsaris Principúmque decreto steterunt, soli Dominicani modò Cæsaris, modo Pontificis, quocunque vtilitas inuitabat, rebus studebant. Argentorati, quod diu publicè rem diuinam fecissent, demum pecunia coëmpti detrectarent, vrbe pulsi sunt. Reginoburgij, atque Landshutæ è diuerso primò sacrificiis publicis aliquandiu supersedere, huiuscemodi caremoniis abstinuere, mox pertæsi solitudinem, sponte templa aperuerunt, paßímque ne egestate perirent, sacra fecerunt. Nam Ludouicus clementißimus natura, atque princeps beneuolentißimus neminem ad sacra publica adegit. Hactenus Auentinus.*

90. Itaque hæc est, vt tu vis, contradictio, Auentinus ait Ludouicum neminem ante annum 1323. vel 1324. ad sacra publica adegisse; at loco ante allato ait, Dominicanos anno 1338. propterea, quod Benedictus Papa Ludouico amicus esset, publicè rem diuinam facere coactos, vtique decreto Ludouici & Principum Imperij (quod antea recitarat Auentinus, & in quo priuata Ludouici mãsuetudo publicis Procerum cessit meritò consiliis) executoribus fortasse Francfurtensibus sine vllo peculiari Ludouici mandato. Nam quod Dominicanos Landshutæ coactos à Ludouico ex Auentino retulisti, fabula tua est, & iam spectatus es in prætorio falsi reus. Hinc iam apparet plus quam

Archimedeum acumen nostri dialectici, qui contradicentes orationes nulla eiusdem temporis ac personæ habita ratione efficere nouit, imò qui nullam antilogiam ostendit, nisi suam, & quidem crebro.

ANNVS CHRISTI 1339.
Ludouici Imperatoris XXVI.

Col. 115. 11. 1. BZouius. *In citeriori quoque Gallia Vicarios vrbibus imposuit* Benedictus; *eò facilioribus conditionib. seu modis, quò magis Principes cupiebant per temporũ quietem firmare opes: tum quia meminissent, quam varia, quámque incerta potestate imperassent, alioqui auidi stabilire quæ possidebant; tum quia putarent amicitiam Pontificis in aduersa fortuna fore præstantissimam, quando ab eo, qui istiusmodi beneficium confert, postulatur, vt clientes tegat, non minus quam ipsi vicissim fidem erga patronum persanctè colant. Hæc cupido tantum apud eos potuit, vt supersederint quærere, an supremum prouinciæ ius penes Ecclesiam Romanam reuera, vel saltem specie esset: nec repugnauerunt, quin in obstrictos tali beneficio aliquid Pontifici liceret, quod pluris facerent possessionem*

nem acquisitam, vel dedentibus se vltro populis, vel bello aut aliter subactis, quàm Pontificis aut Imperatoris diplomata. Pigna hist. Atestin. lib. 4.

2. Multis indiciis prodere soles, Bzoui, qua virtute auctores verses; industriam tantam non desideramus. Pignam in theatrum inducis, quasi is tecum aut tu cum illo loquereris, sed neuter alteri amicus est. Principes Italiæ Ludouico in Germania tot turbis distracto stabiliendi principatus suos rati tempus esse, ab Pontifice beneficia accepere grauioribus conditionibus, spreturi vtique, si aliunde spes firmi dominatus fuisset. Bzouius ad verbum omnia sua descripsit ex Pigna nisi quæ peruertit: nam vti benignitatem Pontificiam depingeret, vbi Pigna scripsit Pontificem grauioribus *l. 4. p. 308.* conditionibus Vicarios imposuisse, nimis duriter loqui visus, inducta vocula *grauioribus* substituit Bzouius *facilioribus*; ac si *graue* & *facile* synonyma essent, itemque *leue* & *difficile*. Fortasse Bzoui apud te sunt, nam & tu ipse

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem,
Et tantum constans in leuitate tua.

3. Bzouius. *Cæterum Guillelmus Gonzaga* *Col. 815. III.* *Mantuæ & Rhegij, Albertus Carraria Patauij: Opizo Atestinus, Ferrariæ, Mutinæ & Argentæ possessionem obtinuit: ex dominio Ferrariensi Romanæ Ecclesiæ proprio, decem millibus aureis censu in singulos*

gulos annos constituto. Faciebat ista Benedictus necessitate coactus, quod Ludouicus Bauarus titulum Imperij exambiens, in Italiam iterum reuerti destinauerat, iamque Tridentum perueniens multa etiam in vrbibus Romanæ Ecclesiæ iuris tentauerat: adeo vt ausus fuerit illarum quoque dominium tyrannis attribuere, ac Vicarios Imperiales vbique statuere. Ioannes de Vico Præfectus Viterbij: Galeotus Malatesta cum fratribus Arimini: Pisauri & Fani Antonius Feretranus: Diolfus & Galeassius fratres Callij: Alegretus Clauellus Fabriani: Bulgaratius Mathalicæ: Ismedutius sancti Seuerini: Gentilis Varaneus Camerini: Michael Montis Milonis, Paugonus Cinguli, Nicolaus Boscaretus Esij, Rauennæ Guito Polentanus, Forliuij & Cæsenæ Franciscus, & Synibaldus Ordelaffi, Ioannes Manfredus Fauentiæ Dominia acceperunt. A Roberto Rege Siciliæ opem postularant hi qui à partibus Pontificiis stabant. Cæterum cum is solis dedisset verbis: à Bauaro impositis tyrannis, colla subdere coacti sunt. Erant plerique qui Ludouicum in Italiam euocarent. Verumtamen ille siue Pontificalia tela, siue confœderatorum Principum consensionem metuens, neque precibus partiariorum, neque ingenti promissa pecunia adduci potuit, vt Tridento moueret: institutione Vicariorum seu tyrannorum contentus. Blondus dec. 2. lib. 10.

4. Pronunciatum I. *Faciebat ista Benedictus*

Pon-

Pontifex necessitate coactus, quod Ludouicus Bauarus titulum Imperij exambiens in Italiam iterum reuerti destinauerat, iámque Tridentum peruenerat. Bzouius vult credi se Blondum describere, at ego tam albam mentem non habeo, vt in hanc sententiam adducar. Blondus duorum Pontificum in paucula oratione gesta perstringit. De Benedicto Pontifice memorat ista, *Singulos populos ac Principes misso legato, in suas & ecclesiæ partes trahere adnixus erat, quod Ludouicum Bauarum post innouatam in eum, vt diximus, excommunicationem redditurum esse in Italiam ferebatur. Incipiens tamen à Romanis Pontifex, eos tantisper deliniuit, vt quem regis nomine diu gesserant magistratum, ad ipsius & ecclesiæ acceperint beneplacitum. Confirmatúsque in quinquennium Stephanus Columna, collegas in senatu à populo Romano accepit annis singulis variatos. Iordanúsque de filiis Vrsi anno salutis vndequadragesimo ter decies centeno Stephani absentis, quē Pontifex Auenionem accersierat, & proprio nomine Senator fuit. Tertiò deinde anno cum Stephanus Auenione item ageret, Vrsus Anguillariæ Comes collega eius Franciscum Petrarcham poesis laurea in Capitolio insigniuit. Pace postmodum Lombardiæ à Venetis data, Pontifex prudenti, vt tum apparuit consilio, sed pessimo in posterum euentu tyrannos è Lombardis primores in principes legitimos confirmauit. Luchino* Dec. 2. l. 10 pag. 362.

enim Vicecomiti & Ioanni eius germano fratri, quem Mediolanensem Archiepiscopum instituit, Vicariatum Mediolani auctoritate apostolica ita attribuit, vt quicquid vrbium oppidorúmque tunc possidebant, eiusdem vicariatus titulo legitimè retinerent: paríque forma Mastinus Scaliger Veronæ & Vincentiæ: Guilelmus Gonzaga Mantuæ & Rhegij, Albertinus Carraria Paduæ: Opizo Estẽsis Ferrariæ, Mutinæ & Argentæ Vicariatum auctoritate Apostolicæ habuerunt, & quia portio Estensi data iurium esset Romanæ Ecclesiæ, censum illi decẽ millia aureos imposuit annis singulis persoluendum. Hæc ex Blondo ad Benedictum attinent; quæ sequuntur, neque huius temporis sunt, neque huius Pontificis, sed successoris. Audi Bzoui porrò, *Benedicto suffectum defuncto Clementem sextum Luchini quidem & Ioannis Archiepiscopi confirmationem vicariatus fecisse inuenio: nec satis scio, an deterritus sit à confirmatione aliis facienda, quod veritus fuerit Bauarum exasperare, qui de suo in Italiam reditu multa comminatus est, atque etiam Tridentum vsque peruenit.* Vides Bzoui, te Ludouici aduentum Tridentum hoc anno sub Benedicto consignare, Blondum verò eundem sub Clemente demum memorare, & tamẽ tu Blondum describis? Vides deinde sub Benedicto Ludouicum non destinasse in Italiam redire, sed Blondum referre famam duntaxat. *Ferebatur,*

ait,

ait, rediturum esse in Italiam; tu verò Cæsareis consiliis interfuisti, & vocem Imperatoris audisti, *Stat sententia, ibimus in Jtaliam.* Vides tertiò Blondum nihil de ambitione tituli Imperialis dicere, sed te dicere: absolutionem Ludouicus hoc tempore ambiebat laudata cupidine. Falsum ergo est primum Bzouij pronunciatum, fecisse ista Benedictum necessitate coactum, quod Ludouicus in Italiam reuerti destinasset, iámque Tridentum peruenisset.

5. Pronunciatum II. *Ausus fuit Ludouicus etiam vrbibus Romanæ Ecclesiæ Vicarios Imperiales imponere,* &c. Neque hoc anno sed abhinc minimum quarto, neque sub hoc Pontifice, sed sub eius successore Clemente hæc ab Ludouico facta Blondus refert, quid tu hoc loco denarras Bzoui? maximè cum ea anno 1342. repetas quasi tum demum gesta. Taceo quod ea sint admodum dubia, cum Villanus tum in Italia, Rebdorfius & Argentinas in Germania degentes, res tam memorabiles omiserint. Sed si vera fuerunt, cur ea Clemens inter causas excommunicationis Ludouici apud te anno[a] 1343. &[b] 1346. non retulit? Tamen fuerint sanè vera, nonne Ludouici fortitudinem, potentiam, ac felicitatem portendunt? Imperator porro ausus fuit vrbibus Romanæ Ecclesiæ Vicarios imponere, quia Pontifex prior ausus fuit Imperij

N. VI.
a I.
b II.

vrbibus Vicarios imponere: vter audax & iniustus, Bzoui?

6. Pronunciatum III. *Galeotum Malatestam cum fratribus Arimini dominium accepisse.* Adiicere quoque debebas dominatum Pisauri & Fani. Hæc enim sunt Blondi, *Eodémque titulo* vicarij Imperialis, *Galeotus Malatesta & fratres Arimini in Romandiola, Pisauri Faníque in Marchia Anconitana, Antonius Feretranus Vrbini dominia acceperũt.*

7. Pronunciatum IV. *Pisauri & Fani dominium accepisse Antonium Feretranum.* O Superi, quàm egregius Blondi descriptor Bzouius est! Pisaurũ & Fanum Blondus Malatestis adscribit, solum Vrbinum Antonio Feretrano, vt ex eius verbis ad præcedens pronunciatum recitatis liquet.

8. Pronunciatum V. *A Roberto Rege Siciliæ opem postularant hi qui à partibus Pontificiis stabant.* Mi Bzoui, velut imperitus agricola agrum vomere vertit, ita tu historias ignobili sulco peraras. Blondus auctor est, solos Florentinos ab Roberto Siculo opem postulasse, & quidem cum acie profligati prope de Republica desperarent. *Continuarunt*, inquit Blondus, Lucæ *obsidionem Pisani, in quos Florentini decimo capta vrbis die summis conatibus eduxerunt: nec detrectauit prælium Pisanus, sed structa obuius acie in certamen ruit, cuius finis fuit omnium, quæ ad illam acciderant diem, Florentino populo*

Dec. 2. L. 10 pag. 363.

populo infaustißimus. Eorum enim exercitus facta est fœdißima profligatio, ad cuius nuncium Florentiam allatum mœsta ciuitas in abiecta quaque & sordida deuenit consilia. Petitus enim opem Robertus Rex cum solis dedisset verbis, ad Ludouicum Bauarum Pontifici *Romano & ipsi* Roberto *Regi apertum hostem spes omnis conuersa est.*

9. Pronunciatum VI. *Rex Siculus cum solis dedisset* opem *verbis, à Bauaro impositis tyrannis colla subdere coacti sunt.* Non audeo, Bzoui, tibi quicquam amplius exprobrare, quia peccatis insuesti. An quia Siculus rex Florentinis (qui soli opem poscebant) verbis tantum opitulatus est, ideo tyrannis Ludouici colla subdere coacti sunt? quæso quis Florentinis Vicarius à Ludouico impositus? fabulas agis & narras. Florentini ipsi summis malis adacti consulere sibi rursus cæpere, & Robertus Rex, vt respirare eos aduertit, vel, vt Blondus loquitur, postquam Florentinos vidit, omissa Bauari hostis sui spe, propriis ad Lucæ conseruationem viribus inniti, nonnihil illis præsidij attulit. Vbi iugum tuum Cæsareum, Bzoui, apud Florentinos? *Cùm is solis*, ais, *dedisset verbis, tyrannis à Bauaro impositis colla subdere coacti sunt.* Blondus verò dicit, *cùm Robertus rex* opē *solis dedisset verbis, ad Bauarū spes omnis conuersa est.* Sed neq; præsidiū neq; vllū ab eo præfectum accepere, & tamen ei colla subdidere.

 10. Pro-

10. Pronunciatum VII. *Erant plerique qui Ludouicum in Italiam euocarent.* Blondus solos Florentinos Cæsarem euocasse narrat.

11. Pronunciatum VIII. *Ludouicus siue Pontificia tela siue confœderatorum Principum consensionem metuens, neque precibus partiariorum, neque ingenti promissa pecunia adduci potuit, vt Tridento moueret.* Omnis Bzouianus fœtus dum nascitur incrementa sumit. Blondus hoc solum, *Qui nec precibus* Florentini populi, *nec ingenti promissa pecunia, vt Tridento moueret, adduci potuit.* Causas cur Cæsari bellum in Italia secundum auspicari non libuerit, adscribit Blondus pusillo animo, non sine iniuria; fuit enim Ludouicus princeps excelsi & inuicti animi; & si alij testes deessent, loquerentur pro ipso bella & victoriæ illustres. Bzouius duas coniecturas adfert, vel quia metuebat Pontificia tela, ineptè: iam enim his saucius erat, neque dum ista fierent, spes superabat, cum Pontifice pacis: vel quia consensionem Principum confœderatorum metuebat. Quæso Bzoui quorum? tu iam catalogo tyrannorum (ita enim appellas) dinumerasti vrbibus ab Cęsare impositos, an hos Cæsar extimuit? Florentini ad hunc diem Guelfi & Pontificij fuerant, an hos timuit? ipsi vocabant. an Luchinum Vicecomitem Mediolani dominum extimuit? at hunc, vt Blondus loquitur, habuit

Dec. 2 L. 10 pag. 362.

sua-

suasorem. Postremo si fœderatorum Principum consensionem Ludouicus metuit, cadit quod pronunciato præcedente dixisti fuisse plerosque, qui Ludouicum in Italiam euocarent: aut si hoc stat, illud cadat necesse est. Sed Ludouicus precibus partiariorum adduci non potuit, ait Bzouius. Oro te Bzoui, qui fuere hi partiarij, qui auctore Blondo Cæsarem rogarunt, vt in Italiam cum exercitu rediret? qui sunt illi mi vir? Florentini soli precibus apud Imperatorem egere, soli, inquam Florentini; neque hi tamen vnquam partiarij Cæsarei fuere, sed Guelfi, & Cæsari ad hoc tempus hostes.

12. Bzouius. *Inter hæc Benedictus Pontifex non destitit Ludouicum monere & deprecari, ne iura Ecclesiæ Romanæ violare amplius pergeret: ne nouas iniurias Ecclesiis & Ecclesiasticis subditis irrogaret: ne regem Galliarum nouis & recentibus molestiis afficeret: ne Nuncium Sedis Apostolicæ de cætero detineret, sed de toto negotio sufficienter instructum Auinionem remitteret: útque optata pax & conciliatio sequi posset, Nuncios ad sedem Apostolicam, cum plenaria potestate destinaret. Regest. Bened. hoc anno.* Col. 116. III. §. 2.

Hæc omnia in Regestro Benedicti reperiri Bzouius aliis persuadeat; ego ictus sapio, toties inquam deceptus; alij de istis silent.

13. Bzouius. *Ludouicus porro preces Benedicti non multum æstimare visus Edouardo Anglo author* Col. 116. IV.

fuit,

fuit, vt is Regem Galliæ præsertim in Belgicæ finibus lacesseret: quod Regnum Galliæ ad se pertinere iudicaret, neque Cardinalibus legatis anno superiore hac de re sententiam dicentibus auscultare vellet. Cúmque id quod erat suspicaretur, ne illi Auinionem reuertentes illum peruicaciæ, alij verò violatarum Ecclesiarum, & societatis cum Ludouico accusarent, ideo has excusatorias Pontifici & Patribus purpuratis scripsit.

14. Pronunciatum I. *Ludouicus preces Benedicti non multum æstimare visus.* Principio non arbitror Pontificem magnas preces apud Cæsarem interposuisse: esto tamen, rogarit quid Pontifex; minimè mirum fuit eum ab Cæsare non audiri, qui nec ipse apud illum exaudiri potuit.

15. Pronunciatum II. *Ludouicus Anglo author fuit, vt regem Galliæ præsertim in Belgicæ finibus lacesseret.* Quo alio auctore hæc scribit Bzouius, nisi Bzouio? potuit fieri vt hæc suaderet Ludouicus, sed Bzouius demonstret factum esse. Deinde supra diximus ab Anglo in hanc Gallici belli societatem inuitatum Bauarum: ita vt Anglus ipse sibi belli auctor fuerit.

Col. 8 10. V non signato 16. Bzouius. *Rescripsit Edouardo Benedictus Pontifex, & quid Ludouicus Bauarus erga sedem Apostolicam vnquam egerit, quibúsue modis iustam iram Ioannis 22. prouocauerit, ob oculos posuit.* E

pon-

pontificio tabulario non arbitror hanc epistolam Benedicti prodijsse, tametsi eam sua manu firmarit Pontifex. nam scribuntur hic plurima contra Ludouicum, quæ ipsius Pontificis testimonio supra eleuabantur, & contemnebantur. Non, inquã, scripsisse hanc epistolam videtur Benedictus, etiamsi nomen subscripsit suum, quippe in Gallia vbi is, vt tu vaticinatus es, *apud Regem prophanum quasi in potestatem secularium redactus omnia & dicere & facere & iubere cogeretur non ex maiestate Pontificia, neque ex potestate plenaria, sed neque ex iustitiæ præscripto, sed vt Rex & proceres vellent, adeóque mandarent.* Benedictus vt supra docuimus, metu regum Galliæ ac Siciliæ, primum ausus non est Ludouicum absoluere. Deinde bello ab Anglis Galliæ illato (*quo nullum Franciam*, inquit Bzouius, *ex quo Romanorum arma sensit, atrocius exercuit*) Galliæ rex qui Benedicto antè extrema minatus fuerat, iam vtique plusquam extrema minabatur, nisi regem Angliæ à societate Ludouici & bello Gallis illato regníque Gallici iure sibi vendicando absterreret: quique antea Cardinalibus, iam fortasse etiam ipsi Pontifici reditus interdixerat & occuparat. Quid faceret in his angustiis Pontifex nisi quod Bzouius spiritu fatidico eum facturum prædixerat?

C.I. § 2. an. 1...

an. 1336. VI. ante m.

17. Bzouius, *In Germania cum anni superio-* Col. 128. XV.

QQ ris

ris Francoforti edicto vt nullus sedis Apostolicæ literas aut reciperet, aut exequeretur, sine diœcesanorum loci licentia; multi perterriti à publicandis tum Ioannis 22. tum Benedicti Pontificis edictis auerterentur, Benedictus auctoritate Apostolica ad euulgãda illa omnes Ecclesiasticos animauit. Animal Rebdorfii, Bzouius videlicet, nam annales Rebdorfij pleraque non habent.

18. Quos non grandes codices etiam deinceps orbi dabit Bzouius, si eodẽ fœcundo calamo scribere pergat! ex tribus quatuórue Rebdorfij verbis tergeminus partus enascitur. Rebdorfius hæc solùm habet, *Eodem anno edictum est, vt nullus literas sedis Apostolicæ recipiat vel exequatur sine licentia Diœcesanorum loci.* Hęc Rebdorfius, quæ quantum auxerit *animal Rebdorfii* Bzouius, lector oculis intuetur. Ita quod Benedictus omnes Ecclesiasticos contra edictum Imperatorium animarit, ex Bzouiana officina prodit, & nequaquam ex cella Rebdorfij.

P. 17. 428. §. penult.

19. Bzouius. *Factum vt Ludouicus Bauarus ab ea publicatione, spiritus ferociores deposuerit, & nonnulla ex æquitate fecerit. Namque filios Rudolphi fratris sui Comitis Palatini Rheni (quem bonis exutum in Angliam fugauerat) Rudolphum, Adolphum & Ropertum ad se euocauit, & paternam hæreditatem illis restituit, intérque eos diuisit dicens: Pater*

Col. 828. XV. §. 2. & XVI.

ter

ter in me peccauit, non filij, æquum igitur non est, alieni eos sceleris pœnam subire. Ex his Rupertus gymnasium vniuersale Heidelbergense primus fundauit, quod Benedictus Papa confirmauit. Chron. Hirsaugien. hoc anno.

Idem quoque Ludouicus familiaritatem cum Philippo Rege Galliarum contraxit: siue quod ab Anglorum Rege Edouardo pecuniæ illi promissæ non numerarentur, siue quod speraret, ea ratione se posse facilius Pontifici Benedicto & Ecclesiæ Romanæ conciliari, & tum absolutionem à censuris, tum titulos Regis & Imperatoris obtinere. Rebdorfius supra.

20. Ita mi Bzoui, quia finxisti Benedictum Ecclesiasticos in Germania contra edictum Cæsaris animasse, fingis pari modo, Ludouici spiritus ob hanc adhortationem Pontificiam aliquantum fractos, vt nonnulla ex æquitate fecerit: ac si Cæsar passim improbè fecisset. Nil Trithemius de publicatione literarum Benedicti, nil de deposita spirituum Ludouici ferocia.

21. Cæsar cur partes Angli desereret vtramque causam habuit, & tu aut hanc aut illam venditas, quasi vna tantùm fuisset: Anglus pecuniam non numerarat, & Gallus spem faciebat cum Pontifice pacis, dolosè tamen vt supra retulimus.

ANNVS CHRISTI
1340.
Ludouici Imperatoris XXVII.

Col. 167. III. 1. BZouius. *In reliqua Italia, hoc anno omnia quietiora, Vrbibus passim Ludouicum Bauarum execrantibus. Monuerat eundem Benedictus Pontifex, vt tandem ad fastum deponendum, & ad pacem cum Rege Galliarum ineundam animum inclinaret. Cum varia tergiuersaretur, & tum Principum dissensum, tum alia opponeret, ac Benedictus se velle eius Nuncios, vsque ad festiuitatem Pentecostes præstolari responderet, ille necquicquam titulos regni & Imperij Romanorum aut arma ponere voluit: quin potius nouis facinoribus iram Pontificiam in se prouocauit.*

2. Pronunciatum I. *Hoc anno vrbes Italiæ passim execratæ sunt Ludouicum.* Nisi Bzouius edixerit quis ista referat, execrabimur & illum: nã quos hîc nominauit, honorum nihil habeat.

3. Pronunciatum II. *Monuerat Benedictus Pontifex Ludouicum, vt tandem ad fastum deponendum, & ad pacem cum Rege Galliarum ineundam animum inclinaret.* Neque hoc verum, aut ab auctoribus tuis proditum est, *Bzoui*; & si alius desit, qui

qui te temere loquentem contundat, tuâ ipsius clauâ fereris; iam enim superiore anno Ludouicus familiaritatem cum Rege Galliarum contraxerat, vt tute ex Rebdorfio docueras, idémque ex Æmilio confirmaras his ipsis verbis, *Bauarus, cum Anglus quod conuenerat aurum non penderet, cũ Francus amicitiam postularet, fœdus cum hoc percussit, Anglóque Vicarij nomen & ius abrogauit.* Itáne verò *Bzoui* tam curta tibi memoria, vt non nisi ineptè fingere noris? an Pontifex hoc anno Ludouicum monet, vt posito fastu animum ad pacem cum Gallo ineundam inclinet, quam priore iam anno te teste inierat? *N. XVI §. 1* *Ibid. §. 2.*

4. Pronunciatum III. *Varia Ludouicus tergiuersabatur, & tum Principum dissensum, tum alia opposuit.* Bzouius vnus & quidem etiam contra se hæc scribit, nos non credimus.

5. Pronunciatum IV. *Ludouicus necquicquã titulos Regni & Imperij Romanorum aut arma ponere voluit.* Nempe Cæsar noster tot añorum bellis & fortibus ausis sibi Imperium stabiliuerat, vt hoc tempore poneret. Absolutione omnia pacari poterant, & Gallo Imperium turbas debebat, non Cæsari suo.

6. Pronunciatum V. *Nouis facinoribus iram Pontificiam in se prouocauit.* Tu *Bzoui* noua faci-

nora committis. Quæ illa Ludouici facinora? Video te ad exemplum properare.

Col. 867. III. post pr. 7. Bzouius. *Inter Joannem filium Regis Boëmiæ, & Margaritam filiam Henrici Carinthiæ Principis, in pueritia adhuc matrimonium fuerat contractum. Quattuor annos inter se pueri, & alios septem iam pubescentes consueuerant, neque tamen prolem aliquam suscipere potuerant. Eam occasionem Ludouicus interuertendæ Carinthiæ nactus, maritam mulierem induxit, vt viri impotentiam accusaret, & diuortium postularet, futura mox eius Ludouici filij vxor. Nihil impudentius muliere petulante, accusauit quoquo modo potuit Ioannem insontem, illúmque Ludouico Bauaro ita iubente, & in matrimonio contracto, auctoritate vsurpata dispensante deseruit, ínque Ludouici eius filij nuptias vna cum Ducatu Carinthiæ transiuit. Non erat Benedicto Pontifici istud facinus ferendum. Itaque ne Ludouicus alienas vxores à viris diuerteret, néue Boëmo Carinthiam dotis nomine attributam eriperet, pro officio illum admonuit; & tã in illũ quàm in fœminã contumacem anathema tulit. quod Ioannis matrimoniũ nullo iure ille diremisset, & ex calumnia ad diuortiũ decernendũ processisset; cũ Ioannes procreato ex concubina filiolo, imposturã vxoris de impotẽtia apertissimè cõfutasset.*

8. Ludouicum Cæsaris filium diffidentibus inter se annis cum Margarita Maultaschia nuptias con-

contraxisse prodit Bzouius; nam supra ad annum 1324. in thorum hos coniuges velut pronubus induxit; hoc verò 1340. rursus eosdem desponsat, pudendo in tanto historico lapsu; nisi fortasse ibi nuptias descripserit, hîc autem solum choreas. Nos quoque de iisdem coniugibus multa eodem illo 1324. anno diximus, nunc reliqua prosequamur.

N.XXIIX.

Pag. 279: 84. & seqq

9. Pronunciatum I. *Eam occasionẽ Ludouicus interuertendæ Carinthiæ nactus, maritam mulierẽ induxit, vt viri impotentiã accusaret.* Iam supra diximus Bzouiũ malitiosè scribere: nam Cæsar Principem hanc fœminam non induxit, sed ab illa inductus est, vt diuortio facto filiũ postulanti iungeret.

Pag. 281. n. 87. 88. & p. 287. n. 97. & seqq

10. Pronunciatum II. *Ludouicus auctoritate vsurpata dispensauit.* Plerumque Bzoui, vsurpamus ea, quæ obtinere nec prece nec iure possumus, interest tamen nostra vt obtineamus. Id quod eo procliuius fit, quo maiores intercesserunt offensæ. Pontifices, vt supra demonstratum, iura Imperatoris sibi arrogarant, Imperatori absolutionem meritam debitámque suppliciter crebróque petenti negarant, siue vltro, siue regum Galliæ Siciliæque metu; multis denique annis ad exasperandum Imperatoris animum nihil fecerant reliqui. Accesserat Bohemiæ regis cum Gallo affinitas, cum Pontificibus amicitia; vt nulla spes esset fore, vt Pontifex cum Margarita Carinthia & Imperatoris filio

filio Ludouico in gradu prohibito dispēsaret. Porrò quia Ludouicus Cæsar non facilè quidquā rerū pondus habētium aggressus est absq; suorum, qui prudentia & eruditione valebant, consilio, non est credibile ab eodē tanti momenti negotium nō venisse in suorū quoq; consultationem, videtúrq; id colligi ex ipsa dispensationis formula, in qua Cęsar refert se se pro certo à Doctoribus cōperisse in hac, quæ sponsum inter sponsamque intercesserat propinquitate, matrimoninm diuina lege non vetari. Hoc, inquam, si intellexit, pronū item suspicari est, eundem ab ijsdem pariter audisse Cæsari fas esse dispensationis beneficiū sponsis impendere, eo quod nihil transigi cum Pontifice possit, & interesse interea fortunæ suæ ad incrementum Domus Bauaricæ attendere. Quapropter si hac in re Cęsar offendit, non tam illi culpa adscribenda est, quàm ijs, quos in consilium adhibuit, Theologis; excusatur enim vir Princeps si doctorum hominum opinationibus obsecundet, esto docti illi seu in errore vero versentur, seu etiā in eo, quod Principi non liquet, omninò fallant. Suadentis culpâ erratur. Igitur inter suasores ne quis sit, aut sciat quid suadeat.

11. Pronunciatum. III. *Non erat Benedicto Pontifici istud facinus ferendum.* Pro certo temerarius asseueras, rem sub Benedicto perfectam, cum verisimilius multo sit, sub Clemente perfectam, vt ipse

ipse Margaritæ qualis qualis maritus Iohannes Bohemus in literis suis, quas ex Gerardo de Roo supra attulimus[a], satis significat, & disertè docet Trithemius[b]. [a] Pag. 291. n. 104. [b] In Hirsaug. & Spōheim anno 1344 §. vlt.

12. * Pronunciatum IV. *Benedictus tam in illum* Ludouicum *quàm in fœminam contumacem anathema tulit.* De Margarita coniectat meus Bzouius, nam nemo illi auctor est Margaritam excommunicatam. De Cæsare quidem id Corius scribit, sed vti iam diximus, longè verius est sub Clemente accidisse. De quo Clementis facto Bzouius anno 1343. N. 1.

13. Pronunciatum V. *Ioannes procreato ex concubina filiolo, imposturam vxoris de impotentia apertissimè confutauit.* Nec tu Bzoui, nec Dubrauius hoc apertissimè demonstratis; nam primò concubinarum filij sæpe eorum non sunt, qui patres audiunt; neque sequitur, quia Iohannes huius fœminæ potens fuit, ideo etiam Maultaschiæ fuisse. *Multò enim verius est*, vt egregiè docet Sanchez, *cognoscibilem ab vno, non continuo cognoscibilem esse ab alio*; & ipse Iohannes in epistola à nobis anno 1324. recitata fassus est, se respectu Margaritæ impotentem fuisse, licet ex alia muliere patrem se fieri posse nō dubitaret. Vt taceam, hoc de Iohannis istius ex concubina genito filio neminē veterum aut recentiorū prӕter Dubrauium quod sciam, tradidisse. Tom. 3. 371. Col. 1. §. 2. N. 104.

RR 14. Bzo-

Col. 868. III.

* Locus obscur⁹. Vide sequentem locum Auentini.

* A quo? & quare ab eo?

* Quam libertatem?

14. Bzouius. *Secutum est inde inter Bauarum & Boëmum atrox bellum; quod * cum glisceret, & tũ etiam cum ciuitatibus ad Rhenum sitis initto fœdere, cõtra eos qui distractione ab * eo Principum Germaniam in libertatem * vindicabant in armis esset, vxorem amisit isto casu. Maria Brabantina eius coniunx* W*erda habitans, binas literas, vno quidem anulo, diuersa tamen cera, atra, rubra, obsignatas, illas marito, alteras Henrico Ruchoni decurioni equestri miserat. At verò is qui epistolas detulit errore seductus, rubra cera complicatas Ludouico tradidit. qui lectis literis, amatoria agi suspicatus, confestim paucis comitatus, dissimulata re, relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximis potuit itineribus, ad vxorem diu noctúque contendit, & indicta caussa, adulterij condemnatã securi percuti imperauit. Postea veluti conscias Helicã Virginem Prennebergensem cultello confodit, & aliã fœminam, quàm gynaceo præfecerat, de turri præcipitauit. Propter eam lanienã, horrendã & mirandã habuit nocturnã visionẽ, qua vna tota * nocte, totus incanuit: & nonnulla pœnitentia ductus Monasterium in Bauaria supra Amrã, quod Principis campus dicitur extruxit, & donariis ac censibus locupletauit: nũquam tamen lætari visus fuit. specie cæsarũ illi cõtinuò obuersante. Dubrau. hist. Boëm. lib. 21. Bernard. Cor. p. 3. Cuspin. in Ludou. Bauaro. KranZ. Sax. l. 9. c. 16.*

* tota redundat

15. Bzouius instar Homeri bella ab magnis he-

heroibus bellata excogitat; & mirum est, quòd ex Cæsare nostro non etiam Aiacem fabricet. Bzouianum istud atrox bellum nec à Ludouico Imperatore, nec Iohanni Bohemo sed aliis est illatum, & cædis vxoriæ facinus perpetratum, centum admodum ante annos à patre Ludoüici, & tamẽ ex mente Bzouij Cæsar noster non interfuit solùm, sed etiam summo cum Imperio exercitui præfuit, esto lucem nondum aspexerit, & vxorem nondum natam occidit. Vt verò incondita tua ignorantia magis pateat, placet rem omnem ex Auentino repetere, ex quo eandem tu ad verbum transtulisti, auctore siue de industria, siue per obliuionem felicem tacito, ne fallacia tua meridiano fulgore clarior euaderet. Ergo Auentinus scribit huncin modum, *Ludouicus Mariam sororem Hainrici Brabantini vxorem ducit, nouámque nuptam cum Elisabetha sorore regina Palestina, Werdea Sueuiæ habitare iubet, ipse ad Rhenum contendit. Nam hanc vrbem, item Laugingen, Hochstetẽ, Schongauu, Peutigau, Murnau, Ambregen, finitimáque loca in confinio Vindelicorum, atque Rhetorum Conradus Cæsar Ottoni socero suo oppigneraüit. Et plerique tum, vti in tanto rerum tumultu fieri solet, licentia ciuiliũ armorum (dum res Germaniæ sub multitudine tanta Principum Friderici, Hainrici Cæsaris filij Augusti, Conradi, Hainrici Catti, Wilhelmi Bathaui, & fa-* l.7.p.696. ante m.

ctione Romanorum sacerdotum distrahitur) ad omnem audaciam processerant. Qui viribus pollebat, alium opprimebat. Equites rapto viuebant, impune latrocinia exercebant, vias obsidebant, vltro citro commeantibus insidiabantur: cæteri quoque rapiebant, spoliabant, occidebant, mercatores, sacerdotes, ciues, agricolas, vbicunque spes prædæ foret. Nonnulli dynastæ vectigalia noua commenti erant, tributóque graui alios opprimebant. Plerique excusso iugo noui Principis, noua moliebantur. Frisij, Flandri imperata facere recusabant. Nemo erat, qui nutantem ac prope afflictam Rempub. stabiliret: nec hactenus inuentus est; nisi quid opis in Carolo Maximo sit, actum est de illa ac planè periit. Sed & regiones, ciuitates liberæ, nec non & regna quædam inter se tumultuosiùs agebant. Has ob caussas sexaginta fere, Rheno continuæ vrbes Nouesium, Aquæ Graneæ, Agrippinensis Colonia, Bonna, Moguntiacum, Vangiones, Nemetes, Argentoratum, Basilea, Schletstadium, Argentuaria, Turici, Freiburg, Brysach, Weissenburg, Neostadium, Wimpfen, Haydelberga, Luzelburgium, Francofordia, Oppenhaim, Fridperg, Salingstat, Bingium, Liuerspurg, Mylhausen, Gelnhausen fœdus ineunt. Ludouicus ciuibus societate coniungitur, copias simul vnà cum ipsis cogit, atque noua vectigalia abrumpit, prædonum castella expugnat, solo æquat, latrones excindit, hostes in ditionem

Carolus V.

cogit,

cogit, aut sdam finibus exigit. Prosperè cunctis vbique succedentibus, vicinos principes, quorum hæc fuisse nomina reperio, ad fœdus cogit. Gebhardum Mogontinum, Conradum Agrippinensem, Arnulphum Treuerorum Archimystam; Richardum Vangionum, Hainricum Argentoratensem, Berchtoldum Basiliensem, Jacobum Mediomatricum Pontificem: Hósque Tetrarchas, Conradum, Emichonem Waldgraphos, Theodericum Elenbogium Cattum, Fridericum & Vthyldam Linios, Berchtoldum Zigenhagium, Popponem, & Sophiam Turogos, Vlricum Feretrium, Gerlochum Lunoburgensem, aliósque quos enumerare curiosius nihil est operæ precium. Dúmque hæc apud Rhenum fiunt, Maria vxor Ludouici, quæ vt dixi cum Elisabetha regina Siciliæ Werdeæ habitabat, binas literas vno quidem anulo, diuersa tamen cera, atra, rubra, obsignatas, illas marito, alteras Heinrico Ruchoni decurioni equestri, secreta quapiam continentes mittit. Atque is, qui Epistolas detulit, errore seductus rubra cera complicatas, Ludouico tradit. Qui lectis literis amatoria agi suspicatus, confestim paucis comitatus, dißimulata re, relicto apud Rhenum exercitu, nemine salutato, quàm maximis potest itineribus ad vxorem diu noctúque contendit, subitò ac insperato adest. Mox iracundia percitus, nec prece, nec lachrymis sororis Reginæ mouetur, absque cunctatione coniugem indicta causa adulterij condemnat,

demnat, securi percuti iubet. Postea veluti conscias Helicam virginem Prennebergensem cultello confodit; fœminam admodum nobilem, cuius nomen non traditur, quam Gynecio præfecerat, de turri præcipitari imperat. Proditorem qui isthæc ad se detulit, primum ferro necauit, facta hæc cædes in Sueuia Werdeæ in arce XV. *KL. Februarij anno Christi* M. C C. *LVI.* Hucvsque Auentinus.

16. Sed mirabilius est, quòd hoc loco non erubescas Cuspinianum inter cęteros auctorem huius Ludouicianæ tragœdiæ nominare, qui in Ludouico Cæsare radiis plus quàm solaribus Cæsaris nostri genitori id factum adscribit; & tu insuper pro more, & de tuo penu quædam mutas & addis.

In Lud. P. 465. §. 2. hæc Cuspiniani sunt verba: *Friderici competitorem scripsimus fuisse Ludouicum, de quo nunc pro virili singula sunt discutienda. Is Ludouicus filius fuit senioris Ludouici, & Mechtildis filiæ Rodulphi de Habspurg Comitis, Romanorum Regis. Sed hic senior Ludouicus (vt illud interim nō omittamus) natus ex Ottone vtriusque Bauariæ Duce, & Agnete Henrici Saxonis & Palatini filia, quæ Palatinatū Rheni Ottoni attulit, resedit in Monaco: & in odiū Augustensiū condidit arcē & oppidum Fridbergam. Tres habuit coniuges, Mariā Brabantinā, diuæ Elizabeth consanguineā: quam occidi iussit, ob falsam suspicionē cū milite quodam: in Werdea in Cæsareo monasterio ordinis sancti*

ſancti Benedicti ſepulta. Ob id mirandã habuit et horrendam nocturnã viſionẽ, qua vna nocte totus factus eſt canus. Et inde pœnitentia ductus, monaſterium in Bauaria ſupra Amram, quod Principis campus, patria lingua Fürſtenfeld *dicitur, extruxit, & donariis ac cenſibus locupletauit. Fuit Anna Conradi Ducis Glogouienſis in Sleſia altera eius coniunx, ex qua etiã Ludouicum quendam filium genuit. Cui Elizabeth Vngariæ Regis filia deſponſata erat. Sed Norinbergæ in quadam haſtarum concurſione (haſtiludium noſtri vocant) lancea perfoſſus interiit. Sed tertia vxor Mechtildis Romanorũ Regis filia fuit, ex qua plures liberos ſenior Ludouicus peperit. Rudolphum ſcilicet primogenitum Palatinum Rheni, qui Mechtildim Adolphi de Naſſauu Regis Romanorum filiam vxorem habuit, & liberos plures progenuit. Qui tamẽ in electione Imperatoris Fridericum Auſtriæ Ducẽ, non fratrem Ludouicum elegit. Quam ob rem à fratre expulſus, in Anglia exulauit, ibiq́ mortuus eſt: tres filios relinquens, Rudolphũ, Rupertũ Rufum, & Adolfum Palatinos Rheni, & filiam vnam Mechtildim Comitiſſam in Spanheym. Et ſecundo genitũ Ludouicũ hunc præſentem, Juniorẽ cognomine IV. eius nominis Imperatorem, Friderici competitorẽ, Mechtildímq́ filiã dehinc tertiò peperit, vxorẽ Othonis Ducis de Lunẽburg, & Annã filiã quartò, vxorẽ Rudolfi Ducis Saxoniæ Alberti filij. Quandámq́ tertiam filiam, cuius ignoro*

nomen:

nomen: quæ monialis Vlmæ facta, illic decumbit. Sed ad Ludouicum Iuniorem nostrum redeamus. Hæc ille, quæ tu duplici additione, vna verbi, altera sententiæ corrumpis. Cuspinianus ait *pœnitentia ductus*, tu vt eleues iustum hunc dolorem, voculam *nonnulla* adiicis, quasi tenuis in pœnitudine sensus fuisset. Nónne liuor tuus Bzoui ex pectore tuo tralucet? Concludis demum his verbis, *Nunquam tamen lætari visus fuit, specie cæsarum illi continuo obuersante.* Totum hoc beneuolum dicendi genus, quantum quantũ est, tuũ est Bzoui, nam nec Auentinus, nec Cuspinianus, nec quisquam ex iis quos tu hîc allinis, quidquam de hoc memorat. Tibi videntur continuò obuersari species figmentorum, fingis enim continuò.

17. At verò vt te ex omni parte premam, mouebo tua ipsius arma contra te. Recordaríne potes quæ scripseris in priori tomo tuo, nempe 13. ad

N. VI. annum Domini 1256. *Hoc anno*, ais ibi, *18. Ianuarij Ludouicus Bauariæ dux Mariam coniugem indicta causa, adulterij damnatam capite plectit. Præfectam Gynæceo tanquam consciam de turri præcipitat, Virginem denique ex Pranébris gentis familia gladio confodit. Auentinus in Sueuia.* Nonne tua scripta agnoscis Bzoui? si anno 1256. capite plexa est Brabantina, cur tu eandem cædem ad annum 1340. refers, & filio attribuis, quæ patris fuerat? Sed

bellè

bellè etiam vtroque loco omnia quadrant. In priore Helicam virginem malè gladio: in posteriore cultello confossam rectè tradis. In priore perperam ex Prænebris gentis familia; in posteriore Prennebergensem rectè vocas. Sed ridiculum est, quòd Auentinum hæc memorare in Sueuia scribas. quare non in Suecia potius? nam sicut Auentinus Sueciam nullam descripsit, ita nec Sueuiam. Illud tantùm hoc loco oblitus es, vt nouam ob nouum hoc facinus excommunicationem Benedicti in Ludouicum fingeres.

18. Bzouius. *Ad eum modum, & à Deo & à summo Pontifice, & ab vniuersis hominibus Ludouico execrato, Vrbes Italiæ necquicquam communicare amplius sustinebant. Quamobrem certatim ab eo auertebantur & communionem Ecclesiæ Romanæ, missis Auinionem ad Benedictum oratoribus postulabant. Nouarienses, Lucani, SanDominiani, Cremonenses, Cumani, Bergomenses, Papienses, Terdonenses, Albiganenses & alij, iuramento obsequentiæ interposito, diris quibus deuoti insorduerant, à Benedicto exsoluti fuere; postquam etiam singuli in suis ciuitatibus, Oratorium titulo S. Benedicti Abbatis, sese extruere velle, concionibus interesse, panem vnum nomine eleemosynæ offerre, numquam in posterum Ludouico adhærere, & alia à summo Pontifice præscripta præstare spopondissent.* Regestr. *Bened. 12. hoc anno.* Col. 161. IV.

SS 19. Ad

19. Ad quem modum, oro te Bzoui, Ludouicus à Deo, & à Pontifice, & ab vniuersis hominibus *execratus* fuit, vt tecum Priscianum vulnerem? vbi & quomodo execratus est Cæsarem Deus? vbi Pontifex *B*enedictus? supra dicebas eum ob nuptias Maultaschiæ diris deuotum à *B*enedicto, sed necdum probasti. Vbi porro eum vniuersi homines execrati sunt? omnis prope Germania adhuc illi deuota fuit, ac in fide perstitit. Vrbes Italiæ ab eo certatim defecisse, non eo inficias quidem sed tamen magna lubentia inspicerem regestrum Benedicti à te citatum: viderem fortè quæ tu non vidisti; nam & tu iam vidisti quæ foitasse ego non viderem.

Col. 161. V. 20. Bzouius. *Bononienses quoque, qui ante aliquot annos Bertrandum Cardinalem Ostiensem Episcopum, sedis Apostolicæ Legatum, post præstitum obedientiæ Sacramentum, facto ad sonum campanarum tumultu, in castro, quod is ædificauerat, inuaserãt, totósq; decem dies integros obsidentes nõ tantum victui necessaria ei inferri, aut cũ obsessis quicquã commercij habere populo interdixerant, verum etiam lapidibus & sagittis contòrtis obsessũ impetierant, clamoribúsq; contumelia plenis, Moriatur Legatus & ille nequam de lingua Occitana, ad mortem deposcentes, inprimis Oliuerium Beraldi Procancellarium illius interceptũ spoliarant, & plagis ac vulneribus deformatũ in carceres*

ceres teterrimos coniecerant, deinde ipsum Legatum turpiter vsque ad tegmina verecundiorum denudantes, nec non eadem contumelia Petrum Mirapicensem & Bertrandum Bononiensem Episcopos, & vna cum eis Bernardum Monantulanum, & Iacobum S. Stephani Bononienses Abbates, atq; vniuersam Ebredunensis Archiepiscopi sedis Apostolicæ Nuncij familiam afficientes, in ergastulum Rectoris Bononiensis, & in carceres Episcopales detruserant, & aliis decem diebus, fame, siti, & pedore macerauerant; ac tandem vrbe omnes spoliatos eiecerant, & Bertrandũ Glariũ Bononiensis Episcopi familiarem in frusta conscide-rant, membráq; decisa canibus dilaceranda proiecerant, insuper castrum à Legato vrbi impositum solo tenus diruerant, Thadæúmq; Pepulum vrbi tyrannum imposuerant, & Mediolanensis atque Rauennatis Archiepiscoporum, Benedicti Pontificis Commissariorum monita: adeóq; sedis Apostolicæ censuras et pœnas pertinaci animo cõtempserant, ac propterea anathemate & maledicto percussi fuerant: hoc anno Nuncios Auinionem ire iusserunt, qui culpam apud Benedictum deprecarentur; & omnia Romano Pontifici & sedi Apostolicæ pollicerentur. Octo millia nummum aureorum census nomine, Benedicto, in singulos annos offerebant. Eiectis libertatẽ & Ciuitatis ius restituebant. Legato & omnibus spoliatis, vel quacunque iniuria lacessitis abundè satisfaciebant. Fœdera

cum extraneis inita iuramentóque confirmata eiurabant. Administros quoscunque à Pontifice impositos, modò singulis sex mensibus per vices alij subrogarentur, admiscebant. Ducentos equites ad quosuis Ecclesiæ casus & nutus, ad vsque septuagesimum à Bononia lapidem stipendiis propriis in tres menses submittere, neque alios præsidiarios milites, quàm qui sacramento fidelitatis sese Ecclesiæ Romanæ astrinxissent, se velle imposterum admittere, aut alicuius hostis Ecclesiæ communionem vel protectionem exambire, vel quemquam talium in patrocinium aut intra mœnia suscipere, sed omnino Ecclesiæ obsequentes fore in se recipiebant. Ita tum primum plenariè omnibus Apostolicis sententiis à Benedicto soluti sunt: cum Bauari societatem deseruissent séque dominio Ecclesiæ permisissent. Cod. Columnn. ex regestr. Bened. fol. 45.*

* admittebant.

21. Historiam hanc tuam, Bzoui, reprehendere non habeo, quòd mihi regest. Benedicti desit; sed reprehendere habeo caudam, quam ei affigis. *Ita tum primum*, inquis, *plenariè à Benedicto soluti sunt, cum Bauari societatem deseruissent.* Aliis hæc canta, Bzoui, nostræ aures ad iustam musicam assueuere; Bononienses cum Cæsare nunquam conspirauere, imò ab initio conatibus eius obstitere, in Pontificia fide perstantes. Vbi verò Cardinalis Legatus *totos decem dies integros*, quæ tua singularis

cle-

elegantia est, obsessus, atque vrbe demum exutus fuit, summa Reipublicæ non ad Cæsarem, sed ad Pepulum delata est, vti tu ipse hîc testaris. Itaque ob rebellionem & cædes cœtu piorum moti sunt; & vbi tragœdiæ datæ pœnitudo successit, veniámque precari cœpere, Ecclesiæ restituti sunt; minimè verò quod societatem Bauari, in qua nunquam fuere, deseruissent.

22. Bzouius. *Aesculum quoque & plura alia Piceni & Marchiæ Anconitanæ castra, ad possessionem Ecclesiæ Romanæ hoc anno redierunt; interfecto Mercenario Monteuiridiano, qui ea per tyrannidem occupauerat. Eius vniuersa bona, Benedictus Pontifex Romanæ Ecclesiæ fisco addixit, & ciuitates oppressas in libertatem reuocauit. Benedictus etiam Caietanus, & Paulus de Comitibus, Castrum Seciæ quod per vim occupauerant, Rectori Campaniæ & maritimæ, pro sede Apostolica restituerant: nec non Patriarcha Aquilegiensis, vna cum nonnullis Italiæ Principibus, & Comite Tyrolis filio Regis Boëmiæ, suadente Nicolao Episcopo Tridentino aduersus Ludouicum Bauarum fœdus percusserant, vt illum in Italiam penetrare cogitantem aditu prohiberent. Cùm autem aliqui non deessent eius partiarij, qui eum vt veniret inuitarent: monebat Benedictus Patriarcham, vt cautè in fœdere obseruando ageret, confœderatísque auctor esse vellet, ne imperium per contumaciam sibi ar-* Col. 869. VI.

rogantem ad Italia turbationem ingredi permitterent. epistol. Bened. hoc anno.

23. Hìc nihil culpo, Bzoui, quod regestrum mihi desit, fortasse & tibi defuit: saltem aliquid eorum, quæ te ex illo describere dicis.

Col. 869. VII. 24. Bzouius. *Quod diuortium Margaritæ ab Ioanne Boëmo, & dispensationem inter eandē Margaritam, & Ludouicū Ludouici filium attinet, quanquam Auentinus, per Frisingensem Episcopum factam esse affirmet, eáque propter Bauarum excusare conetur; sine iudicio tamen Ecclesiastico id gestum fuisse, Albertus Argentinensis, Trithemius, Nauclerus, Dubrauius & alij asseuerant, ac ipsa diplomata testantur. Placet vtriusque actus formulas, in veteribus membranis inuentas, illustranda historia subscribere. Ita habent apud Rebdorfium.*

Forma diuortij Matrimonialis inter illustres, vocatos coniuges, Iohannem videlicet filium Regis Bohemia, & Margaretam Ducissam Kärinthia, celebrati per Dominum Ludouicum Quartum Dei gratia Rom. Imp.

Nos Ludouicus Quartus Dei *gratia Romanorum Imperator Augustus, vniuersis Christi fidelibus, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, manifestum esse volumus & facimus per præsentes; Quod in iudicio coram nobis per se seu per certos nuncios suos seu procuratores exposuit illustris Margareta*

ta Ducissa Karinthiæ & Tyrolis comitissa, quod vir nobilis Iohannes Regis Bohemiæ filius iam dudum sibi matrimonio copulatus, & postmodum in ætate debita constitutus, ac per tanta temporum spacia secum habitans, quanta sufficiunt, ac sufficere debent, secundum statuta tam diuinæ quam humanæ legis, ad debitum carnalis copulæ per virum siue maritum suæ vxori reddendum; Eadem Margaretha in ætate sufficienti similiter constituta, & seipsam vt conueniens fuerat præbente & exhibente ad præfatam copulam carnalem explendam; non potuit dictus Iohannes neque valuit, sicuti neque valet, aut potest, nec vnquam posse creditur in futurum, eandem carnaliter cognoscere sibi coniugem Margaretam: quemadmodum multis & quasi omnibus possibilibus modis hoc tentans, eundem Iohannem impotentem & omnino inhabilem ad opus præfatum se dicit expertam, ac aduersus eundem Iohannem, sibique præfatum defectum inexistere, coram nobis in iudicio se reddidit per experimenta sufficientia & testimonia qualibet ad hæc necessaria probaturam. Quare super hoc habito maturo & deliberato consilio suorum procerum & consiliariorum omnium, nostram clementiam atque iustitiam vna cum præfatis implorauit & requisiuit instanter, vt eidem super hoc prouidere de conuenienti remedio dignaremur: & taliter etiam, quod per ius siue sententiam nostram licitè possit à

su-

ſupradicto Johanne, iam vocato marito ſiue coniuge ſuo, de matrimonio ſeparari propter cauſam ſiue impedimentum prædictum, & ab eodem Iohanne totaliter ſic abſolui, vt eidem de cetero ad nullum matrimonij debitum teneretur, ſed poſſet de ſe ipſa & ſuis omnibus ordinare, ſecundum quod ſibi expediens videretur. Nos verò, cuius debitum eſt omnibus ac ſingulis reddere iuſtum, ex officio & autoritate qua fungimur, præfatam Margaretham cum præfatis ſuis omnibus iuſtitiam inſtantiſſimè requirentibus & ſupplicantibus, nobis dignum duximus exaudire: & nihilominus abſque offenſa iuris præfati Iohannis iam vocati coniugis ſui, ſi ius aliquod in contrarium habuiſſet, ad expeditionem ſeu terminationem litis præmiſſæ inter vocatos coniuges præfatos proceſſimus, in hac forma, videlicet, quod vocatos coniuges præfatos citari fecimus atque vocauimus in iudicio coram nobis, aſſignantes eiſdem ſecundum formam iuris debitum atque tutum locum, & temporis ſpacium infrà quod poſſent & deberent in iudicio coram comparere, ad agendum & defenſandum, & cætera faciendum, quæ neceſſaria forent pro inquirenda veritate ſuper lite præfata. Verùm Margaretha iam dicta per ſe, ſeu per certos nuncios ſiue procuratores ſufficienter comparuit in iudicio coram nobis, per omnes terminos ſibi aſſignatos, & cum omnibus probationibus & teſtimoniis ſufficientibus, ad conuincendum ſæpe dictum Johannem impotentem

tentem

tentem esse atque priuatum naturali potentia ipsam carnaliter cognoscendi, aut quamuis aliam mulierem: seipsam quoque virginem esse vsque in tempus, & diem dati præsentis rescripti, per sufficientia testimonia demonstrauit. Supradictus vero Iohannes in præfatum iudicium coram nobis, impositi sibi defectus per præfatam Margaretham verisimiliter conscius nec per se, nec per aliquum legitimum nuncium siue procuratorem comparuit tempore debito siue statuto: nec quicquam in contrarium impositi sibi defectus per Margaretam præfatam per se vel per alium allegauit: sed contumax ex natura se conuictum reddidit, atq; confessum de his omnibus quæ sibi per prædictam Margaretam fuerant tam imposita quàm probata, sufficientia quidem ad matrimonij diuortium inter ipsam & præfatum Iohannem per sententiam consummandum. Nec potest, nec vnquam cum veritate poterit sæpe dictus Johannes, aut quiuis alter pro ipso, iudicem vel locum comparendi per nos sibi aßignatum allegare suspectum. Nam hactenus retroactis temporibus tam Johanni Regi Bohemiæ patri suo, quàm etiam Carolo de Bohemia fratri suo, pluries & locis pluribus nostræ coactiuæ potestati subiectis, fidum ac tutum placitandi nobiscum aßignauimus locum, in quo personaliter affuerunt, & cum omni tranquillitate manserunt, ac inde absque molestia qualibet secundum ipsorum beneplacitum recesserunt. Quod & antedicto Iohanni be-

nignè offerri fecimus & acceptare contemsit, vt supra iam diximus. Per auctoritatem ergo nobis ritè debitam & concessam, & legi diuinæ conformiter, sicuti certum est, & asserunt sacræ scripturæ, siue leges diuinæ atque ciuiles sententiæ sufficientes, ac comprobati doctores, ad diuortium siue separationem matrimonij faciendam inter vocatos coniuges Johannem & Margaretam prædictos procedere volentes atque debentes, infrascriptam sententiam tulimus in hæc verba: Nos Ludouicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro tribunali iudice sedentes, in causa siue lite diuortij seu separationis matrimonij, quæ vertebatur inter illustres personas, Iohannem Regis Bohemiæ filium, requisitum parte ex vna, & Margaretam Ducissam Karinthiæ & Tyrolis Comitissam, ex altera parte, tanquam actricem, ac requirentem à dicto Johanne iam vocato coniuge suo de matrimonio separari: Visis & intellectis tam per nos, quàm præfatos Doctores, iuribus, rationibus, probationibus & testimoniis Margaretæ præfatæ, nec non contumacia iam dicti Johannis dicimus, diffinimus, & determinamus, præfatam Margaretam separari debere seu posse de matrimonio à sæpedicto Johanne, eque conuerso, cum iisdem vel ipsorum alteri id videbitur expedire. Ipsam quoque Margaretam hoc requirentem instanter vt supra, separamus, absoluimus, & separatam esse iudicamus in matrimonio à iam dicto Iohanne per hanc nostram sen-

ſententiam diffinitiuam. Simili quoque modo ſupradictum Iohannem à præfata Margareta in matrimonio per auctoritatem, & hanc noſtram ſententiam diffinitiuam ſeparantes: ita videlicet, quod de cætero præfatus Ioannes ſupradictæ Margaretæ in nullo matrimonij debito teneatur: neque ſimiliter præfata Margareta ſupradicto Joanni. Sed liberum ſit vtrique de corpore proprio, ſiue perſona, & omnibus bonis propriis, iuribus ac rebus tam mobilibus quàm immobilibus facere vel diſponere, & quodlibet ordinare pro ſuæ propriæ libitò voluntatis.

Forma diſpenſationis ſuper affinitate conſanguinitatis inter illuſtres Ludouicum Marchionem Brandenburg. & Margaretham Duciſſam Karinthiæ: nec nō legitimationis liberorum eorundem procreandorū, factæ per Dom. Ludouicū quartū Dei gratia Rō. Imp.

Nos Ludouicus quartus Dei gratia Rom. Imperator Auguſtus, vniuerſis Chriſti fidelibus, quorum intereſt aut poterit intereſſe, notum eſſe volumus & facimus per ſeriem infraſcriptā; Quod in noſtra præſentia perſonaliter conſtituti illuſtres Ludouicus marchio Brandeburgēſis, & Margareta Duciſſa Karinthiæ ac Tirolis Comitiſſa, poſt habitum ipſorum maturum ac deliberatum conſilium, animū atq; actualem voluntatem habentes ſe inuicē in matrimonio legitimè copulādi: dubitante tamen præfato Ludouico & Margareta, ne gradu aliquo affinitatis ſanguinis tale coniugiū ſiue

matrimonium humanarum legum aut Romanorum Principum statuto, decreto, vel ordinatione alia, quomodolibet appellata, impedimentum aliquod paterentur: supplicarunt ac petiuerunt instanter, tale impedimentum consanguinitatis, si quod inter ipsos affuerit, vel adesset, per dispensationem nostram relaxari, ac per nostram auctoritatem atque sententiam totaliter amoueri. Nos verò propter communem & euidentem reipub. vtilitatem manifestè visam sequi, ad coniugium supradictum præfatum impedimentum affinitatis sanguinis, si quod inter ipsos adesset, iudicamus esse tollendum & simpliciter amouendum. Cum gradus affinitatis sanguinis, præsertim infra sorores & fratres, matrimonium non impediat, diuinæ seu Christianæ legis statuto aliquo vel præcepto, quemadmodum certitudinaliter nouimus tam per nos, quam per supradictæ legis diuinæ idoneos ac probatos Doctores. Idq; etiam asserente beato Augustino, lib. XV. de ciuit. Dei cap. XVI. dum de talibus affinitatis sanguinis gradibus tractans inquit, Quod hoc videtur matrimonium licitum fieri inter affines consanguineos, nec lex diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Quibus siquidē* verbis duas sententias expressit Augustinus, vnam videlicet supradictam, Quod lege diuina legitimum matrimonium fieri non est prohibitum inter personas, sanguinis affinitate coniunctas. Secundam verò sententiam scire fecit: videlicet*

* Eorū aui germani fuerant, & sic ipsi sobrini. Vide Auentin.

* Si redundat.

delicet quod talis prohibitio matrimonij inter consanguineos fieri habeat autoritate legislatoris humani aut eius principantis, supremi principis Romanorum. Idem quoque concedere atque fateri conuenit Romanum episcopum, Papam vocatum, cum suorum clericorum cœtu, quos Cardinales appellant, veritate cogente. Nam præfatus Papa Romanus super impedimento affinitatis sanguinis per dispensationem tollendo à sanguinis affinitate coniunctis, inuicémque matrimonium contrahentibus, ad suam auctoritatem asserit pertinere: ac in talibus matrimoniis pluries dispensauerunt de facto præteriti quidā Pontifices Romanorum. Quod si talis gradus affinitatis sanguinis matrimonium legitimum impediret legis diuinæ seu Christianæ præcepto, non posset aliquis hominum, quin imo neque angelus de cælo, dictum impedimentum per dispensationem aliquo modo amouere: Hoc Christo testante: facilius est cælum & terram transire, quàm vnum apicem à lege cadere. Rursúsq; idem Dominus dixit, Cælum & terra transibunt, verba autem mea permanebunt in æternum. Ex quibus quidem manifestè apparet, ac fateri cogitur Romanus Episcopus, & per factū confirmatur ipsius, quod gradus affinitatis sanguinis non impediet matrimonium fieri legis diuinæ seu Christianæ præcepto: & quod si gradus affinitatis sanguinis, quamquam licitum matrimonium impediat fieri, hoc autem factum esset præ-

cepto siue statuto legis humanæ. De cuius siquidem legis præceptis siue statutis dispensare solummodo pertinet ad auctoritatem Imperatoris seu Principis Romanorum. Nec obstat dicere, præfata matrimonia esse prohibita lege diuina, eò quòd mali moris sunt, & propterea etiam peccata mortalia fore prohibita, ac proinde obligantia cōtrahentes ad damnationem æternam: & contrariam dispensationem in his ad ministrum solummodo ecclesiasticum Episcopum siue presbyterum pertinere. Hic enim sermo rhetoricus siue apparens sophisticus est: falsum namque recipit. quoniam præfata matrimonia non sunt mali moris, præsertim in aliquo casu. Nam & ipsa tanquam in casu licita fieri concedit Romanus Episcopus. Nec etiam rursus mali moris sunt absolutè loquendo: quoniam non sunt cum malitia conuoluta confestim, veluti furtum & crimina reliqua: & propterea nec sunt lege diuina prohibita, quemadmodum dixit beatus Augustinus. Non syllogisatur autem neque concluditur propterea dispensationem de talibus ad Episcopum quemquam siue presbyterum pertinere, esto quod sint absolutè prohibita lege diuina, & sub pœna damnationis æternæ: quoniā de his prohibitis nullus hominū, quinimo angelus de cælo dispensare posset, vel ordinare, siue concedere quod licitè fierent, vt deductum est supra. Vnde etiam iuxta prædicta de præceptis sacræ scripturæ siue mandatis loquens Apostolus inquit; Et

si an-

si angelus de cælo euangelisaret vobis aliud præter id; id est contra id, quod euangelisatum est à nobis, anathema sit. Nec propter aliud, nisi quod euangelisata erant per Apostolum diuina prohibita vel præcepta. Rursus quoniam præfata matrimonia non fuerunt mali moris, sed solummodo quod lege prohibita fuerant, veluti carnes porcinas, & bestias non ruminantes comedere, quod ideo peccatum effectum est, quia prohibitum fuerat in lege Mosaica; non tamen propter malum aut mali moris ex se, quemadmodum furtum, homicidium, falsum testimonium, & huiusmodi reliqua, quæ prohibita sunt legibus diuinis & humanis, eò quod ex se mala sunt, & mali moris, confestim cum malitia conuoluta. Ex his igitur omnibus iã prædictis manifestè apparet, cuilibet nõ corrupto ignorantia vel malitia, vel vtraq; auctoritatem dispensandi atq; tollendi à matrimonio impedimentum inter personas & à personis sanguinis affinitate coniunctis, ad Romanum Principẽ pertinere. Propter quod nos Ludouicus IV. *Romanorũ Imperator Augustus præfatũ affinitatis sanguinis impedimẽtum si quod esset inter præfatos Ludouicũ & Margaretã, quo minus possent aut prohiberentur per humanæ legis aut Romanorum Principũ statuta, siue decreta vel alias ordinationes quomodolibet appellatas in matrimonio copulari, tollimus; & per nostrã auctoritatem atq; sententiã tenore præsentiũ totaliter amouemus. Concedẽtes eisdem ac cui-*

cuilibet ipſorum, vt abſque offenſa cuiuſlibet iuris humani, ſtatuti vel ordinationis alterius quomodolibet nominati licitè ſe poſſint ac valeant in matrimonio copulare. Abſolutos etiam eoſdem, ipſorúmque legitimos filios, & filias, ac hæredes, nunc & in perpetuum, à pœna qualibet reali, perſonali, & infamia, & alia quauis quomodolibet nominata, ſiqua foret impoſita contrahentibus matrimonium infra conſanguinitatis gradus aliquos nominatos per quemquam Principem Romanum etiam, vel per leges, aut communitatem aliquam, collegium vel ſingularem perſonam, cuiuſcunque auctoritatis vel dignitatis exiſtant. Quibus omnibus & ſingulis, & à quibus excipimus caſum prædictum, de præfatis videlicet perſonis, Ludouicum & Margaretam iam dictos. Et in quantum huic noſtro reſcripto ſiue diſpoſitioni, conceſſioni noſtræ contradicunt totaliter aut in parte, per hoc ipſum præſens noſtrum reſcriptum derogamus, & volumus derogari, eodem nihilominus ſemper in ſuo robore duraturo.

N. III. 25. Ordine ſuo Bzouius omnia ſcribit. Suprà has nuptias ſolemni benedictione ſacrauit, & vt decorè totã narrationem necteret, reſpirauit nonnihil, atque alia intermiſcuit, nunc ad inſtitutum poſtliminio redit. Fabor apertiùs vt & ipſe loquentem me intelligat. More, inquam, ſuo coniungenda diſiungit, & diuortij diſpenſationíſque formulas numero tertio afferendas, affert demum nume-

ro ſeptimo, poſtquam multa alia interpoſuit partim Germanica, partim Italica, quæ & nos ex eo hucvſque exſcripſimus.

26. Pronunciatum I. *Sine iudicio eccleſiaſtico id geſtum fuiſſe teſtantur Nauclerus & Dubrauius.* Refractior certè ego hoc loco ſum, quàm Bzouius, nam ipſe cuidam auctori, à quo apud Rebdorfium hoc hauſit, credit; ego nec Bzouio nec illi alteri credo. Nauclerus enim & Dubrauius neque cum Eccleſiaſtico iudicio rem geſtam fuiſſe ſcribũt, neque ſine eo. O te diligentem ſcriptorũ quos legis examinatorem! Cur Nauclerum & Dubrauium toties à te laudatos non ipſe inſpexiſti? ſi inſpexiſti, neque quod eis auctor ille tuus tribuit, inueniſti; cur hîc perinde ſcribis ac ſi inueniſſes?

27. Porrò tu, Bzoui, ſolum Auentinum Eccleſiaſticæ ſeparationis auctorem nominas, cùm eandem memoret ſummus Pontifex Innocentius VI. cuius literæ referuntur à Paulo Epiſcopo Friſingenſi & Petro Abbate ſancti Lamberti Salisburgenſis in quodam anni 1359. ſcripto autographo (ſigna enim Epiſcopatus & Abbatiæ adhuc inuiolata dependent) quod in Sereniſſimi Principis noſtri Archiuo aſſeruatur. Ibi non ita longè poſt principium Innocentius hæc ſcribit, *Ludouicus primogenitus* Ludouici Imperatoris *olim cum nobili muliere Duciſſa Karinthiæ, quamuis ſimul eſſent in tertio con-*

ſanguinitatis gradu ex vtroque latere coniuncti, & iuſtitia etiam publicæ honeſtatis inter ipſos ex eo exorta fuiſſet, quod antea eadem Margarita per dilectum filium nobilem virum, Iohannem Marchionem Morauiæ, ipſi Ludouico in quarto conſanguinitatis gradu attinentē per verba de præſenti fuerat deſponſata, licet ab eodem Iohanne fuiſſet poſtmodum iudicio Eccleſiæ ſeparata, de facto matrimonium ſcienter ac temerariè cōtraxit, & in eo per quindecim annos vel circiter contra ius ac proceſſus & ſententias per felicis recordationis Benedictum XII. *& Clementem* VI. *Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros ſeu alios eorundem prædeceſſorum, ſiue alterius ipſorum auctoritate & mandato ſuper hoc contra ipſos Ludouicum primogenitum & Margaritam ſpecialiter habitos & prolatos permanſit.* Hactenus Innocentius, qui ipſo verborum ordine planè ſignificat Margaritam & Iohannem prius iudicio Eccleſiæ fuiſſe ſeparatos, quàm eadem Margarita & Ludouicus inter ſe iungerentur matrimonio.

28. Pronunciatum II. *Ita habent* formulæ *apud Rebdorfium*. Stupor te occupat, Bzoui, aut fraus: lectorem certè decipis, nam apud Rebdorfium conſueto more loquendi hæ formulæ non reperiuntur: adiecit eas qui Rebdorfium typis edi vulgariq; curauit. Exemplo rem demōſtro. Si quis forte aliꝰ in libro tuo ſcriberet, *Dominicana famili*a

lia est pernicies Christianæ Reipublicæ; & ego referrem idipsum alibi, adderémque ita haberi apud Bzouium: quid diceres? iam audio. Contenta voce clamares, *Hic malignus homo mihi attribuit, quod alius nescio quis libro meo inseruit.* Rectè habet Bzoui, idem tu facis: Rebdorfio tribuis, quod alienæ manus est, & ab alio Rebdorfij annalibus ingestum. Quanquam si veræ sunt formulæ, eas iam supra declarauimus. Quod si Ecclesia diuortium fecit, incredibile est, id etiam Imperatorem frustra fecisse: si Imperator non fecit diuortium, falsa est diuortij formula; si hæc falsa est, causa non est, cur credamus dispensationis formulam esse veram. *N. III.*

29. Bzouius. *Offendit ea res summum Pontificem. Quamobrem cum Boëmos, Hungaros, & Germanorum plurimos, in Ludouicum vtrumque arma mouisse intellexisset, ipse quoque armis spiritualibus vsus, Margaritam petulantem, & Ludouicos patrem ac filium, anathemate proposito officij admonuit. Eo Ludouicus senior nonnihil perterritus, contumaciam deponere, & tum ad sedem Apostolicam nuncios vna cum Principibus Germaniæ pro reconciliatione velle mittere, tum ab Edouardi Anglorum Regis societate discedere, tum Philippo Galliarum Regi conciliari visus est; quanquam per id temporis Edouardus insigni clade apud clusas Gallis prostratis, victoriã retulerit. Krantz. Sax. l. 9. c. 16.* Col. 873. IX.

 Pro-

30. Pronunciatum. I. *Boëmos, Hungaros & Germanorum plurimos in Ludouicum vtrumq; arma mouiſſe.* Kranzius loco à te notato ita ſcribit, *Omnis Bohemia, Vngariáque & Francia commouentur.* Francia apud Bzouium Germanorum plurimos ſignificat: certum eſt Germanos hoc nomine nullum bellum Cæſari aut eius filio intuliſſe. De Bohemo Vngaróque non negarim, *ſed exitus is fuit, vt Ludouicus*, ſicut Kranzius ait, *inferior non diſcederet, & Bohemus ſibi cohabitare fœminam nolentem dimitteret.*

31. Pronunciatum II. *Pontifex Margaritam petulantem & Ludouicos patrem ac filium, anathemate propoſito, officij admonuit.* Kranzius hoc ſolùm, *Papa multis literis fœmineam procacitatem arguit.* Itaque anathemata & ſacra illa Eccleſiæ ſpicula vtrique Bzouius intentat, non Kranzius.

32. Pronunciatum III. *Ludouicus ſenior nonnihil perterritus, pertinaciam deponere viſus eſt.* Ex Bzouio hoc eſt.

33. Pronunciatum IV. *Ludouicus nuncios cum Principibus Germaniæ pro reconciliatione ad ſedem Apoſtolicã mittere velle viſus eſt.* Et hoc Bzouij eſt.

34. Pronunciatum V. *Ludouicus ab Anglis diſcedere, & Gallo conciliari velle viſus eſt.* Nec hoc alterius quàm Bzouij eſt, qui paucula Kranzij inſeruit, ſed nec illa niſi mutilata.

35. Bzo-

35. Bzouius. *Inter eos totius Europæ turbines, Benedictus nihil non egit, vt Ludouicum ad mentem saniorem reuocaret, & inter Edouardum atque Philippum concordiam sanciret. Et inprimis quidem saluum quem vocant conductum Nunciis Bauari, & Germaniæ Principum, modò ne numerum sexaginta personarum excederent, pro reconciliatione mittendis concessit. epist. Benedict. hoc anno.* Col. 873. X.

36. Quia Bzouius nullum alium testem, quàm Benedicti epistolam nominat, facit, vt eum nec prehendere, nec reprehendere, queam; possum tamen etiam non credere quod causas habeam.

ANNVS CHRISTI

1341.

Ludouici Imperatoris XXIIX.

1. Bzouius. *Sed & Ludouicus Bauarus iam Philippo Gallo conciliatus, datis literis Edouardo suadebat, vt arma deponeret, & Pontificis, vel suo etiam arbitrio totum negotium committeret. Se maxima spe niti, posse rationes componendarum omnium discordiarum inter eos inuenire. Visus est non æquo animo Edouardus ferre, eam Ludouici à se secessionem, & cum Philippo consensionem. Quamobrem* Col. 891. l. med.

questus viri siue perfidiam, siue inconstantiam, non eius, sed sedis Apostolicæ iudicium cum Philippo postulauit. MS. Bibl. Vatic. de reb. Anglic. Thomas Valsing. hist. Anglic.

2. Pronunciatum. I. *Anglus questus est viri siue perfidiam, siue inconstantiam.* Iure questum videri vis, vt iniuriæ Cæsarem condemnes: in quo de tua iure queror siue fraude siue inconstantia: fraude quidem, quod accusationem Cæsaris ex Angli epistola attuleris, eiusdem verò Apologiam Cæsareis literis comprehensam suppresseris. Id vt lectori monstremus, placet vtramq; ex Walsing-
P. 157. 24 hamo adscribere.

*Imperator 3. *Ludouicus Dei gratia Romanorum Imperij* semper Augustus, Eduuardo regi Anglorum fratri suo charißimo salutem & fraternæ dilectionis affectũ. Licet innumera grandiáque negotia nostris incumbant humeris, & circa illa multipliciter & aßiduè distrahamur, tamen cum discordia inter te & Phi-*
*nostrum. *lippum Regem Francorum affinẽ vestrum* prædilectum orta, tibi & tuo regno quam plurimum personarum & rerum dispendia, ipsa non sedata in futurum*
*repræsentat. *poterit generare, & nostris se repræsentāt* obtutibus mentémque nostram specialiter angit & excitat, vt adtollendam ipsam, studium & operam nostræ sollicitudinis apponamus. Propterea te scire volumus quod præfatus Philippus ad requisitionem nostram dedit*

*dedit nobis suis literis potestatem tractandi inter te & ipsum super discordia inter vos suscitata, quam & tibi & tuo regno pensatis diligenter omnibus conditionibus & * allegatorum tuorum multipliciter expedire credentes, amicitia tua persuademus, téque cum diligentia hortamur, vt ad hoc tuum assensum prabeas, quod te & ipsum reuocare possimus ad cōcordiam, inter vos pacis fœdera ordinare, ad qua libenti animo vacare volumus & impendere onerosa prosecutione labores. In quo si consiliis nostris consentire volueris & acquiescere, vt speramus, placeat tibi tuis literis nobis dare potestatem, pramissam tractandi concordiam, & treugas per annum vel biennium ordinandi. Nec te moueat amicitia inter nos & Philippum Regem Francorum inita & contracta. Nam ex quo in treugas & certos terminos ad tractandum de concordia inter te & prædictum Regem Francorum accepisti absque nostro scitu, voluntate, & assensu; de consilio nostrorum principum, qui ligias, pacta, & vniones nostras nouerunt, quibus visum fuit, quod hoc (saluo honore nostro) facere possemus, concordiam & amicitiam cum dicto rege Francorum contraximus, & vnionem vniuimus, & vicariatum tibi per nos commissum ex causis reuocamus prænotatis. Pro firmo sciturus, quod in tractatibus nostris sic tibi fraternè prouidebimus, quòd si nostris consilijs acquiescere* vo-

* & red.

Videtur redundare in

volueris, causa tuã ad finem bonum (mediante consilio nostro) producetur: super quibus tuam amicitiam de nostra intentione plenius informaturum religiosum Virum fratrẽ Eduuardum lectorem ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini, specialem nostræ Curiæ Capellanum, tuæ fraternitati transmittimus, quem petimus super præmissis celeriter expeditum remitti. Dat. Francofordiæ, &c. anno Imperij nostri 27. Clausula deprauata, legendum enim, *Anno regni nostri 27. Imperij verò 13.* Sic enim Ludouicus annos numerare solebat, vt ex pluribus eius ad calcem Germanicorum scriptorum à Frehero adiectis epistolis constat. Audiamus porrò Walsinghamum. *Rex autem Angliæ Eduuardus Ludouico prædicto rescripsit in hac verba.*

5. *Serenissimo Principi Domino Ludouico Dei gratia Romanorum Imperij* semper Augusto, Eduuardus eadem gratia rex Franciæ & Angliæ & Dominus Hiberniæ salutem & votiuis semper successionibus gratulari. Serenitatis vestræ literas reuerenter recepimus, inter alia continentes, quod Philippus de Valesio ad tractandum inter nos & ipsum concordiam, dedit vobis ad requisitionem vestram suis literis potestatem. Et si placeret vobis*, potestatem huius vobis dare, libenti daretis animo labores, & operam ad dictam concordiam reformandam, & quod amicitia inter vos & Philippum minimè nos moueret, nam*

*Imperatori.

*nobis.

nam ex quo sine scitu & assensu nostro treugas ac terminos ad tractandũ de pace inter nos & dictum Philippum accepimus, dictam amicitiam cum eo de consilio principum vestrorum, quibus visum fuerat, quod hoc (saluo honore vestro) possetis facere, contraxistis, vicariatum nobis per nos commissum reuocastis. Et quidem zelum quem habetis ad faciendam dictam concordiam, plurimum commendamus. Et reuera votiuum foret nobis admodum & acceptum, si posset fieri per tanti mediatoris instantiam pax optata. Sed quia scimus ius nostrum in regno Franciæ satis clarũ, illud arbitrio dubio non proponimus ducere alicui per nostras literas committendas*, verum dum attenta meditatione pensamus, qualiter vestra consideratio circumspecta videns nostram patentem iustitiam, & dicti Philippi duritiam obstinatam & iniuriam, nobiscum contra dictum Philippum vestri* gratia ligiam fecistis, velut in specialem adoptionis filium de dilectionis exuberantia nos admittentes, vt cum pace vestra loquamur, mirari non sufficimus, quod præpotens vestra sublimitas, quæ ad laudem bonorum & vindictam malorum est diuinitus instituta, contra nos dicto Philippo iniuriatori nostro notorio se ligauit. Et id quod dicitur nos sine scitu & assensu vestro cum præfato Philippo treugas ad tractatum pacis iniisse, non debuit consideratis facti circumstantiis rationabiliter mouisse, quia dum obsidebamus ciuitatem Tor-*

* vo

* commitendum

* nostri

*nacensem, oportuit nos eorum sequi consilia, qui nobis auxilia & comitiuam tunc fecerunt, & hyemis subita vicinitas ac locorum distantia vestram super hoc consulere celsitudinem minimè permiserunt. Immo nobis aliàs (si recolitis) concessistis, quod si opportunitas arrideret, tractare possemus de pace vobis inconsultis, ita tamen, quod sine consensu vestro pacem finalem cum dicto Philippo nullatenus faceremus, quam nunquam facere proponebamus priusquam vestrum super hoc habuissemus prouidum consilium & assensum. Sed in votis gessimus vobis in omnibus facere, quod debuimus iuxta vires, sperantes quod fraterna vestra plenitudo beneuolentia nos ad tempus benignius supportasset. Videtur etiam aliquibus, quod reuocatio dicti vicariatus facta fuerit pramaturè iuxta sponsionem super hoc per imperiales nobis factã, non debuissent * fieri quousque regnum Francia vel maiorem partem eiusdem fuissemus adepti. Pramissa quasumus velit vestra nobilitas debitè ponderare, & vlterius facere quod debet, quia per Dei gratiam vobis & vestris semper iuxta mensuram impensè nobis beneuolentia gratiam faciemus pro viribus repensiuam. Celsitudini vestra donet altissimus votiua felicitatis augmentum. Dat. Londini anno regni nostri Francia 2. regni verò nostri Anglia 15.*

* *debuisset*

4. Ludouicus de Principum suorum, fœderis inter ipsum & Anglum pacti consciorum consilio

lio putauit se saluo honore suo & iure concordiam inire cum Franco, & vicariatum Anglo concessum reuocare posse, ex quo idem Anglus absque eius *scitu, voluntate & assensu* inducias eodem Walsinghamo[a], Argentinensi[b] & Villano[c] auctoribus fecit in triennium, eo tempore cum eodem Franco de pace concilianda acturus. Eduardus negauit Ludouicum id iure facere potuisse. Walsinghamus[d] Bzouiano more causa non discussa, nullâq; reddita ratione Ludouicum fœdifragum proclamat, quia Anglus Anglum amat. Bzouius item affectu non iudicio ductus, nec amore Angli sed odio Ludouici eundem siue perfidiæ siue inconstantiæ damnat seueritate plusquam Areopagitica: nam Areopagitę causidicos ἄνευ ἐπιλόγυ, *sine peroratione*, Bzouius Walsinghamum ἄνευ λόγυ *sine ratione* perorantem audiuit. Nempe mitiori ingenio fuere Rebdorfius & Argentinas Germani, rei gestæ æquales, Walsinghamo iste quinquaginta, ille sexaginta circiter annis antiquiores; Æmilius Italus, qui idem illud Ludouici factum sine vlla perfidiæ vel inconstantiæ mentione commemorant. Audiamus ex ordine singulos.

a *Pag. 160 §. 2. anno 1341.*
b *P. 128. § antep. f.*
c *l. 11. c. 111. f. an. 1340.*
d *Ibid. §. 3. an. 1342.*

5. *Idem Ludouicus*, inquit Rebdorfius, *consumpta parte pecuniæ sibi data à Rege Angliæ, cùm de reliqua parte non posset* RexAngliæ *sibi* Ludouico *satisfacere, auxilium non fecit eidem, propter quod &* *Pag. 429. v. 1.*

multi alij Principes Alemaniæ in subsidium eiusdem Regis non veniunt, prout tractatum existebat: imò Luduuicus familiaritatem contrahit cum Rege Franciæ, sperans per hoc se conciliari Papæ & Ecclesiæ: Rex autem Angliæ nihilominus cum adiutorio Alemanorum, maximè inferiorum, Ducis Brabantiæ, Comitis Holandiæ, Comitis Gelrensis, Comitis Iuliacensis, Flamingorum & aliorum quamplurimorum, cum magna potentia intrauit regnum Franciæ, obsedit ciuitatem Andegauensem, & alia quamplu-
* eidem. *ra damna & scandala intulit idem**.

P. 128. §. pen. 6. *Posthac*, inquit Argentinas, *misit Francus nuncium & literas Imperatrici, filiæ sororis suæ, quã dominam Alemanniæ scripsit, vt inter ipsum et Principem concordiam, si posset, ordinaret, & sibi nuncium, de quo Princeps confideret, de concordia attentanda destinaret. Et missis hinc inde pluries nunciis & literis inter Principem & Francum, interpositis iuramentis, & confectis literis, liga perpetua est firmata: in qua ipse Francus Principem cum sede apostolica reformare iurauit. Et sic Princeps per Francum, & in tota Francia, posthac & Parisiis scriptus est & nominatus Imperator. Cùm autem consiliarij Franci propter processus apostolicos anxij, dubitarent, dicebant nuncij principis: Si estis in proposito nostro, quod processus non ligent, bene consuluistis domino nostro: sin aliter, tradidistis eundem. Et sic Princeps com-*

commissionem Vicariatus factam regi Angliæ, in parlamento publico & literatoriè reuocauit.

7. Denique tu supra anno Christi 1339. ex Æmilio hæc verba scripsisti, *Bauarus, cum Anglus, quod conuenerat, aurum non penderet, cùm Francus amicitiam postularet*, fœdus cum hoc percussit, Anglóque Vicarij nomen & ius abrogauit. *Col. 818. XVI.*

8. Hactenus tibi perfidiam, nunc inconstantiam tuam ostendemus. Nam tu supra passim docuisti Ludouicum rectè atque ex officio & monitis mandatísque Pontificis fuisse facturum, si à societate hostium regis Galliæ, quorum antesignanus erat Eduuardus, discederet, & vicariatum eidem Eduardo commissum reuocaret. Cur ergo nunc eum, quod id fecerit, perfidiæ vel inconstantiæ accusas; aut cur eum aduersus iniustas Angli querelas non excusas? *An. 1336 III. ante m. & VII. §. vlt. §. 1338 XVI. prope pr. 1339. III. §. 2. 1340. IIII & IX.*

9. Pronunciatum II. *Edouardum non Ludouici, sed sedis Apostolicæ iudicium cum Philippo postulasse.* Indicem suum iam tendat Bzouius, & in Eduardi epistola commonstret mihi suum hoc pronunciatum, Edouardum non Ludouici, sed sedis Apostolicæ iudicium postulasse. Nam Eduardus planè contra significat, admodum gratum sibi Ludouici futurum fuisse iudiciũ seu arbitrium, si vllius iudicio arbitrióue ius suum permittendum censeret: at verò id tam esse clarum vt nemini

committendum existimet, *Et quidem zelum,* inquit, *quem habetis ad faciẽdam dictam concordiam, plurimum commendamus. Et reuera votiuum foret nobis admodum & acceptum, si posset fieri per tanti mediatoris instantiam pax optata. Sed quia scimus ius nostrum in regno Franciæ satis clarum, illud arbitrio dubio non proponimus ducere alicui per nostras literas committendum.* Neque vero hoc anno apud Walsinghamum Benedicto potestas datur, nec iu-
P.158.52. dicium eius postulatur. Anno quidem 1343. idem Anglus ad Romanam Curiam Procuratores misit, qui coram Clemente non vt iudice sed vt priuatã persona, nec in forma aut figura iudicij de iure eius in regnum Franciæ tractarent eodem Walsing-
P.163.§.2 hamo auctore.

Col. 891. II. 10. Bzouius. *Quanquam autem Ludouicus Philippo Galliarum Regi conciliatus fuisset, ad Imperium tamen aspirabat, & non tantum in Germania, verum & in Italia res occultè miscebat. Mediolanenses Luchinus & Joannes Vicecomites, qui pro illo steterant, diris ab Ioanne & Benedicto Pontificibus summis percußi: donec hoc anno exemplo aliarum vrbium ad mentem rediissent, & Nuncios Guillelmum Calicem, Leonem Dugnanum, & Maximum Sansonem, Auinionem ad sedem Apostolicam destinassent. Hi in consessum Purpuratorum admißi, coram Benedicto culpam confeßi, intercedente Vercellino Vicecomite,*

mite, à censuris absolutionem, & sacrorum vsum, ex decreto Concilij obtinuerunt: cum in se Principum nomine recepissent, duo Oratoria titulo Diui Benedicti Abbatis, alterum in Ambrosiana, alterum in Diuæ Deiparentis Basilica extruere, ornare, ditare, sacerdotia perpetua in eis instituere; inq; solennitate anniuersaria Diui Benedicti solemni sacro vna cum vrbis præside & senato populoque Mediolanensi interesse; nec non duobus millibus pauperum, panes singulos duodecim vnciarum, in singulos egẽtes perpetuo distribuere.

Erat & alia causa, ob quam Vicecomites, anathemate fuissent percussi, &c. *epist. Bened. hoc anno. Corius histor. Mediolan. parte 3. Paulus Iouius in Ioanne. Bonincontrius in annalibus. Bardus in Chronolog.*

11. Pronunciatum I. *Quanquam Ludouicus Philippo conciliatus, ad imperium tamen aspirabat.* Bella res Bzoui: fuítne inter pacis & amicitiæ pacta, vt iuri imperij renunciaret Cæsar? Et Ludouicus quidem postquam iam vigesimo octauo año imperium administrasset, ad imperiuṁ aspirare à Bzouio dicitur: ad absolutionem adspirabat, quam tamen æmulorum hostiúmq; inuidia non obtinuit, non sua contumacia, vt tute alibi inculcas.

12. Pronunciatum II. *Non tantùm in Germania, verum etiam in Italia res occultè miscebat.* Atrox hæc iniuria est Bzoui; nec illam piabis, nisi contraria

traria & publica voce. Quis ex auctoribus à te notatis ista tradit?

13. Pronunciatum III. *Luchinus & Ioannes Vicecomites, qui pro illo* Ludouico *steterant, diris ab Ioanne & Benedicto Pontificib. summis percussi* &c. *à censuris absolutionẽ & sacrorum vsum obtinuerũt.* Itaque Cæsar noster adhuc Vicecomitibus obfuit, causámque dedit, vt Vicecomites tanto tempore nexibus Ecclesiasticis indurescerent. Hic annus primum eorum tenebras discussit, mentémque meliorem iniecit, vt Pontificiam gratiam tandem exambirent, atque etiam obtinerent. Sed oro te Bzoui, si res ita se habet, cur Corius, ex quo hunc paragraphum sumpsisti, nullam Ludouici Imperato-
N. XV. ris mentionem fecit? Sed & tu anno 1330. scripsisti, Actium Vicecomitem culpa sua maiorúmq; suorum in Ludouicum reiecta, à Iohanne Papa absolutum, & Vicarium Mediolanensis Imperij constitutum: nec post eum annum vsquam retulisti Vicecomites propter Ludouici partes defensas ex-
N. III. communicatos. quin anno 1339. ais, *Benedictus a-*
ante m. *pud Insubres Luchino & Iohanni Vicecomitibus Vicariatum Mediolani auctoritate Apostolica attribuit.* Nec vsquam postea eos Ludouici causa excõmunicatos narras. Quomodo ergo hîc significas eos, quod pro Ludouico stetissent, excommunicatos, donec hoc anno nuncios ad Papam mitterent?

rent? Eam enim excommunicationis causam fuisse significas tum illis verbis, *qui pro illo steterant*, tum §. 2. his verbis, *Erat & alia causa*, nempe præter præcedentem, nulla autem præcesserat apud te, nisi quod pro Ludouico stetissent. O inexhaustam calumniandi libidinem!

ANNVS CHRISTI
1342.
Ludouici Imperatoris XXIX.

1. Bzouius. *Ad 25. diem mensis Aprilis Benedictus Pontifex ex tibia dolore, quàm imperiti medici ne flueret, impedire serò conati sunt, sancto fine quieuit: longiore vita ad Ecclesiasticam disciplinam instaurandam, ádque Ecclesiam & rempub. Christianam florentissima pace stabiliẽdam dignissimus. Gallis quibusdam profanis, quod non omnia ex voto concederet, neque libidini eorum seruiret, mors eius nõn ingrata fuit. Quamobrem ineptientes, in sanctam eius memoriam impiè luserunt, hoc ladorio sepulturæ inscripto.* Col. 709. I

Hic situs est Nero, laicis mors, vipera clero,
Deuius à vero, cuppa repleta mero.

Pij omnes mortem eius deplorarunt, qui memi-

YY *nis-*

nissent illum bono publico vixisse, nec quicquam suis concessisse. Ex sex enim Purpuratis quos semel toto sui Pontificatus tempore dixit, neminem suorum creauit, sed viros egregios vndequaque ad tantam dignitatem vocatos. Multam vim auri, non cognatis suis aut affinibus, sed Ecclesiæ reliquit. Tantæ præterea constantiæ fuit, vt dimoueri à recto, neque vi, neque precario, neque pollicitationibus vnquam potuerit. Bonos quoque impensè diligebat, & vicissim malos ac sceleratos apertè odio habebat. Cúmque reliquis omnibus vitiis infensissimus esset, tum potissimum proditores, periuros, fœdifragos, perfidósque persequebatur. Ludouico Bauaro toties fidem fallenti, aliquando respondit: Dominum perfidiam non impunitam abire permissurum. Hæc causa fuit, cur illum, quanquam propensum haberet erga eum animum, anathemate non exsoluerit, neque ad Romana sceptra admiserit.

2. Pronunciatum I. *Benedictum tantæ constantiæ fuisse, vt dimoueri à recto neque vi, neque precario, neque pollicitationibus vnquam potuerit.* Hîc vnum omittis, Bzoui, nam ad perfectæ constantiæ laudem addendum erat, *neque minis.* At Benedictum Galli minis ac metu, quo minus Ludouico meritam debitámque absolutionem impertiret, absterritum fuisse, non semel demonstrauimus. Quod si tu minas metúmque ad vim reuocas, falsum ad verum reuocas.

Pag. 685. 686.700 701.§.pen. 713.726 727.

3.Pro-

3. Pronunciatum II. *Cæſarem Ludouicum toties fidem feſelliſſe.* Hæc tua eſt criminatio Bzoui; neque id vnquam demonſtraſti; & venditas hîc neſcio quod iaculum à Benedicto in Cæſarem intortum, nec Mutium auctorẽ niſi poſt numerum octauum denique inter multos alios nominas, ne eo inſpecto & tua & illius vanitas appareat. Galli oratores, cùm Rex eorum deliniuiſſet Cæſarem, ſibíque amicum reddidiſſet, apud Pontificem ita cauſam Ludouici egere, vt deteriorem de induſtria reddiderint; nam Regi illi non fuit vnquam animus conciliandi Pontificem cum Cæſare, ſed abſtrahendi Cæſarem ab Anglo. Itaque inter cætera oratores eius apud Pontificem perfidiæ accuſarunt Cæſarem, & Pontifex, ſi Mutio credimus, reſpondit *Dominum hanc perfidiam non impunitam abire permiſſurum.* Sed quo minus recenti Mutio credamus, & antiquorum Iacobi Moguntini atque Alberti Argentinenſis, qui rem hanc diligenter executi ſunt, ſilentium, & manifeſta nos mouet ratio. Eſto enim, ignorauerint legati Gallici cauſam, cur Ludouicus iure cum Gallo fœdus inire, & conceſſum Anglo vicariatum reuocare poſſe viſus ſibi fuerit, eóque perfidiæ accuſârint eundem; certè oratores Ludouici qui eodem Mutio auctore, eidem accuſationi intererant, id crimen haud dubiè refelliſſent; neq; Benedictus inaudita altera parte

ſententiam tuliſſet; aut ſi tuliſſet, reuocaſſet. Sed Bzouio parum eſt errores Mutianos ſequi, niſi eoſdem etiam augeat cum dicit *Ludouicum toties fidem fefelliſſe,* quod nec Mutius dixit, nec Bzouius adhuc oſtendit Cæſarem vel ſemel fidem fregiſſe. Bzouius ſępe fregit vtpote profeſſus vera ſe ſcripturum, quod non rarò omiſit.

4. Sed inſontem eius criminis fuiſſe Imperatorem, non habemus meliorem aduerſus te teſtẽ, quàm te ipſum Bzoui. Scin' quid effutieris anno
N. III. ante m. 1336? à Benedicto ais admonitum Ludouicum, *vt pacta cum hoſtibus Regis Galliarum* (quorum princeps erat Anglus) *inita reſcinderet, ſi Apoſtolicæ ſedis gratiam promereri contenderet.* Et rurſus eodem an-
N. VII. §. vlt. ſ. no, Benedictus *Ludouico Bauaro diſertè ſcripſit, vt à ſocietate hoſtium Philippi ſeſe ſubtraheret: quo tandem Edouardus ſolus Philippo impar, ad concordiam*
N. III. *facilius inclinaret.* Anno denique 1340. *Monuerat,* inquis, *eundem* Ludouicum *Benedictus Pontifex, vt tandem ad faſtum deponendum, & ad pacem cum Rege Galliarum ineundam animum inclinaret.* Accipio tua verba Bzoui, & etiam mea addo. Si Ludouicus fidem fregit, atque adeo perfidus fuit, vti tute tantum Principem laceras, cùm ab Angli fœdere diſceſſit; Pontifex non omnino immunis culpâ fuit, qui eum tot monitis ac mãdatis, ſi tibi credimus, ad perfidiam compulit. Aut igitur iam

Bzoui

Bzoui Ludouicum à perfidia absolue, aut eiusdem Pontificem accusa : in neutro decus tibi parabis, dedecus in vtroque.

5. Pronunciatum III. *Hæc causa fuit, cur illum, quanquam propensum haberet erga eum animum, anathemate non exsoluerit.* Hæc causa non fuit, quicquid tu oblatres; Galli inuidia, odiúmque Siculi viam paci interclusere, vt supra ex auctoribus sæpius ostensum.

6. Bzouius. *Non erat integrum Pontifici in Italiam venire, quòd Ludouicus Bauarus comitissa Tyrolen. olim Ioanni filio Regis Boëmiæ desponsa, filio suo Ludouico, in matrimonium collocata, per speciem occupandi comitatum, Tridentum iam peruenerat, & in Italiam penetrare decreuerat, ad Imperium sibi inuito Pontifice stabiliendum, & ad statum Italiæ perturbandum. Statim enim atq; Benedictum fatis concessisse intellexit, vicarios vrbibus, etiam Pontificiis auctoritate vsurpata præfecit. Ioannem Vici-Dominum Viterbiensibus; Galeotum Malatestam Arimino; Pisanis, Fanensibus & Vrbinatibus Antonium Feretranum; Esio, Galesio, Senogalliæ Criuellum: Fabrianensibus Bagaretum; Metellanis Ismiducium; Sanseuerinatibus Gentilem Veranum: Camertibus Michaelem, Montemilionibus Pangonum; Cingulanis Nicolaum Boscaretum; Rauennatibus, Guidonem Polentanum; Foroliuiensibus &* Col. 914. VI.

Cæsenatibus, Franciscum & Sinibaldum Ordelafios: Fauentinis, Ioannem Manfredum. Aduentu Ludouici in Italiam futuro, Gibellini excitati, in Pontificis studiosos Guelfos multa perpetrarunt: plurimósque eorum vrbibus eiecerunt. Florentini, Baldos & Trescobaldos, cum eorum familia & clientibus vniuersis, solum vertere coegerant: cæterũ in suam oppressionem Malatestam exciuerant. Oppressorum precibus Robertus Siciliæ Rex victus Florentinis Gualterum Brennensem Gallum, præsidiariis multis auctum misit subsidio. Pontifex porro, vt Vrbis & Italiæ statum pacificum conseruaret, & ab Italia ingressu Ludouicum prohiberet, Matthæo Vrsino & Paulo Comiti, Senatoriam dignitatem vsque ad futuram Natiuitatis Domini solennitatem, datis literis Idibus Maij concessit. Deinde Guillelmum tituli Sanctorum Quattuor Coronatorum, & Aymericum tituli Sancti Martini in Montibus Cardinales Apostolicæ sedis Legatos in Æmiliam, Insubriam, Liguriã, Flaminiam & Etruriam destinauit, qui Principes Italiæ aduersus Bauarum fœdere deuincirent, & venienti in Italiam confœderatos opponerent. Præter hæc anathema in temerarium strinxit, & tum Patriarchæ Aquilegiensi, tum omnibus Europæis Archiepiscopis, eorúmq; per Italiam, Gallias, Hispanias, Germaniam, Angliam, Boemiam & Poloniam suffraganeis, vt processus à sede Apostolica aduersus profanum pro-

mul

mulgatos euulgarent, & sacra locis ab eo pollutis interdicerent, præcepit. datis literis 2. Nonas Augusti.

7. Meditatus videris in Ludouicum dicere antequam scriberes, adeò promptus es, & Cæsarem tam importunè, quàm opportunè inimica oratione lacessis. Ne verò lector Clementem VI. Cæsari fuisse iniquiorem Benedicto antecessore suo miretur, rationē eius rei ex Argentinensi transcribo, *Obijt*, inquit, *feliciter Benedictus Papa, octauo anno Pontificatus sui, scilicet anno M.CCC.XLII. de mense Maij, & inclusis Cardinalibus per Seneschalcum prouinciæ, statim electus est Petrus Rogerij ordinis S. Benedicti, Cardinalis, qui fuit Rotomagensis archiepiscopus, progenie militaris, qui nominatus est Clemens sextus. Statim ergo vt electus est Petrus, sermonem faciens, & grates Deo referens, qualiter primo in diuitem Abbatem, postea in meliorem episcopatum, tertiò in optimum archiepiscopatum Franciæ promotus fuerit, & has dignitates omnes grauibus reliquerit sarcinis debitorum grauatas, & postea ad Cardinalatū, & postremo ad summam hanc dignitatem peruenerit, nutu diuino, eò quod priora eum nutrire nequiuerant, per ordinem enarrauit. Hic ab antecessoris sui moribus multùm distans, mulierum, honorum, & potentiæ cupidus, ac suorum auidus promotor, ac seipsum & Curiam de Simonia diffamans, ipse Francus Franco feruenter adhæsit. Tempore quoque* Pag. 132. §. vlt.

quoque coronationis suæ, primogenito Franci, qui cũ duce Burgundiæ auunculo suo aderat, magnam pecuniæ summam erogauit. Qui filius Franci, gener Bohemi intrans Consistorium, pro rege Alemanniæ rogauit, sed in dolo. Hic Papa cum arma progeniei suæ haberet quinque rosas, contra morem antecessorum, totidem rosas poni fecit in Bulla. Qui cum adhuc esset Rotomagensis, Parisiis in præsentia Franci & Bohemi publicum sermonem faciens, ipsos contra Principem animauit, &c. *Hic omnes ecclesias mundi per petitiones in immensum grauauit. Et cùm quæreretur, an pauperes clerici bene examinari deberent, respondit, quòd montes & colles ipsos examinassent. Cui Papæ rex Angliæ de consilio cleri & populi Angliæ rescripsit, quòd in concessiones huius, quas ipse Papa faceret, præsertim aduenis, qui thesauros Ecclesiæ deferrent, & in prouisiones prælaturarũ, nullatenus consentiret: quia cùm olim reges Angliæ ecclesiarum patroni de consensu sedis Apostolicæ capitulis concesserint electionem, si Papa pacta huiusmodi non seruaret, res in pristinam reuerteretur naturam.* Hæc Argentinensis, vt mirum non sit, nihil æqui Imperatorem à tali impetrasse Pontifice.

8. Pronunciatum I. *Pontifici non erat integrum in Italiam venire, quod Ludouicus Tridentum iam peruenerat, & in Italiam penetrare decreuerat.* Fingis & absque auctore ais non fuisse integrum Clementi

menti in Italiam venire, quod Ludouicus in Italiam penetrare decreuiſſet. Quis Clementem de reditu in Italiam vel cogitaſſe dicit? Francus Franco feruenter adhærebat, vt modò Argentinenſis dicebat. Sed eum grauiter offendiſſet, ſi reditum in Italiam tentaſſet. Non ergo veriſimile eſt, id Clementem cogitaſſe, præſertim cum nullum huius rei adferas auctorem.

9. Pronunciatum II. *Ludouicus Piſanis, Fanenſibus & Vrbinatibus Antonium Feretranum præfecit.* Incerta Ludouici acta quæ anno 1339. loco non ſuo & ante tempus, vt ibidem oſtendimus, retuleras ex Blōdo, hìc repetis ex Platina, niſi quod vicarios auctoritate vſurpata à Ludouico præfectos ſcribas, quos Platina imperiali auctoritate cōfirmatos ſcribit. De vicariis deinde & vrbibus Platinæ cum Blondo conuenit; tibi non modo cum neutro, ſed neque tecum ipſi. Supra enim dixeras, Antonium Feretranum Piſauris à Ludouico vicarium datum, hìc pro Piſauris Piſanos ponis, & Vrbinates ſupra omiſſos adiungis, quibus quidem ſolis Antonium Feretranum à Ludouico datū Blondus & Platina ſcribunt. *N. III. poſt m.*

10. Pronunciatum III. Ludouicus *Eſsio, Galeſio, Senogalliæ Criuellum* præfecit. Supra loco nominato & quidem ex mente Blondi Platinæque rectè ſcripſeras, Nicolaum Boſcaretum Eſſij domi-

natum accepisse: nullius Criuellij hoc loco auctores meminêre.

11. Pronunciatum IV. *Fabrianensibus Bagaretum* præfecit. Perperam Bzoui: supra rectius tradideras Alegretum præfectum.

12. Pronunciatum V. *Metellanis Ismiducium* præfecit. Supra tuus sermo erat, & quidem non culpandus, Ismiducium S. Seuerino impositum.

13. Pronunciatum VI. *Sanseuerinatibus Gentilem Veranum* præfecit. Malè: supra rectè Gentilem Varaneum Camerino impositum.

14. Pronunciatum VII. *Camertibus Michaëlem* præfecit. Perperam; ex teipso supra corrigeris, vbi ais Michaelem Monti Milonis impositum.

* Monti Milionis 15. Pronunciatum VIII. *Montemilionibus* * *Pangonum* præfecit. Erras & contra te; nam supra dixisti Pangonū (quē Blondus Paugonum, Platina Pongonium vocat) Cingulo præpositum fuisse.

16. Pronunciatum IX. *Cingulanis Nicolaum Boscaretum* præfecit. Et hîc tui oblitus es, nam supra Boscaretum Esio rectè præfecisti.

17. Pronunciatum X. *Rauennatibus Guidonem, Foroliuiensibus & Casenatibus Ordelafios.* Rectè vtrobique, nisi quod supra perperam Guitonem, rectè Ordelaffios, hîc rectè Guidonem, perperam Ordelafios scripsisti. Platinam audiamus, quia eum testem adducis; quem si lector cum tuo

cento-

centone contulerit, de tua diligentia iudicium feret, quale non expectas, sed vereris. *Verùm cùm intelligeret*, inquit, *totam Italiam in tumultu esse, solos Luchinum & Iohannem Vicecomites, vicarios Insubriæ confirmauit, de reliquis Italiæ Principibus nulla mentione habita. Existimabat enim solos vicecomites Bauaro resistere posse, in Italiam (vt ipse prædicabat) descensuro, qui vicissim vt par pari Pontifici redderet, in ditione Ecclesiastica multos vicarios Jmperiali auctoritate confirmauit. Nam Johannem de Vicourbis, præfectum Viterbij: Galeotum Malatestam & fratres, Arimini, Pensauri, Fani: Antonium Feletrarium, Vrbini: Nolphum & Gallasium fratres, Callij: Alegretum Clauellum, Fabriani: Bulgarutium, Matelicæ: Ismedutium, Sancti Seuerini: Gentilem Varraneum, Camerini: Michaelem, montis Milonis: Pongonium, Cingoli: Nicolaum Boscaretum, Esij; Guidonē Polentensem, Rauennæ: Franciscum & Synebaldum, Foroliuij & Cesennæ: Johannem Manfredum, Fauentiæ dominos confirmauit.* In Clem. VI. propē pr.

18. Pronunciatum XI. Clemens *anathema in temerarium* Ludouicum *strinxit*. Poteras adiicere Bzoui ex Nauclero, cur Clemens id fecisset. *Hic Pontifex*, inquit, *accepta dignitate sacra, vt antè semper infensus Ludouico Bauaro Cæsari, modò in gratiam Franci regis excommunicationis sententiam in Bauarum latam confirmat.*

Col. 915. VI.§.2. 19. Bzouius. *Cæterum cùm processus à Ioanne* XXII. *in illum promulgati longè prolixiores essent, quàm vt singulis diebus Dominicis & festiuis possent commodè, ad minimum vsque verbum pronunciari, decreuit Clemens vt posteaquam semel illos continuata seriè ad populum euulgauerint, deinceps à repetita lectione eorum prolixa abstinerent, contenti singulis Dominicis & festis diebus, pulsatis campanis & candelis accensis Ludouicum Bauarum diris deuotum pronunciare. Dedit ea de re Clemens literas apud Villam Nouam Auinionens. Diœcesis 2. Non. Aug.*

VII. *Eiecit insuper Clemens cœtu piorum, omnes & singulos, quicunque Ludouico adhæsissent, aut consilio vel auxilio fauissent. Henricus Moguntinus Archiepiscopus in his fuerat, qui Ludouico fauebat, & censuras Apostolicæ sedis aduersus illum publicare contemnebat. Hic quod armis potens esset, Benedicti Pontificis monita & diras ob eam communicationem cum Bauaro* x. *Cal. Martij Pont. anno 4. prolatas necquicquam pensi faciebat. Cúmque ad eum non tutus pateret accessus, Clemens adfixo ostiis Auinionen. Ecclesiæ monitorio edicto, diem illi apud sedem Apostolicam infra quatuor mensium decursum dixit. datis literis Auin.* XVI. *Cal. Nouembr.*

20. Non ero longus, Bzoui: narras hìc multa ex epistolis Clementis, & crederem ea, si ex iis te narrare cognoscerem: nunc dabis veniam, si caput qua-

quatiam, & fidem abrogem, quando sæpius fefellisti.

21. At verò quid causæ fuit, mi Bzoui, quòd tu tanquam magnus πατέρα πνευματικον (ita tu scientissimus linguæ græcæ in nominatiuo loqueris accentu in quartam syllabam reiecto, & quidem vtrumque bis, ne quis errorem typographo adscribere possit) seu pater spiritualis omittas pacem à Cæsare totâ Germaniâ compositam? inuenisses tamen rem dignam annalibus in Rebdorfio tuo. Si coniecturæ locus est, facilè ad scopum collimabo. Scilicet hæc pax supprimi debebat, ne lector aduerteret, Germaniam omnem Cæsari fauisse, & Pontificis iram in Ludouicum vt nimiam non tanti æstimasse. *Regni sui* XXVIII. ait Rebdorfius, *idem Luduuicus generalem pacem in Alemania fecit, in Sueuia, Bauaria, Franconia, & circa Rhenum, qualis antea longo tempore citra non est audita: quam iuramentis suis firmauerunt Principes, Domini & Ciuitates, & iudices speciales huius pacis sunt dati.* Nec hoc satis, omisisti itidem legationem hoc anno à Cæsare Auinionem ad Pontificem Clementem missam. Quamob rem? ne lector cognosceret, quo animo & quanta contentione Cæsar reconciliationem quæsierit, & quàm non fuerit in eius potestate, terrarum orbi pacem reddere. *Solennes*, ait Rebdorfius, *nuncios, videlicet Dominum*

N. XXIX. §. 2.

P. 433. §. 2.

Ibid. § 4.

Delphinum Viennensem militum nomine, qui postea factus est monachus & patriarcha (vt infra sub Clemente) cum quibusdã aliis secretariis suis idem Luduuicus mittit ad Papam Clementem VI. *pro reconciliatione ipsius ad Ecclesiam cum pleno procuratorio, in quo dat potestatem confitendi multos excessus, quibus offendit Ecclesiam, prædictis nunciis & procuratoribus suis, & gratiæ Papæ & Ecclesiæ valde humiliter se submisit.* Quid amplius postulas Bzoui? an non satis istud est in tanto Principe? In eos stylum & eloquentiam tuam conuerte, quibus ad iusti rectíque rationem aures clausæ erant.

ANNVS CHRISTI 1343.

Ludouici Imperatoris XXX.

Col. 919. N. 1. 1. BZouius. *Ad* II. *Idus Aprilis Clemens Pontifex in Ludouicum Bauarũ contumacem publicè, coram innumera populi multitudine omnes Ioannis* XXII. *processus & censuras confirmauit, atque renouauit: ipsúmq; & hæreticum & schismaticum declarauit, omniq; authoritate & honore Imperiali priuatum denunciauit, & per sententiam priuauit; nec non Treuerensi Archiepiscopo, ac reliquis electoribus*

Imperij

Imperij perſcripſit, vt ſe ad alium Imperatorem deſignandum diſponerent, ep. 210.

Huius ſuæ declarationis & ſententiæ has præcipuè cauſas adiunxit Clemens. Primum, quod affirmaret Ioannis XXII. *definitionem de paupertate Chriſti & Apoſtolorum eſſe hæreticam, & iuraſſet ſe credere contrarium. Deinde quòd aſſereret ad authoritatem Imperatoris pertinere, Papam inſtituere & deſtituere. Adhuc, quòd citatus ſuper hæreſi, & propter contumaciam excommunicatus inſorduerat in cenſuris annis plus decem. Item quòd Ioannem de Ianduno hæreſiarcham domi ſuæ fouerit. Quòd Epiſcopos conſtituere præſumpſerit. Quòd Eccleſiaſticum interdictum violarit, & eos qui violare noluiſſent, ſacerdotiis expulerit. Quòd matrimonia in facie Eccleſiæ ſolenniƷata diſiunxerit, & alios in gradibus prohibitis coniunxerit. Poſtremo, quod olim idolum in Eccleſia Dei conſtituerit, ſcilicet Petrum Corbarium Antipapam creauerit, & legitimũ Pontificem deponere conatus ſit. Hæ cauſæ condemnationis & depoſitionis Ludouici fuere. In quibus quod Henricus Vrembergius Moguntinenſis Archiepiſcopus Ludouico communicaret, eundem Clemens anathemate damnauit, & ad dicendam cauſam, diem illi Auinione dixit. ep. 46.*

2. In parte fortunæ tuæ eſt, Bzoui, quòd in Vaticano mihi tanta facultas non ſit, quanta tibi

eſt.

est. Regestra & literas Pontificum æque claris oculis, vti puto, inspicerem, atque tu; quod si in illis non viderem, quæ tu vides, culpa aciei obtusæ adscriberetur, quia oculi mei tantùm ea vident, quæ sunt. Superiori anno iam de anathemate in Ludouicum intorto dixeras, & iam hîc magno cum tonitru idipsum iteras, vt annales tui grandescant.

3. Pronunciatum I. *Ad 11. Idus Aprilis Clemens Pontifex in Ludouicum contumacem, publicè, coram innumera multitudine omnes Ioannis* XXII. *processus & censuras confirmauit.* Ad Græcas Kalendas dixisses potius; nam vndecimus Idus tam non in rerum natura est, quàm Kalendæ græcæ: adhuc tantùm octo idus mensium esse sciebam; nunc video & cursum solis productū & dies auctos. Quod si velis dicere ad secundum Idus, ineptus es, nec enim sic loquimur, sed pridie Idus, quod ex Breuiario, in quo malè versatus videris, discere poteras. At *coram innumera multitudine Clemens censuras confirmauit*; itáne verò Auinione innumerabilis populi multitudo? Et quid si Auinionenses etiam non omnes comparuissent in hoc cœtu? nihilominus Bzouio innumerabilis multitudo comparuit. Quid porro est, quod Bzouio auctore Clemēs
N.VI.§.2. & hoc & superiore & sequente 1346. anno, Iohan-
N.IX.§.2. nis XXII. & non etiam Benedicti XII. in Ludouicū censuras confirmauit? Nimirum Benedictus nullam

lam in Ludouicũ cenſuram tulerat, & tamen Bzouius perſuadere nobis conabatur, Ludouicum anno 1340. ob innuptas nuptias diris fuiſſe deuotum. *N III.*

4 Pronunciatum II. *Huius ſuæ ſententiæ has præcipuè cauſas adiunxit Clemens. Primùm, quòd Ludouicus definitionem Joannis* XXII. *de paupertate Chriſti & Apoſtolorum hæreticam affirmaret, & iuraſſet ſe credere contrarium.* Ain tu Bzoui? Ludouicus hoc etiamnũ affirmabat. Non affirmabat, nec affirmarat vnquã, nec iurarat ſe credere contrariũ, vt ex eius epiſtola à te año 1336. recitata, elucet, vbi in hæc verba Benedicto XII. ſcripſit, *Item* mittimus legatos noſtros *ad confitendũ vice & nomine noſtro, & pro nobis, quod conſtitutionẽ,* Cùm inter nõnullos, *de paupertate Chriſti loquentẽ, credimus fore verã & Catholicam; & quod articulos, videlicet Redemptorem noſtrum & Dominum Jeſum Chriſtum, eiúſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua nec etiam in communi. Rurſus quòd Redemptori noſtro præfato, eiúſque Apoſtolis, in his quæ eos habuiſſe ſacra ſcriptura teſtatur, nequaquam ipſis ius vtendi ſeu conſumendi competierit, nec illa vendendi, ſeu donandi ius habuerint; credimus fore iuſtè & ritè per Eccleſiã damnatos ibidem: quos etiam nos ſicut bonis & fidelis Chriſtianus damnamus, anathematizamus, damnabimus & anathematizabimus.* *N 17. N 19. & ſeqq.*

Jtem ad confitendum vice & nomine noſtro, &

pro nobis, quod in appellatione quam fecimus contra quondam Dominum Papam Ioannem continetur, quod iurauimus omnia ibi contenta vera esse, cùm tamen multa ibidē hæretica & per Ecclesiam damnata contineri dicantur circa paupertatem Christi & Apostolorū, multa etiam blasphemia, & super his nos excusandi. Primò, quòd nos expreßè excepimus, & diximus, cum dicta appellatio coram nobis facta fuit, quod de opinionibus Fratrum Minorum de paupertate Christi, & de Ecclesiæ determinationibus, nos immiscere seu intromittere minimè intēdebamus: sed de his duntaxat, quæ ius nostrum & Imperij tangebant.

Item quòd nos nunquam iurauimus, licet sic esset scriptum in appellatione.

Item quòd reperitur quod Notarius qui hoc fecit, scilicet Vlricus Groildonis, malitiosè, & in vindictā contra nos, dicendo se per nos fuisse læsum, istam appellationem de consilio aliquorum volentium talem diuisionem seminare, quod nunquam valeret eam aliquis reparare, fieri procurauit, & hoc confessus est in morte, vt à pluribus asseritur.

Item quòd illa non credidimus, neq; credimus fore vera, in quantū sunt contra fidē & Ecclesiæ determinationē, nec subtilitates ibidē contentas, nec illos articulos intelleximus, cū tales, & taliū ignari existamus.

Item quod de blasphemiis & falsis, ibidem positis, dolemus, quod ibi posita fuerunt & publicata.

5. Hæc

5. Hæc ad Benedictum perſcripta cùm Clementi ſucceſſori minimè incognita fuerint, ægrè adducor, vt credam eum pronunciaſſe, quæ hoc ſecundo Bzouij pronunciato continentur. Aduerte porrò appellationem, de qua paulò antè, non eſſe illam, quam nos pridē deſcripſimus (quippe in qua nil de Chriſti & Apoſtolorum paupertate) ſed aliā ac fortaſſe eam de quā anno 1324. Bzouius, & nos ibidem. Ac videtur Vlricus Groildonis illa de paupertate, blaſphemiis & Ludouici iuramento fraudulenter aſcripſiſſe, atque, cùm appellationem coram Ludouico legeret, reticuiſſe: ſed Cæſarei legati Auenionem eodem illo anno 1336. prius miſſi (bis enim eo anno miſſi fuere, vt ſuo loco expoſuimus) fraudem cognouerint, déque ea Cæſarem certiorem fecerint. *Pag. 241. 39.* *N. VII.* *Pag. 242. 29. & 1. 59* *Pag. 637. 4. & 21.*

6. Pronunciatum III. *Deinde quòd aſſereret ad authoritatem Imperatoris pertinere, Papam inſtituere & deſtituere.* Non hoc aſſerebat; nec quod ſciam, aſſeruerat; aut dic vbi & quando hoc Ludouicus aſſeruerit. Ludouicus ipſe in ea quam diximus, à Bzouio recitata epiſtola diſertè profitetur. *Nunquam credidimus, neque credimus, quod neque ad Imperatorem, neque ad Romanorum Regem, nec ad Romanum populum ſpectet Papam deponere, & alium creare; & ideo actus illos reprobamus.* Itaq; etiamſi quando eiuſcemodi quippiam aſſe- *N. 1.*

 ruiſſet,

ruisset, non tamen asserebat amplius, ac proinde hocanno non potuit excommunicari, quod asseret, sed neque quod asseruisset, quandoquidem assertionem eam, si vlla fuit, conscio haud dubiè Clemente, iam dudum reuocarat.

7. Pronunciatum IV. *Adhuc, quod citatus super hæresi & propter contumaciam excommunicatus insorduerat in censuris annis plus decem.* Quando & à quo Ludouicus super hæresi citatus, & propter contumaciam, seu quòd non cōparuisset, excommunicatus fuit? Vbi tu hoc narrasti aut cur omisisti? Quid porro de decem annis ais, per quos & aliquantum vltra in excommunicatione Ludouicus
[a] N. VII. perstiterit? te teste excomunicatus fuit año 1323[a].
[b] post m. N. I. II. & XI. aut minimum 1324[b]. à quo si numeres vsque ad hunc 43. reperies annos 20. vel 19. nam interea absolutionem nullis legationibus impetrare potuit, diutius ergo nexibus Ecclesiasticis inhæsit, quàm
[c] N. II. annis plus decem. Sed de hoc plura anno 1346[c]. &
[d] N. XXXI. 1347[d].

8. Pronunciatum V. *Item quod Ioannem de Ianduno hæresiarcham domi suæ fouerit.* Atqui huius
N. IV. 5. 25. 35. 36. facti veniam anno 1336. vt tute narras, à Benedicto petierat, & satisfactionem obtulerat: quid vulnus obductum refricaret Clemens?

9. Pronunciatum VI. *Quòd Episcopos constituere præsumpserit.* Tu Bzoui summa imis, postre-

ma

ma primis confundis. Mutius hæc narrat contigisſe poſt nouam & inſperatam demum excommunicationem; & tu inter cauſas excommunicationis dinumeras, tanquam hoc factum anteceſſiſſet. Fecerat id quidem Ludouicus etiam antea, ſed anno 1336. vel te auctore, facti veniam petierat, & ſatisfactionem obtulerat: neque poſtea, quod ſciam, ad hoc vſque tempus Epiſcopum vſquam conſtituit: quanquam mirandum non eſſet, ſi conſtituiſſet, quando & Pontifex vicarios Imperiales conſtituit. Ita fit vbi ſemel pacis leges ruptæ ſunt, & hoſtiliter omnia, multa aliter quàm oportet agũtur. N. IV. 9. 29. 35. 36.

10. Pronunciatum VII. *Quòd Eccleſiaſticum interdictum violarit, & eos qui violare noluiſſent, ſacerdotiis expulerit.* Huius quoque facti veniam petierat, & ſatisfactionem, vt tu Anno 1336. confirmaſti, obtulerat: & Benedictus tam interdictum, quàm excommunicationem Ludouici ac ſuorum ſublatam vehementer cupiebat, quamuis metu Galli ſententiam interponere ſuam publicè non ſit auſus. Itaque Epiſcopi & Archiepiſcopi Germaniæ anno 1338. Francofurti in Comitiis decreuere, ne quis deinceps Ludouicum pro excommunicato haberet, aut interdictum ſeruaret auctore Rebdorfio, ídque etiam quod eas ſententias ab initio ratas non fuiſſe iudicarent. Sed hac de re fortaſſe plura anno 1347. N. IV. 27. 35. 36. Pag. 426. 34. N. XXXI.

11. Pronunciatum VIII. *Quòd matrimonia in facie Eccleſiæ ſolennizata diſiunxerit, & alios in gradibus prohibitis coniunxerit.* Bzouius ex vno matrimonio matrimonia plura deducit; & tamen ſuprà diximus etiam in illo matrimonio Eccleſiæ iudicium interueniſſe. De quo plura anno

N. II. 1346.

12. Pronunciatum IX. *Poſtremò, quod olim idolum in Eccleſia Dei conſtituerit, ſcilicet Petrum Corbarium antipapam, & legitimum Pontificem de-*

an. 1338. IV. 1.2.3 85.36. *ponere conatus ſit.* Huius quoque facti veniam, te narrante, à Benedicto petierat, & ſatisfactionem obtulerat: quibus rebus eo vſque Benedictum ſi-

Pag. 126. §. 2. f. bi demeruerat, vt is apud Argentinenſem *meritò dixerit abſolutionem eidem impertiri ſe debere, quæ & dari in craſtino ſperabatur.* Quo modo nunquam locutus Benedictus fuiſſet, niſi ei omnes iam offenſas præcedentibus pronunciatis à te allatas ex animo condonaſſet. Quare non erat cur condonatas ſucceſſor reuocaret.

Col. 939. II. §. 1. 13. Bzouius. *Ab his diris Ludouicus magis irritatus, animi & bilis ſatis habens, Pontificem contempſit, edictáque nihili duxit. Quódque deterius eſt, ſacerdotia, Epiſcopatus, omnéſque Eccleſiaſticas dignitates ex ſuo arbitrio amplius conferre, & quicquid antea authoritate Pontificia in Eccleſia & collegiis, vniuerſitatibúſque fiebat, iam Imperiali*

periali potestate confirmare, abrogare, mutare & innouare, non absque scandalo & conscientiarum carnificina voluit, Ecclesiaeq; statum miserrimum effecit.

14. Quia tu Bzoui, hæc ex Mutio describis, cur occultas, quid bilem Ludouico concitarit? Mutius tuis verbis hæc præmittit, *Clemens hic, dum adhuc esset Cardinalis, Regis Franciæ summus amicus, Ludouici verò inimicus fuit: quare statim post arreptum Pontificatum Ioannis* XXII. *Pontificis, execrationis sententiam in Ludouicum Imperatorem confirmat, & denuo excommunicat omnes, qui illi adhærent, & non statim ab eo discedunt.* Hæc Mutij omisisti, reliqua eiusdem egregiè quà minuis, quà amplificas. Mutius mutua Ludouici & Clementis certamina & facta aduersaria refert, aítque, *Sed hæc non absque scandalo & conscientiarum carnificina fiunt in Ecclesia, factúsque est prorsus Ecclesiæ status miserrimus.* Bzouius ita omnia refert, quasi Ludouicus & quidem solus miserrimi Ecclesię status, scandalorúmq; & conscientiarum carnificinæ causa fuisset: quod Mutius non scribit. P. 239.41

15. Bzouius. *Cùm autem Clemens pro zelo pastorali in furibundũ magis procederet, ipse non esse verũ Pontificẽ vbiq; blatterauit: donec in maximas difficultates sese coniecisset, cùm passim ab eo proceres desciscerẽt, & populariũ tumultus cõciretur. Ibi Gallorũ* Col. 939. II.§.2.&3

Regem

Regem interpellauit, vt Clementem sibi propitium redderet, & ab eo dignitatem Imperij obtineret. Non abnuit Clemens, si modò Ludouicus Legatos ad sedem Apostolicam mitteret, qui eius nomine omnes hæreses & errores, quorum reus peragebatur, eiurarent, atque Imperij titulum in Pontificis arbitrio deponerent.

Misit ille Henricum Archicancellarium & auunculum suum, Augustanæ & Bambergensis Ecclesiarum præpositis comitatum, qui iussa Ludouici perficerent. Et spes erat illum in gratiam sedis Apostolicæ posse redire, nisi aliqui Principes Germaniæ hominem præcipitem seduxissent, vt is comitio Francofordiam indicto negauerit se pactis velle stare, quasi legati contra iura Imperij egissent, & Pontificiæ auctoritati nimium detulissent. Non deerant plurimi, qui Romanæ sedis authoritatem reuerendam esse & tuendam multis comprobarent; illud solenne inculcantes; Religionem ante omnia ponendam fore: quæ nisi sit in suo loco & dignitate, Resp. nulla consistere potest.

Ab horum consiliis alios Legatos Ludouicus ad Clementem ire iussit, qui sanctionem Francofordianam illi referrent, & prioris transactionis legatorum irritationem postularent. Quos vt Clemens audiuit inque contumacia Ludouicum persistere agnouit, Gallorum & Boëmiæ Reges aduersus illum euocauit, útque Ecclesiæ propter eum laboranti auxilium ferrent inuitauit. Mutius Chron. Germ. lib. 24.

16. Bzo-

16. Bzouius ex Mutio excipit ea solùm, quæ Ludouicus contra Pontificem actitabat; ea autem, quæ contra Ludouicum gesta sunt, prętcrit, nescio qua fide. & quæ hæc est prudentia Bzoui, ex hæretico, aut hæreticis amico narrare Cæsaris & dicta & facta contra Pontificem? Scimus eiuscemodi hominibus in ore nasci, quæ narrationi addant, imò vt interdum quædam dici possint, quædam confinguntur. Contra etiam fit, vt quæ Pontifex agit, in deterius, & rapiantur & torqueantur. Poteras res gestas ab alio quàm ab isto petere; aut si petere hinc omnino sederat, non frustatim quæ arridebant, sed integra, quæ ad rem faciebant, excerpere. Ignosci autem aliquantum Bzouio posset, si saltem fragmenta ex Mutio non auxisset, aut mutasset: attendamus.

17. Pronunciatum I. *Clemens in furibundum magis procedebat.* Pulchra hæc paraphrasis est Mutiani illius dicti, *Papa fulminibus terret mentes eorum, qui adhærent Ludouico.* Cæsar nihil contra Pontificem ante excommunicationem molitus est, sed post demum seueritate sententiæ commotus. Dicat autem Bzouius, quomodo magis post excommunicationis decretum Clemens processerit. Satis iam processum erat, quum anathemate percussus fuit Cæsar, vt tu narras; sed ego dubius hæreo propter hunc Argentinensis sermonem, *Si-* P. 133. § 3

mulauit autem Papa se reformationem Principis affectare: missisque iterum atque iterum nunciis per Principem ad Papam & ad regem Franciæ, illóque literis & nunciis intercedente pro ipso, sed vt videbatur, in dolo: legati verbis diu tenti, finem habere non valentes infecto negotio sunt reuersi. Papa autem monitionem literis ostiis ecclesiæ Auinionensis affixit contra Principem, vt vsque ad certum diem satisfaceret Deo & Ecclesiæ, & ab occupatione iurium Imperij desisteret, & plura alia faceret sub grauium comminatione pœnarum. In quo termino, in Consistorio, & crastino similiter, Latinè & Teutonicè clamari fecit, si aliquis adesset pro Ludouico de Bauaria: nemine tamen comparente. Et licet contra eum intendisset acriter procedere: tamen ipsum Ludouicum reputauit solummodo contumacem. Scripsit etiam Princeps Franco, cùm certum esset Papam ad nutum suum regi, si quid contra se fieret, hoc à Franco haberet, & secundum hoc se regeret: & ipse Princeps literas Franci Principibus ostendebat. Vnde pro tunc Francus scripsit Papæ quod nullatenus procederet contra Ludouicum.

18. Pronunciatum II. Ludouicus Clementem *non esse verum Pontificem vbique blatterauit, donec in maximas difficultates sese coniecisset, cum passim ab eo proceres desciscerent, & populariũ tumultus concitetur.* Modeſtè Bzoui: tu & tui ſimiles blaterant; Imperatores & Principes tametſi aliquãdo iracundius

dius loquantur, blaterare tamen non dicuntur, nisi ab illo qui caulæ potiùs quàm aulæ insuetus est. Cur non modestiæ & elegantiæ pleno *prædicandi* verbo vsus es, quo & Mutius? *Ludouicus*, inquit, *nō esse verum Pontificē vbiq; prædicat.* Cur deinde hoc pronunciatum ex tuo cerebro excudis? vbi Mutius refert, passim ab Cæsare Proceres desciuisse? ne vnum quidem Mutius nominat; tu multos inculcas. Vbi item Mutius ait, passim popularium tumultus concitos? nusquam. *Tu maximas difficultates* memoras, Mutius *res difficiliores.* Tu Bzoui, Mutius es, sed Mutius non est Bzouius.

19. Pronunciatum III. *Non abnuit Clemens, si modò Ludouicus Legatos ad sedem Apostolicā mitteret, qui eius nomine omnes hæreses & errores, quorū reus peragebatur, eiurarent, atque Imperij titulum in Pontificis arbitrio deponerent.* Longè aliter Mutius P.239.48 in hunc modū scribit, *Rex Franciæ, quemadmodum ante quoque, sic & nūc agit causam Imperatoris apud Pontificē, & pro ludo habent sibi Imperatorē. Respondet igitur Gallus legatis, si Ludouicus petat gratiā & absolutionem, vt subditum & pœnitentem decet, se aliquid impetraturum ab Apostolico. Legati, Regis & Pontificis inimicum iniquúmq; animum ignorantes, respondent, in Pontificis & regis manum & voluntatē ponere, vt literas absolutionis, & mandatum ad formam quam velint faciant. Legatis enim erat potestas*

data facienda quicquid placeret, & in mandatis habebant, vt quocunque modo fieret operam darent, quo absolutionem & gratiam Papæ consequerentur. quare procuratores curiæ Pontificiæ petiere sibi præscribi formam placentem Papæ.

20. Pronunciatum IV. *Misit* Ludouicus *Henricum Archicancellarium & auunculum suum, Augustanæ & Bambergensis Ecclesiarum Præpositis comitatum.* Hoc scilicet est Mutium ex professione sequi; Mutius (sicut & Nauclerus) quatuor legatos commemorat, Bzouius tres; nam & Archicancellarium, quem Mutius Henricum appellat, & Hunibertum, vel potius Humbertum Imperatoris auunculum in vnum conflat, & confundit solita diligentia. Sed errat etiam Mutius in Henrici nomine: Vlricus enim Cancellarius vocabatur, teste Argentinate eius temporis scriptore, qui oratores propiùs nouit, quàm Mutius & Bzouius. *Dabatur in eo* procuratorio *potestas*, inquit Ar-
P. 133. §. 4. v. 44. gentinas, *Humberto Delphino auunculo Principis, item Augustensis & Bambergensis Ecclesiarum Præpositis, item M. Vlrico Cancellario suo* &c.

21. Pronunciatum V. *Spes erat illum in gratiam sedis Apostolicæ posse redire.* Spes nulla apud Mutium: imò iam dixit Cæsarem pro ludo fuisse; & tamen Bzouius ex Mutio spem facit.

22. Pronunciatum VI. *Spes erat nisi aliqui Prin-*

Principes Germaniæ hominem præcipitem seduxissent, vt is comitio Francofordiam indicto negauerit se pactis velle stare. Bzouius vt Principum numerum minuat, ait, *aliqui Principes*, quasi aliqui essent multi; cùm apud Mutium ne vnus quidem princeps reperiatur, qui ab istis multis dissenserit. Comitium postea Francofordiense ad hunc annum refert, cum ad sequentem pertinere, clarissimè Argentinensis doceat (vt paulo post monstrabimus) itemque Nauclerus, vt ipse Bzouius fatetur anno sequenti, nullúmque pro se auctorem affert; Mutius tempus non designat. *N.I.* Quàm multa denique Bzouius in Mutio præterit! *Pontifex*, inquit Mutius, *& Rex Galliæ* (vide Bzoui quis Cæsarem impediuerit) *conceperunt formam penitus seruilem, turpem & intolerabilem, in quam nemo paulò altioris animi consentiret, etiamsi esset carceri perpetuo mancipandus, aut ad supplicium ducendus. Mandatum (sic enim vocant hoc genus literarum) exigebat, vt præsentes Cæsaris legati (qui erãt Præpositi Augustensis & Bambergensis Ecclesiarũ, & Archicancellarius Imperatoris nomine Henricus, auũculus Imperatoris Hunibertus) nomine domini sui confiterentur omnes hæreses & errores quibus criminabatur, & resignarẽt Imperium, non resumendũ nisi gratia Papæ, Ludouicum & liberos in manu Papæ ponerent. Item multa de imperio, ecclesiæ, patrimonióue beati Petri adiudica-*

bat mandatũ apostolicũ illud, & alia de statu imperij intolerabilia scripta erant in eo. Hæc in mandato contenta legati non solũ sigillis confirmarunt, sed etiam nomine Imperatoris seruanda iurarũt. Ecclesiarũ enim præpositi, quos dixi, suspiciebant ceu numen Papam, erátque illis oraculi loco quicquid dicebat Pontifex.

Vbi cum articulis illis in Germaniam rediere legati, Ludouicus nulli magis iratus fuit, quàm sibi, qui aliquid boni à Gallo sperasset, sibi inimicissimo. nec habuit causam vllam ad obiurgandos legatos, discedentibus enim commiserat, vt quibuscunq; possent conditionibus, conciliarent sibi Papam. Misit autem passim per Germaniam ad Principes exemplaria literarum, quas è Roma attulerant, nullúsque ferè fuit Princeps Germaniæ, qui nõ vehementer commotus fuerit rei indignitate iniquissimisq; Põtificis flagitationibus. Quorum sententiam & animum vbi intellexit Jmperator, conuocat omnes Francofurdiã, & in hanc ferè sententiam eos allocutus est, Abunde opinor, socij & amici vobis testatus sum, quàm cupidus sim pacis & trãquillitatis Ecclesiæ, quid fecerim, quid passus sim. Et omniũ ferè bellorum quæ hactenus gessimus, finem fuisse potissimùm pacem dignitatémque ecclesiæ & imperij. Singulorum à nobis gestorum causas, fines destinatáue recenserem, nisi scirem vos, quæ vestra est prudentia, & sapientia, omnia scire, & pro vestro candore nihil in aliam partem rapere, quam factum est. Audiuistis quid Ro-

Romanus Papa petat, ex quibus facilè poteſtis intelligere voluntatem eius erga nos & Imperiũ. Quanquã autem omnia ſint iniquiſsima, quæ exigunt à nobis põtificij: tamen propter eccleſiæ pacem, & vitanda ſcandala paratus ſum facere, quicquid veſtra prudentia ſuadet, nec enim committam, vt vſquam videar publica commoda poſthabuiſſe meis. Paratus ſum deponere imperium in manus Pontificis, etſi ſatis abundè probatum iamdudum, Papæ iuris in imperium & Imperatorem nihil eſſe. Sed ſi aliter videtur vt reſiſtamus Pontificis iræ, & perſeueremus in propoſita appellatione, ſumus parati quidlibet pati, quoduis ſubire periculum propter imperij dignitatem. Et alia in hanc ſententiam dixiſſe apud autores reperio.

Præſentum Principum multi & legati eorum irati propter iniquas Papæ poſtulationes, adhortati ſunt Imperatorẽ ne quid humilius quod nõ deceat Imperatorẽ faciat. Præter verò reliquos vir prudens & facũdus multarúmq; rerum vſu exercitatiſsimus Wickerus protonotarius archiepiſcopi Treuerẽſis in frequẽti Principũ conſeſſu poſt multas variáſq; ſententias ex omniũ conſiliis & ſentẽtiis ſummã collegit, quæ omnib: placebat, quanquam alij plus alij minus rogati dixerant. Cõcludẽdo igitur breuiter hæc habuit verba, Sereniſſime Domine Imperator, Principes Electores, et alij Imperij fideles recenſentes articulos reformationis veſtræ, quos Papa requirit, ac in his reſidet, concorditer arti-

articulos illos decreuerunt in perniciem & destructionem imperij esse conceptos, & quod nec vos, nec ipsi virtute iuramenti imperio præstiti annuere valeatis. intendúntque oratores suos ad Papam mittere, nec non ad collegium Cardinalium cum petitione quod desistant. & si recusarint, iam deliberauerunt, quod in Rens super Rhenum conuenient vobiscum deliberaturi, qualiter huiusmodi conatibus resistatur. Hæc cum ita dixisset, rogauit, num hæc esset omnium sententia. Concorditer respondere ita esse, & omnes polliciti sunt se propter nullum periculum aut timorem mutaturos propositum aut sententiam, sed imperij præsentem statum defensuros, quemadmodum deberent.

23. Hæc Mutius, quæ ne odio Pontificis finxisse videatur, accipe fere eadem ex Argentinensi,

P.133.§.4 *Missisque iterum per Principem literis & nunciis ad Curiam & ad Francum, ad sciscitandum causam impedimenti reformationis, cùm ipse paratus esset omnia facere, quæ sibi iniungerentur à Papa; datóque responso per Francum, quod diceretur per Papam, quòd non peteret eo modo gratiam quo deberet. Nunciisque (prout in mandatis habebant) dicentibus, quòd daretur eis forma Procuratorij, Papæ placens, secundum quam qualiscunque esset, se petituros dicebant. Conceptúmque est Procuratorium turpissimum & rigidissimum, quod non credebant Ludouicum sigillaturum, etiamsi captus fuisset. Dabatur enim in eo potestas,*

testas, Humberto Delphino auunculo Principis, item Augustensis & Babenbergensis Ecclesiarum præpositis, item M. Vlrico Cancellario suo, in solidum confitendi omnes errores & hæreses. Item resignandi imperium, nec resumendi, nisi hoc fieret de gratia Papæ, & se ac filios suos, ac bona, ac statum suum in manus & voluntatem Papæ ponendi, & multa insolita faciendi. Verùm Princeps mandatum huiusmodi nõ solùm sigillauit, sed etiam coram tabellione misso per Papam, se seruaturum, nec reuocaturum iurauit. De quo Papa ipse & collegium mirabantur, dicentes intra se: iste homo diffidentia est perplexus. Illisque quatuor procuratoribus iuxta formam mandati iurantibus, ac pro articulis iniunctionis, & pœnitentiæ denuo instantibus, nec sine articulis abire volentibus: tandem Papa de consilio Collegij, articulos quos Principem facere voluit, qui non tangebant personam eius, sed statum Imperij, assignauit. Quibus articulis Principi præsentatis, ipse eorum copiam vniuersis Principibus, præsertim Electoribus & magnis ciuitatibus destinauit, omnes Principes & ciuitates, & oppida totius Alemanniæ ad Parlamentum publicum, super eiusmodi facto in Franckfort conuocando. Electores autem Principes, & inferiorum partium magnates, octo diebus ante huiusmodi terminum Coloniæ conuenerunt, huiusmodi articulis se opponere concorditer decernentes.

Conuenientibus autem in Franckfurt Principum & magnatum & ciuitatum & oppidorū imperialium nunciis, scilicet sub anno Domini M.CCC.XLIV. de mense Sept. & quarente Principe de ciuitatibus Aquensi, Augustensi, & Uberlingensi, & aliis si adessent: & dicto quod sic, & auscultantibus omnibus: Magister Wigkerus protonotarius archiepiscopi Treuerensis iussus per Principem sic incepit. Gratiose Domine, Domini nostri Principes, Electores, & alij Imperij fideles, pridem Coloniæ congregati, recensentes articulos reformationis vestræ, quos Papa requirit, & in quibus intentio apostolicæ sedis residit, concorditer decreuerant, illos articulos in perniciem & destructionem Imperij esse conceptos: & quod nec vos, nec ipsi, virtute iuramenti imperio præstiti, annuere valeatis, & quod ipsi nuncios & literas dirigere velint, Papæ & collegio, vt ab his desistant. Quod si nolint, iam alium terminum in Rens super Rhenum, ad octo dies statuerunt, vbi vobiscum deliberare volunt, qualiter in euentu tali huiusmodi conatibus resistatur.

Quo dicto per illum finito, quæsiuit ipse protonotarius à Moguntino præsente, & à legatis aliorū Principum, si ita esset in facto: illisq; respondentibus, ita esse: dixit Princeps nunciis ciuitatum: Vos audistis decretum & consilium Principum. Vos igitur nuncij exite nobísque vestrā deliberationem referte. Illíque exeuntes, diúq; deliberantes, ad principes rediere, & per ciuē

Mo-

*Moguntinum de mandato omnium taliter responderunt. Domine (notando Principem) Ciuitates aduerterunt, qualiter Papa cum articulis ad læsionem Imperij nititur. Et cùm ciuitates non poßint stare nisi cũ Imperio, & Imperij læsio earum sit destructio: si Dominus Papa in talibus persistere vellet, nos inopes omnib. viis, quas cogitauerunt Domini Principes Imperij, ad manutenendum iura, honorẽ & integritatem Imperij, erimus obedire & manutenere parati. Et quærente illo ciue à nunciis, si ita esset, omnibúsque nunciis dicentibus, quòd sic: Princeps grates multiplices referens, ait illis: Post octo dies ego & Principes conueniemus in Rens super Rhenũ, & auunculus * noster Carolus* * fortè nepos
Marchio Morauiæ, & deliberationem nostram cum vobis scripserimus circa honorem nostrum & Imperij (vt confidimus) faciatis: qui hoc facere concorditer promiserunt. Huc vsque Argentinas.

24. Eadem ferè habet Nauclerus, qui inter alia dicit in procuratorio à Papa dato, legatis Ludouici datam potestatem confitendi *omnes errores & hæreses Ludouico impositas:* quo explicat dictum illud Argentinensis hìc paulò antè allatum, *confitendi omnes errores & hæreses.* Id quod eodẽ sensu exposuit Mutius supra cum scripsit, *Mandatũ exigebat, vt Cæsaris legati cõfiterentur omnes hæreses & errores quibus criminabatur*, id est, accusabatur. *an. 1343. & 1344.*

25. Pronunciatum VII. *Non deerant plurimi*

qui Romanæ sedis authoritatem reuerendam esse & tuendam multis comprobarent. Non nescio, Bzoui, Romanæ sedis authoritatem reuerendam esse, & reuereor ego quoque, sed tu parum eam honestas, qui figmentis, ne quid grauius dicam, illam condecorare instituis, quasi his comitiis plurimi pro pontifice contra Cæsarem stetissent; quod ex Mutio non deprompsisti; nam, vt Mutius tradit, omnes, qui Comitiis intererant, Cæsaris causæ fauebant, cùm enim sententia dicta propositum esset, *num hæc esset omnium sententia: concorditer,* inquit Mutius, *respondere ita esse, & omnes polliciti sunt, se propter nullum periculum aut timorem mutaturos propositum aut sententiam, sed imperij præsentem statum defensuros, quemadmodum deberent.*

26. Pronunciatum VIII. *Plurimos inculcasse illud solenne; Religionem ante omnia ponendam fore: quæ nisi sit in suo loco & dignitate, Respublica nulla consistere potest.* Hem ipse Mutius nescit sese tam multa scripsisse. Cùm nulli omnino apud Mutium in comitiis fuerint, qui Pontificis causam probarint, tamen apud Bzouium etiam solennia verba pro Pontifice vsurpant, ac contra Cæsarem sententiam enunciant. Oro autem lectorem, vti genus scribendi in Bzouio consideret: quidlibet, quibuslibet, & vbilibet accommodat. Nemo ex omnibus fuit, qui Cæsaris partes non miseraretur,

& in

& in eum inclinaret; comminatio tamen anathematis intenti religionem iniiciebat, & necti formidandis illis Ecclesiæ vinculis metuebant: Ergo *aderat*, inquit Mutius, *legatorum vnus in sacris Bibliis non vulgariter institutus, qui longa oratione conabatur eximere scrupulos, quos quidam boni viri in conscientia habebant, propter excommunicationem & Romanæ sedis autoritatem. Multa hic dixit de officio ministrorum ecclesiæ, & de potestate ecclesiastica, quam etiam atque etiam commendauit Principibus reuerendam & tuendam. Nam nisi sit, inquit, religio in suo loco & dignitate, Respub. nulla consistere potest: sed quæ sit, & quomodo defendenda, docet Principes, qui illi credebant, non solùm propter argumenta, & scripturæ testimonia, sed etiam propter vitæ morúmque eximiam probitatem.*

27. Hæc Mutius de vno refert, Bzouius de plurimis. Deinde Bzouius plurimos pro Pōtifice contra Cæsarem in præsente locutos fingit, cùm tamē omnis huius oratoris sermo rebus Ludouici commodarit: ostendit quidem potestatem Ecclesiasticam inuiolata pietate seruandam, ostendit tamen insuper, quænam illa potestas sit & quomodo defendenda; atque ita quia & probus & doctus erat, religionē trepidantibus exemit. Vnde Imperij nomine publica ad Pontificem legatio decreta est. *Missi sunt ergo*, inquit Mutius, *ex secularibus &*

ecclesiasticis viri animi fortitudine, facundia, nobilitate præstantes: qui vbi peruenerunt ad Romanum Pontificẽ, exposuerunt illi decretum Principũ Germanorũ in Comitiis Francofurdiensibus, quod nullo modo facere vellet Imperator quæ peteret apostolicus: esse enim contra iuramentum Imperio factum à Ludouico.

28. Pronunciatum IX. *Alios legatos Ludouicus ad Clementem ire iussit, qui sanctionem Francofordianam illi referrent.* Non misit hos legatos Imperator sed Imperij senatus. *Posthac*, inquit Argen-
P. 134. §. antep. tinensis, *conuenientibus Principibus in Rens, & de scribendo Papæ conferentibus: Princeps & Bohemus cum filio suo, cùm super læsionibus illis factis concordare non possent, in inuidia discesserunt. Nuncij autẽ Principum cum Papa contradictionem articulorum referrent, nec tractandi de aliquo mandatũ haberent,* &c. *Nuncij*, ait, *Principum*, non Imperatoris: quæ
An. 1344. Argentinensis verba etiam Nauclerus vsurpat. Deinde legatio ista hoc anõ nõ contigit, sed sequente demum: nam oratores qui missi sunt ab Comitiis, non potuere ante comitia mitti. Comitia autem esse habita anno demum M. CCC. XLIV. ex alio supra allato Argentinensis loco liquet.

29. Pronunciatum X. *Clemens aduersus Ludouicum in contumacia persistentem Gallorum & Bohemorum Reges euocauit.* Quid tu hìc Bzoui Cæsari contumaciam obiicis? fuit is, vt audiuimus supra, paratus

paratus Imperiale diadema deponere, sed Proceres Imperij obstitêre; & si quæ contumacia fuit, Procerum fuit, qui per Legatos Pontifici denunciarunt, Cæsarem, si postulata perficeret, facturum contra iuramentum Imperio præstitum. Quam ob causam non cum Ludouico amplius, sed cum Germanis & quidem armis agendum Clemens censuit. *Hæc Pontifex*, ait Mutius, *cum Cardinalibus audiens, jam non amplius bullis cum Germanis agendum, sed armis inclementer iudicauerunt.* Et Argentinensis, *Papa cogitans se delusum, maiore dolo & inuidia contra Principem mouebatur, cum Bohemo & filio, ac Treuerensi eorum patruo, ad perpetuum Principis & liberorum suorum exterminium cogitando, qui conceptus biennio parturiens fecit aborsum.* Hactenus Argentinensis, quem ferè ad verbum sequitur Nauclerus. P. 134. §. antepen.

ANNVS CHRISTI
1344.
Ludouici Imperatoris XXXI.

1. BZouius. *In hunc annum, in 17. Septembris diem, Nauclerus rerum Germanicarum scriptor refert Comitium Francofurdianũ à Ludouico Bauaro ad-* Col. 957. N. 1.

ro aduersus Pontificem Clementem coactum. In quo asseclæ Ludouici non tantum à vino, sed à contumacia ebrij authore Moguntino Archiepiscopo sedi Apostolicæ refractario decreuerunt oratores ad Pontificem mittendos, qui referrent Ludouicum Pontificiis edictis minimè teneri: nec quicquam ex imperatis facere illum velle, & si Romanus Pontifex pergeret illi aduersari, Rensium Rhenanum se properare velle, deliberaturos, quomodo conatibus Clementis resisterent, atq; Ludouico Imperium & Regnum Romanorum assererent. Audiuit Oratores Clemens. Cúmque nullum cum eo tractandi mandatum, sed tantùm referendi quid statuissent, quídue molirentur, illos habuisse intellexisset, quemadmodum par erat, indignè contemptum ac illusionem sui tulit: actum demum seriò quomodo contemptorem supremæ potestatis vlcisceretur, cogitans Joannem Regem Boemiæ & filium eius Carolum Morauiæ Marchionem totius rei admonuit. Naucl. vol. 2. generat. 45.

2. Vt appareat quàm ex fide hęc omnia ab Nauclero Bzouius mutuatus fuerit, en verba Naucleri, *Anno Domini M. CCC. XLIV. die XVII. mensis Septembris conuenientibus in Francofurt principibus ac nunciis aliquorum, ciuitatúmque, surgens Wickerus Archiepiscopi Treuirensis protonotarius in præsentia Principis iussus dicebat, Serenißime Domine Imperator, Principes Electores & alij Imperij*

perij fideles recensentes articulos reformationis vestræ quos Papa requirit, ac in his residet, concorditer articulos illos decreuerunt in perniciem & destructionem Imperij esse conceptos, & quod nec vos nec ipsi virtute iuramenti imperio præstiti annuere valeatis. Hæc Nauclerus & pauca alia, quæ ad IV. pronunciatum adiiciemus.

3. Pronunciatum I. *In hunc annum refert Nauclerus Comitium Francofordianum.* Rectè refert Nauclerus secutus Argentinatem, cur tu absque auctore loco suo dimoues, & comitia describis antequam celebrentur? Cur vnam eandémque rem non saltem vno eodémque anno refers, sed in duos diuersos dissipas, & lectori recoctis dapibus nauseam moues? Superiore anno & hunc Imperij conuentum & oratores Auinionem missos iam memorasti. Nimirum tu vbique omnia agis, vt vbiq; omnia dicas. N. 11. §. 3. & 4.

4. Pronunciatum II. *In quo* Comitio *assecla Ludouici nō tantùm à vino, sed & à cōtumacia ebrij.* Calumniatorem agis, non historicum: an tu Principum pincerna fuisti, & Baccho operantes vidisti? an arbitraris temulentos in senatu Principes subselliis insidere, & nictantes de summis Imperij rebus consilia capessere? indulserint subseciuis horis genio, Lyæúmque propitiarint, (quod Bzouius nescit) ebrij tamen in senatu non fuere; & temere

tantos Principes vinolentiæ Bzouius accusat: quanquam accusat asseclas: ita monachus de principibus loquitur, ac si de cerdonum genere nati parasitos potius egissent, quàm Imperij proceres, quos etiam contumaces appellat, cum Mutius, Argenti-
N. II. f. nensis, & Nauclerus, vt anno præcedente, vidimus, satis ostendant, Imperatorem & Principes iustis de causis recusasse conditiones à Clemẽte propositas.

5. Pronunciatum III. *Auctore Moguntino Archiepiscopo sedi Apostolicæ refractario ad Pontificem oratores missos.* Falsum hoc: nec Nauclerus, quem tu vnum testem nominas, quicquam tradit, vti nec Argentinas, aut Mutius, aut alius quod sci-
An. 1342 am. Bzouius quia aliàs docuerat Moguntinum
VII. 1343. I. Pontificia gratia excidisse, confestim ex inepta coniectura huius eum legationis non satis Pontifici gratæ auctorem facit.

6. Pronunciatum IV. Legatos Pontifici dicere iussos, *si pergeret* Ludouico *aduersari, Rensium Rhenanum se properare velle deliberaturos, quomodo conatibus Clementis resisterent, atque Ludouico Imperium & Regnum Romanorum assererent.* Nauclerus auctor huius pronunciati esse deberet, & Bzouius est. Nauclerus, vt & Mutius atque Argentinas, primò non refert oratoribus mandatum, vt talia dicerent, sed ipsi inter sese conclusere Principes, si Pontifex in sua sententia persisteret, se in

Rens

Rens conuenturos. *Intendunt*, inquit Nauclerus, *oratores suos ad Papam mittere, nec non, ad collegium Cardinalium cum petitione quod desistant. Et si recusarint, iam deliberauerunt, quod in Rens super Rhenum conuenient, vobiscum deliberaturi, qualiter huiusmodi conatibus resistatur.* Hæc Electores inter se & pro se, non pro Legatis, quibus tamen Bzouius demandata narrat Pontifici nuncianda. Deinde hanc ipsam Principum consultationem Bzouius auget, vti ex verbis Naucleri constat. *Generat. XLV. fol. CCLII.*

7. Pronunciatum V. Pontifex, *quemadmodum par erat, indignè contemptum & illusionem sui tulit.* Egregiè iterum Bzouius Nauclerum describit; primò enim non refert hic vllum contemptum sedis Apostolicæ, sed Pontifex Nauclero auctore, legatorum responso se delusum, id est, spe falsum, vel derisum cogitabat. Deinde non ait Nauclerus Pontificem *quemadmodum par erat* indignè tulisse, sed verba eius ista sunt, *Papa cogitans se delusum, & maiore inuidia contra Principem permouebatur.* Disco, *maiore inuidia* idem significare, quod voculæ, *quemadmodum par erat.* Quanquam Naucleri illa lectio manca est, & sic ex Argentinensi redintegrãda, *cogitans se delusum, maiore dolo & inuidia contra Principem permouebatur.* *P. 134. §. antep. post med.*

8. Pronunciatum VI. Pontifex, *quomodo contemptorẽ supremæ potestatis vlcisceretur, cogitãs, Ioannẽ*

Regem Boëmiæ, & filium eius Carolum Morauiæ Marchionem totius rei admonuit. Non iudicabo ego, qua fide Nauclerum Bzouius descripserit; lector diiudicet; Naucleri verba do, *Postea*, ait Nauclerus, *cum Ioanne rege Boëmiæ & Carolo filio eius, qui læsi fuerant ab Imperatore, & cum Treuerensi archiepiscopo eorum patruo, ad perpetuum Principis exterminium deliberauit.* Nauclerus Bzouio similis non est, sed Bzouius Bzouio. Cum aliquo de interitu alterius deliberare, non est admonere aliquem, quid hostile moliaris. Refer Bzoui, quod auctores referunt, qui si errant, castiga; si vera scribunt, inuiolatos exhibe.

Col. 957. II. 9. Bzouius. *Ludouicus porrò Bauarus, vt Boemo regi incommodaret, Ioanni eius filio, vxorem sine iudicio Ecclesiæ raptam, suo filio, in scandalum multorum copulauit, illúmque Ducatu Carinthiæ, quem ei accepta pecunia prius donauerat, eiecit. Propter quæ & alia scelera denuo à Clemente Pontifice excommunicatus fuit, ac tandem ab Imperio depositus, cùm etiam hoc anno, vniuersis, vt processus contra eum ab Ioanne* XXII. *factos publicarent, præcepisset. Clemens epist. 24.*

10. Tertium iam pronubus es Bzoui, & in tot annos easdem nuptias coniicis: anno 1324. iam his sponsis cantaueras epithalamium, & rursus ante biennium; demum hoc anno eadem tripudia repetis.

repetis Trithemij verbis, qui ea hoc anno describit, sed quod animaduertere debueras, anno 1340. omittit. De tuo tamen affingis causam illam, *Ludouicus vt Boemo regi incommodaret*; quod ne quis facilè deprehenderet, authorem narrationis Trithemium omittis. Audiuimus supra rem gestam, non itero; itero tamen quod dicis Ludouicum accepta pecunia, Carinthiæ Ducatum Bohemo donasse: falsum est, Ludouicus auctore Argentinensi Austriacis donauerat, ídque sine vllius pecuniæ acceptæ mentione, nec aliud cum Margarita Maultaschia in dotem venit, quàm Tyrolis. *Mortuo*, inquit Argentinēsis, *duce Carinthiæ sine filio, sola ipsius regis Bohemiæ nuru relicta, cùm ipse rex sine omni briga* * *crederet in ipso ducatu filium successurum: Ludouicus Princeps de ipso ducatu duces Austriæ, filios sororis ipsius quondam Ducis Carinthiæ, inuestiuit: filio autem regis Bohemiæ comitatus Tirolis remansit. Ex quo ipse rex contra Principem mouebatur odio capitali: iuramento affirmans publicè, se nunquam reformaturum eidem: Papam etiam, regem Franciæ & Henricum Ducem Bauariæ, item reges Hungariæ & Cracouiæ incitans contra ipsum.* Mortuus autem fuit dux ille Carinthiæ anno 1330. quando scilicet Rex Bohemiæ expeditionem in Italiam suscepit, vt scribit Dubrauius.

An. 1324. XXIIX. P. 125. 10. * controuersia

11. An hoc anno Ludouicus à Clemente ob l. 207. 169. 30.

Maultaſchiæ matrimonium rurſus excommunicatus fuerit, intelliget is, qui Clementis epiſtolam inſpexerit; ego mihi ipſi imperare non poſſum, vt ea non inſpecta credam, certè vel tu iubes ne credam; nam anno præcedente inter cauſas excommunicationis etiam hanc numeraſti, *Quòd matrimonia in facie Eccleſiæ ſolennizata diſiunxerit.* Bella conſecutio: ante annum Cæſar excommunicatus eſt, quòd hoc anno matrimonium diſſoluerit. Quæſo adſperge tuis figmentis cerebrum Bzoui, technis tam futilibus non ineſcamur.

N. 1. § 2.

Col. 965. XXIII. 12. Bzouius. *Per id temporis in Germania innocentiam cuiuſdam nobilis matronæ, per ſcelus à marito violatam Deus vltus eſt. Maſſenhauſſen vicus eſt inferioris Boiariæ Rhodano amni conterminus. Eius dynaſta Arnolphus zelotypus vxorem ſuam, filiam Ottonis de Greiffenberg cum miniſtro, à quo falsò ſuſpicabatur adamari, illam in Cronſperg combuſſit. Mulieris innocentis, imprecantíſque viro matrimonia infœcunda, vota Deus audiuit. Eius progenies defecit, opes in fiſcum redactæ ſunt. Sepultura horum Landshutæ in templo Dominicanorum eſt. Annal. Baiorum lib. 7.*

13. Quia auctorem profiteris Auentinum, imitari eum debebas: refert ille hanc tragœdiam poſt Ludouici demum mortem anno 1347. nullo certi anni indicio, quis igitur ſuſurro in aurem tibi dixit

dixit hoc anno accidisse? O egregium historicum, qui ab illis discedit, quos rectæ viæ ductores prædicat.

ANNVS CHRISTI
1345.
Ludouici Imperatoris XXXII.

I. BZouius. *Eodem anno Clemens Pontifex in Ludouicum Bauarum, omnia in Germania & Italia miscentem, diras Ecclesiasticas, Idibus Aprilis publicauit, & ad euulgandum omnibus Prælatis Ecclesiarum destinauit. Iam in Italiam, è comitatu Tyrolensi recens occupato cogitabat Ludouicus descendere, & quod erat reliquum, postquam nonnullis vrbibus vicarios imposuisset, Imperium sibi in Italia vindicare. Eum vt Clemens distineret, conatúsque nefarios impediret, Bertrandum tituli Sancti Marci presbyterum Cardinalem Ebredunensem, Apostolicæ sedis in Etruria & reliqua Italia inferiore, ac præsertim in prouinciis & vrbibus Romanæ Ecclesiæ subiectis Legatum instituit: qui populos, prouincias & vrbes Ecclesiasticæ ditionis in officio contineret, refractarias ad parẽdum reuocaret, nec nõ fœdere cum Principibus Italiæ stabilito, Ludouici conatibus obsisteret. Dedit ea de re literas, Auin. Id. Mart. Pont. anno* Col. 97. VII. & IX

anno IV. Henricum quoque Moguntinum Antistitem, quod Ludouico Bauaro adhæreret, anathemate percußit, ac omni dignitate Ecclesiastica indignum perpetuo iudicauit, publicato edicto. Auinione VII. Idus April.

Cæterum ne diutius Imperium, legitimo Imperatore, Ecclesia verò potentißimo defensore destitueretur, Electores Principes admonuit, vt in locum Comitiis Electoralibus designatum quantocyus conuolarent, & Imperatorem aliquem virum probitate, iustitia, & inprimis pietate ac religione insignem deligerent, à sede Apostolica probandum. Ep.1042.

Deligis quæ scribas, Bzoui, non solum ex Clementis epistolis, vti valde suspicor, sed etiam ex fœto animo tuo, vbi omnia mista, vera & falsa.

2. Pronunciatum I. *Hoc anno Ludouicum omnia in Germania & Italia miscuisse.* Sua & Imperium legitimè acceptum seruare, atque pro virili defendere, omnia miscere apud Bzouium est.

3. Pronunciatum II. *Clemens in Ludouicum diras Ecclesiasticas publicauit.* Iam ante biennium [a] idem scripseras; idem ante annum [b], denique rursus hoc anno: quod, credo, tu mihi ex nullis Pontificum epistolis demonstrabis.

[a] N. I. [b] N. II.

4. Pronunciatum III. *Henricum Moguntinum Antistitem anathemate percußit, ac omni dignitate Ecclesiastica indignum perpetuò iudicauit.* Et hæc

hæc antiqua cantilena eſt; anno 1343. ita ſcribis, *Eundem* Henricum Moguntinum *Clemens anathemate damnauit*. Imò, quod mirabilius eſt, anno demum 1346. deponetur, te ipſo teſte; nam eo anno ita ſcribis, *Henricum autem Virenbergium, quòd Ludouico author & complex rebellionis & aliorum criminum eſſet, Archiepiſcopatu Moguntino ſummouit*. Cæterum pro ſolenni & ſingulari tuo in Ludouicum affectu, ne nimis bonus habeatur, omittis legationem hoc anno ab Ludouico inſtitutam ad Clementem Pontificem; & tamen eam reperiſti apud Rebdorfium tuum. Audi illum, *Anno regni ſui* XXXI. *idem Ludouicus dirigit, iterato nuncios ſuos, videlicet Dominum Ludouicum iuniorem Comitem de Oettingen, vnà cum Domino Imberto Delphino ſupra ſcripto & aliis, ad Dominum Clementem Papam, petens gratiam Eccleſiæ, & immutari quoſdam articulos ſibi etiam iniunctos, ſed nuncij profecerunt in nullo*. Vltimam eámque indefeſſam operam poſuit Cæſar, vti è nexu Eccleſiaſtico expediretur; nihil obtinuit, nihil impetrauit, quaſi nihil rogaſſet. Cætera quæ ex epiſtolis Clementis profers, non reprehendo, ſed nec probo, vtpote ignarus an in literis Apoſtolicis contineantur; toties fallenti, Bzoui, fidere non poſſum.

N. I. ſ. 25

Col. 912. N. III.

Pag. 434. §. vlt.

ANNVS CHRISTI 1346.

Ludouici Imperatoris XXXIII.

Col. 911. I 1. BZouius. *Non amplius ferendum sibi Clemens Pontifex Ludouicum Bauarum putauit, qui cùm Germaniam diro schismate, ferro, incendiis, rapinis, cædibus & stupris fœdasset, Italiam quoque inficere, & miscere properabat. Tridenti in faucibus alpium subsidens, per factiones Principum Italiæ, ad Imperium sibi iter parabat, & Pontificis vltimam internecionem circumferebat, necquicquam monentem Pontificem rectáque suadentem audire amplius volebat. Itaque Pontifex ad diem Cœnæ Dominicæ, pro Concione, in coram vniuerso Patrum purpuratorum collegio & innumera populi multitudine, cumprimum vesaniam in peius ruentis deplorasset, anathema grauissimum in illum hæresis & schismatis reũ strinxit, Imperialibus insigniis & iuribus quæ vsurpabat priuum fecit, & indignum quacunque dignitate in posterum iudicauit, atque fidelitatis sacramento omnes qui se ei astrinxerant exsoluit.*

2. Pronunciatum I. Ludouicus *cùm Germaniam diro schismate, ferro, incendiis, rapinis, cædibus & stupris fœdasset, Italiam quoque inficere & miscere properabat.* Ignosce mihi, Bzoui; Furiarum hacte-

hactenus vna linguam tibi inflammauit, nũc omnes tres animum calamúmque tuum incendio vrunt, adigúntque rationis inopem tot contumeliarum examina expuere. Quis incendia memorat? quis stupra & nefandas istas Veneris sordes, quibus Germaniam fœdarit? & audes tu tantum Principem oculis Christianis sistere Neronianis coloribus depictum? Pudeat hominem, modestiam demissionémque professum. Vehementiùs fortasse loquor, non abnuo; sed & tu impudentiùs scripsisti. Quod si etiam quid maculæ hoc in genere Ludouicus contraxisset, fuisset tamen Christiani scriptoris exaggeratione supersedere; & soles tu alibi, cum scribuntur de iis quos tu exornandos suscipis, talia inter fabulas reputare; esto alij ea testentur. Paulò pòst crimina quorum Pontifex Ludouicum pro concione accusauit, recenses, inter quæ tamen non comparent incendia, nec stupra. Iam quis primus schismatis auctor fuerit, quinã eiusdem conseruatores, lector ex toto hoc nostro opere iudicet. De ferro, rapinis & cædibus Cæsar iure belli excusatur; nocetur enim hosti quocunque modo. Neque verò hoc tempore, sed aliquot ante initum à Clemente Pontificatum annis, neque sponte, sed ab hostibus coactus Cæsar, eiusmodi damna Germaniæ intulerat, neque quicquam ea re Benedictum Pontificem offenderat, quin potius Benedi-

N. 11.

an. 1336. 25.

ctus victoria eius aduersus Cardinales gloriabatur cum diceret, *Isti dicunt eum esse destitutum, sed quis adhuc ingressus est locum suum?*

3. Pronunciatum III. *Tridenti in faucibus alpium subsidens, per factiones Principum Italiæ, ad Imperium sibi iter parabat.* Primùm quæro ex te, Bzoui, cur tam grande crimen Clemens in concio-
N.VII. ne, quam tu mox compendio referes, tacuerit; an quia vanum est? Quæro deinde quamdiu in faucibus Tridentinis Cæsar consederit? Supra anno
Col. 914. VI. 1342. in hæc verba scripseras, *Tridentum iam* Ludouicus *peruenerat, & in Italiam penetrare decreuerat ad Imperium sibi inuito Pontifice stabiliendum & ad statum Ecclesiæ perturbandum.* Quæ cum ita sint, necesse est Ludouicum per quadriennium prope in altis illis montibus sessitasse, & tanquam ex alta specula subiectas Italiæ vrbes oculis lustrasse & animo voluisse, qua via, qua vi ad Imperij sceptrum compelli possent: sæpius enim Cæsarem hac mente & irrito conatu Tridentū profectū esse cùm alij non scribant, solus Bzouius mihi fidē non faciet.

4. Quæ deinceps de actis à Pontifice in cœna Domini perscribis, longè aliter Argentinas, qui tum viuebat, commemorat, *Eodem tempore,* ait,
Pag. 134. §. vlt. *anno Domini M. CCC. XLVI. in cœna Domini Clemens Papa contra Ludouicum Principem, crudelissimum faciens sermonem, contra ipsum durissimè proce-*

procedens, & eos processus Papæ Ioannis innouans, ipsum hæreticum & schismaticum declarauit, in processu pœnas iuris hæreticorum, & omnes maledictiones antiquas inferendo: in quo etiam monuit Principes Electores vt regem eligerent idoneum, in Imperatorem promouẽdum infra certum tempus expressum, ne Ecclesia diu aduocato careat: alioqui circa hoc sedes Apostolica cogitaret. Itaque perspicere ex his est, quanta tu facundia res amplifices, vt te ostendas Rhetorem, sed Cæsari inimicum.

5. Capita propter quæ Ludouicus ab Ecclesiæ cœtu exclusus fuit, iam ante tractauimus, nam ferme eadem sunt, quæ illic attulisti, nisi quòd hîc & tibi & etiam Pontificibus contradicas. Inter alia hîc ais, *Item propter contumaciam anathemate percussus ferè toto decennio in execratione voluit sordescere.* Supra autem ita scribebas, *Adhuc, quod citatus super hæresi & propter contumaciam excommunicatus insorduerat in censuris annis plus decem.* Bellè & facetè, Bzoui; anno 1343. Cæsar annis plus decem in censuris insorduerat; & anno demum 1346. ferè toto decennio voluit sordescere: itaque si decem annis addas alios tres annos, efficient ex arithmeticæ Bzouianæ nouo artificio, non omnino decem sed ferè decem annos.

an. 1343. II. *N. II.* *An. 1343. Col. 939. I. §. 2.*

6. Si parua hæc sunt; paulò maiora canamus, & Bzouium in inexplicabilem labyrinthum præ-

cipitemus. Si anno 1346. Cæsar decennio solùm in excommunicatione perstiterat, nullæ fuerunt omnes Iohannis XXII. excommunicationes: nam si istę vim suam habuissent, Ludouicus non decem solùm sed supra annos viginti in execratione Ecclesiastica perdurasset. Imo si vel vltima à Iohanne
[a] N. XVII. ante m. anno 1328[a]. apud Villanum [b] facta valuisset, Ludouicus iam anno isto 1346. in ea per annos ferè viginti insorduisset. Quin etiamsi à Benedicto anno
[b] 10. c. 79.
[c] N. III. 1340[c]. excommunicatus fuisset Ludouicus, quod ipsum tamen minus verisimile ostendimus, non tamen ferè decennio in excommunicatione insorduisset. Ergo aut falsum hîc scribis, falsúmque Clementi Pontifici adscribis; aut irritæ fuere omnes Iohannis XXII. ac Benedicti in Ludouicum censuræ. O præclarum historiæ aduocatum, qui non solùm clientem, sed etiam te perdas.

7. Inter excommunicationis causas etiam numeras, quòd Ludouicus *matrimonia in facie Ecclesiæ solennizata separarit*. Iam supra dixi de vno tantùm matrimonio scriptores meminisse, tu autem plura esse fortasse ideo dicis, quia vnum & idem sæpius, tribus nempe diuersis annis denarrasti. Nauclerus rectioris animi vir, cùm hanc quoque excommunicationis causam explicasset, subiungit, *Fortè vult* Clemens Pontifex, *quia Ludouicus filium suum desponsauit comitissæ Tyrolis, viuente ad-*

te adhuc marito Ioanne filio regis Bohemiæ. Ludouicum item inter affines matrimonia copulasse, & alia quædam in contrahendis dirimendísque matrimoniis perpetrasse, exemplis demonstrari non potest; vt nec quod peierarit ac fidem violarit. Videris porro has excommunicationis causas ex Nauclero & Mutio excerpsisse, non ex ipsa Clementis concione aut epistolis.

8. Bzouius. *Eodem tempore Clemens Carolum Marchionem Morauiæ, & patrē eius Ioannem Regem Boëmiæ Auinionem euocauit. Et de Carolo ad Imperium euehendo, cum Patribus deliberauit: si modò is nonnulla ex re Reipublicæ Christianæ in se reciperet. Ibi Carolus in consessu publico Patrum, Pontifici & Romanæ Ecclesiæ spopondit, si aliquando benignitate Apostolicæ sedis ad Imperialem dignitatem eueheretur, rescinderet omnia ab Henrico auo Imperatore contra Robertum Siciliæ Regem, & contra Florentinos, Senenses nonnullósque ciues Romanos acta; & quatenus opus foret; Pontifici & sedi Apostolicæ omnes prædictos processus factos, abrogandi potestatem fecit. Item omnes discordias inter Imperium & Regem Galliarum vertentes, arbitrio Pontificis permisit, nec non auxilia Clementi & Romanæ Ecclesiæ aduersus Ludouicum Bauarum pollicitus est. Insuper omnia facere, concedere, præstare, & confirmare sedi Apostolicæ, omnia facta, concessa, præstita,* Col. 912. II. §. 2.

&

& Henricum Imperatorem, auum suum: nec non omnes processus factos per quondam Ludouicum de Bauariæ Imperatorem nominatum; contra quoscunque reuocare & annulare; dominia Apostolicæ sedis intra & extra Italiam non inuadere, nec turbare, sed conseruare, defendere, amissa recuperare, & libertatem Ecclesiasticam integre seruare: populos Italiæ ad iuramentum Ecclesiæ Romanæ præstandum compellere, Reges vel Mandatarios Ecclesiæ, non recipere, nec vrbem Romam ante diem præfixum ad diadema recipiendum intrare. Item omnia fidelitatis iuramenta, si quæ hactenus præstita fuerunt per ciuitates subditas Romanæ Ecclesiæ ministris Imperialibus relaxare; ac omnia illa generaliter facere & præstare, quæ recens electi Romanorum Reges, Apostolicæ sedi facere & præstare tenentur promisit: etiam dato diplomate confirmauit Auinioni die 22. Aprilis Anno 1346. quæ omnia Joannes Rex Boëmiæ Caroli pater, in coram tunc iureiurando, tum datis literis pariter spopondit. Ad eum modum Clemens, cum Carolum fore Ecclesiasticæ libertatis defensorem in maxima spe haberet, Duci Austriæ, Rudolpho Duci Saxoniæ, Friderico Marchioni Misnensi, Ruperto, Rudolpho, & Adolpho Comitibus Palatinis Rheni, Ducibus Bauariæ, & Principibus Electoribus Imperij, nec non omnibus Prælatis, Proceribus Ciuitatibúsque Germaniæ Imperij depositionem Ludouici significauit, & Carolum

Mar-

Marchionem commendauit: nec non Aconensi Episcopo, vt Balduinum Archiepiscopum Treuerensem, Balduino vero, vt reliquos Coelectores ab omnibus censuris Ecclesiasticis per communicationem cum Ludouico absolueret, permisit. ep. Clem. 1025. 1033. 1037. 1042. 1089. 1093. 1094.

9. His non aliis modis, vt qualem vellet Imperatorem haberet, consequi Clemens poterat; quo iure, non dico, iudicet lector. Addo ex Argentinate pauciora, *Eisdem*, inquit, *diebus Ioannes rex Bohemiæ, & Carolus marchio Morauiæ filius eius, fuerunt in Curia, de oppreßione Ludouici Principis, & promotione Caroli cogitantes.* Nec tantum Ludouicum, sed etiam fautorem eius Moguntinum Carolus oppugnauit, de quo hæc scribere pergit Argentinas, *Antea autem idem Carolus in curia existens, in odium Heinrici Moguntini, Pragensem episcopum, subditum Moguntinensi, promoueri in archiepiscopum procurauit, & duos episcopatus in Bohemia sibi subiici, & à Moguntinensis Ecclesiæ ditione absolui, & eidem Pragensi ius coronandi regem Bohemiæ, quod antea habuit Moguntinus, concedi: iurans, idioma Bohemicum à Germanico distinctum. De quo postea argutus Ioannes rex Bohemiæ, pater eius, Principibus, quod sine scitu eius factum esset, iurauit.* Hæc Argentinas. P. 155. 80

10. Bzouius. *Henricum autem Virenbergium,* Col. 912.

quòd Ludouico author & complex rebellionis & aliorum criminum esset, Archiepiscopatu Moguntino summouit, & in locum eius Gerlacum Nassouium Archiepiscopum subrogauit. Ista pro concione enumeratis facinoribus Henrici post eius damnationem Clemens dicebat, cum designaret Gerlacum. Et ne dicta Ecclesia incommoda suæ viduationis deploret, authoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius & nostra, de consilio Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Gerlacum filium Comitis de Nassauu Capellanum nostrum, Decanum dictæ Ecclesiæ præficimus Archiepiscopum, vt cum principibus sedeat & solium gloriæ teneat.

Col. 970. VIII. 11. Iam suprà anno 1345. tibi hic Archiepiscopus, vt video, depositus erat, vt hoc anno iterum deponeretur, neque aut hîc aut alibi probas hunc Henricum Cæsari auctorem fuisse rebellionis; imò in controuersia quæ ei cum Roberto Comite Palatino intercesserat diiudicanda, à Ludouico offensus Pontificis gratiam quæsiuit, atque vbi desperare coactus est, ad Cæsarem rediit. Pag. 135. §. 2. *Et ex tunc*, ait Argentinas, *quæsiuit se absolui à Papa: sed cùm Papa eum nimis astringere vellet, non solum contra Ludouicum principem, sed etiam contra iura Imperij: nuncij eius infecto negotio sunt reuersi, ipséque se cum Duce & Principe reformauit, propter quæ depositus est per sedem, vt supra.*

12. At

12. At verò Villanus Italicus ſcriptor prodit aliud, quod Pontificē mouit, vt Epiſcopatu Heinricum exueret. ita ſcribit, *Quia Archiepiſcopus* l. 12. c. 59. post m. *Moguntinus, qui vnus ex Electoribus erat, Carolo votum ſuum dare nolebat, Papa eum depoſuit, & alium ad ipſius* Papæ *petitionem elegerunt* Cardinales, *qui eorum erat factionis*. Hæc Villanus. Bzouius vti etiam cauſam excommunicationis adferat, rebellionem & alia crimina comminiſcitur, nec pertinet ad illum, quid hiſtorici referant, ſed quid ipſe confingat.

13. Bzouius. *Hæc omnia, cùm & fama ſparſiſſet, & legati Apoſtolici per Germaniam diuulgaſſent, multi Epiſcoporum & Procerum à Ludouico deſciuerunt, & cum Pontifice in gratiam redierunt: quòd eos & longa odioſáque diſcordia fatigaſſet, & terror conſcientiarum ſapere docuiſſet, & benignitas Pontificia ad reuertendum inuitaſſet. Itaque non amplius differendum exiſtimantes, auctoritate Apoſtolica à Gerlaco Moguntinenſi Archiepiſcopo ſedis Apoſtolicæ legato euocati ad diem Mercurij quæ erat 11. Iulij poſt feſtiuitatem Diuæ Margaritæ apud Renſium (quod Francofurtum in poteſtate Ludouici teneretur) oppidum, frequentes conuenerunt, cauſa eligendi alium Imperatorem & Regem Romanorum. Ex Electoribus fuerunt Balduinus Lucemburgicus Treuerenſis, Walframus de Juliaco Colonienſis; Ger-* Col. 973. III. § 2.

lacus Nassouius Moguntinensis Archiepiscopi, Rudolphus Dux Saxoniæ, & Ioannes Rex Boëmiæ. Hi communibus suffragiis, suasu & authoritate Romani Pontificis, designarunt Regem & Imperatorem Romanorum filium Regis Boëmiæ, Carolum Marchionem Moraviæ, Balduini Treuerensis Henrici VII. *Imperatoris fratris Nepotem.*

14. Pronunciatum I. *Multi Episcoporum & Procerum à Ludouico desciuerunt.* Pergis tui similis esse Bzoui, & ita loqui, quasi plures etiam seculares principes à Ludouico defecissent, quod contra accidit. Quanto aliter Mutius ait, *Quidam defecerunt à Ludouico ad Pontificios, inter quos fuerunt multi Episcopi.* Sed hæc Mutij verba vt lyræ Bzouianæ accommodari possent, inuertenda paululum fuere, vt lector opinaretur etiam plures politicos principes ab Cæsare desciuisse, quod nec à Mutio dictum est, nec verum est. Rebdorfium tuum adhuc nosti? is ita loquitur, *Eodem anno noua memoria digna insurgunt, quia procurante Domino Clemente Papa* VI. *Carolus filius regis Bohemiæ supra nominatus, à quinque Electoribus regni, videlicet à Dominis Balduuino Archiepiscopo Treuerensi, Waltuuino Archiepiscopo Coloniensi, Blatero ratione* * *Comitum de Nassau (quem tunc idem Papa prouiderat ad Ecclesiam Moguntinensem, deposito prius Hainrico Archiepiscopo supra nominato) & Ioanne*

Pag. 242. 24.

Pag. 436. §. 3.

* Blato natione

anne Rege Boëmiæ patre ipsius, & à Rudolpho Duce Saxoniæ supra nominato, in odium prædicti Luduuici, in Regem Rom. est electus in villa Rentze Treuerensis diœcesis, mense Iul. circa festum B. Margaretæ: de cuius potentia & adhæsione multorum Principum ante electionem prædictam fuit fama solennis. Sed postea Luduuico statim descendenti ad Rhenum, omnes ciuitates Rheni, & pro maiori parte Domini temporales (exceptis Electoribus supra nominatis) promiserunt ei adhærere, & in nullo aduertere Regem nouum.

15. Ab Rebdorfio non dissentit Villanus qui inter cætera ait, *Carolus è Curia discessit cum Papæ benedictione & dispensatione, vt licet electio more solito Andeburgi* * *in Germania, primáque coronatio cum solennitatibus consuetis Aquisgrani fiat; vtraque tamen fieri posset, vbicunque ei placeret, vt nec Bauarus, neque filius cum potentia Germanorum, quorum maior pars ipsis adhærebat, eum impedire possent.* Item alio loco, *Mortuo Bauaro,* inquit, *pars Imperij Electorum, qui Papæ & Ecclesiæ contrarij erant (ideo quod Carolum Bohemiæ regem eligere eos fecerit, eúmque confirmauerit, quasi inuitis pluribus Dominis & populis Germaniæ; quem viuo adhuc Ludouico Bauaro ad ignominiam & irrisionem Ecclesiæ, Germani Imperatorem presbyterorum* Pfaffenkaiser *nominabant; & paruum ei fiebat obsequium)*

Lib. 12. cap. 59. propeſ.

* Francofurti

Cap. 105. ante m.

quium) Odoardum III. *Angliæ Regem in Imperatorem elegerunt; in despectum etiam Galliæ regis, qui cum Papa confirmationem Caroli procurauerat.* Sed de hoc plura dicere res infra exiget. *N. IX.*

16. Pronunciatum II. *Ex Electoribus fuerunt Balduinus Lucemburgicus Treuerensis, Walframus de Iuliaco Coloniensis, Gerlacus Nassouius Moguntinensis Archiepiscopi, Rudolphus Dux Saxoniæ & Ioannes* Rex *Boëmiæ.* Vnde tibi nomen Walframi, cum Argentinas Walderamum, Cuspinianus & Nauclerus Walramum scribant? De re consentirem tecum, tantum si præcipuos Electores non præteriuisses: qui ipsi? Primus liliis fulget. audi Ciaconium[a] & Massonum in Clement. VI[b]. *Clemens dedit operam rogatu Philippi Valesii Francorum Regis, vt Carolus Boëmi regis filius Romanorum Rex diceretur, quem Germani vulgo vicinaq; gentes Imperatorem sacerdotum appellabant.* Eadem tradit Staindel, qui ante centum circiter annos vixit, *Carolus* IV. inquit, *Rex Boëmiæ, filius Iohannis regis Boemiæ & nepos Henrici Imperatoris, consensu aliquorum Electornm, Romanorum Rex eligitur, & per Clementem Papam* VI. *Auinione in Imperatorem coronatur. Ordinante & disponente hæc Philippo Rege Franciæ apud Papam, volente per hoc vindicare se in Ludouicum Imperatorem, & remunerare seruitia defuncti regis Iohannis, qui pro eo in bello aduersus regem Angliæ vitam amisit.* 17. Al-

a P. 721.
b Ante m. pag. 2 ff. fac. 2 f.
In Chron. MS. Formbachensi.

17. Alter ex omissis Elector aut Electrix fuit Illustrissima pecunia auctore Argentinensi, qui Caroli electionem hac ratione describit, *Posthac prouisus Moguntinus Gerlacus de Nassouue, ad villam Rens super Rhenum, ad feriam quartam post Margaretæ sub anno Domini M. CCC. XLVI. volens apostolico mandato obedire, quantum in eo fuit, ad eligendum regem, principes conuocauit: vbi conuenientes Balduinus de* Lützelburg *Treuerensis, Walderamus de Juliaco Coloniensis, itē Gerlacus de Nassouue nouiter prouisus Moguntinensis, archiepiscopi; item Rudolfus dux Saxoniæ, & Ioannes Rex Bohemiæ, & imperium diu vacasse decernentes, prædictum Carolum Marchionem Morauiæ in Regem elegerunt* Ro*manum. Pro quo facto, prædicti Coloniensis & dux Saxoniæ magna pecunia sunt corrupti.* P. 135. § penult.

18. Cuspinianus in Ludouico post narratam Caroli electionem ait, *Qui cum ad coronationem festinaret per Coloniensem dandam, qui vnà cum Saxoniæ duce multa pecunia corruptus erat, Aquenses firmiter restiterunt, ac impedierunt.* Et porro in Carolo IV. non procul à principio, *Maxima autem & multæ pecuniæ sunt Electoribus Principibus elargitæ, vt Ludouico forent rebelles: cuius potentia ac prudentia formidolosa erat Boemis. Dehinc in Bunna à Coloniensi Episcopo est coronatus, cùm Aquenses illi penitus resisterent. A quo tum Coloniensis, Treueren-* Pag. 472. 12. Pag. 475. 12.

uerensis, Moguntinus, Monasteriensis, Leodiensis, Metensis, & Virudunensis archiepiscopi & episcopi de regalibus suis sunt inuestiti. Vnde etsi Clemens hanc electionem approbasset (nam in Ludouici dedecus atque oppreßionem, & quòd literis ac multarum linguarum peritia ornatus esset, Carolum Cæsarem declarauit) principes tamen Imperij multi inhabilem constantißimè asseruerunt. Quod scilicet nulla causa necessaria vrgente, & alio Imperatore viuente, ob nullius Reipub. commodum, sed ob priuatam cupiditatem & per symoniam ac largitionem facta esset. Rodulphus enim Saxoniæ dux, ob hanc electionem & suffragium suum duo milia marcarum argenti puri ferebatur accepisse muneri. Coloniensis antistes octo milia marcarum argenti. Moguntinus autem Gerlacus ideo Episcopatum accepit, cùm alter, Henricus, videlicet de Virnberg propterea fuerat eiectus per sedem Apostolicam, quòd Ludouico adhæreret. Licet illi nunquam quoad vixerat, cesserit, Gerlaco apud patrem latitante. Præterea improbabant electionem, quòd neque in loco debito (hoc est in Francfurt) electus, nec Aquisgrani, vbi decuit, coronatus fuit, iuxta morem & statuta imperij, nec apertè sed latenter: nec tempore conuenienti, hoc est vacante imperio, sed dolosè & viuente Ludouico; nec debito seruato processu iuris & æquitatis. Quoniam Palatinus Rheni Electores tum habuit conuocare, non Moguntinus.*

* nullum

19. Nec

19. Nec abludit Mutiùs cum scribit, *Dum se ad bellum parat Ludouicus, rex Franciæ multos in Germania pecunia corrupit. Multos redegit in gratiam cum Pontifice longa & odiosa discordia; terror conscientiarum quoque efficax fuit ad commouendos quosdam. quibus rebus comes Gerlacus de Nassaufretus conuocat autoritate apostolici Romaníue mandati Principes ad Rens causa eligendi alium Imperatorem.* O seculum tantùm non aureum, argenteum certè, quo plurimus argento veniit honos. Apparet etiam ex allatis auctorũ eorundẽ verbis, quàm verè Bzouius scribat, multos Procerum à Ludouico desciuisse, quòd eos inter cætera *etiam benignitas apostolica ad reuertendum inuitasset*; nam ob Episcopatum Moguntinus, ob communem sanguinem Treuirensis, ob filium Bohemiæ Rex, ob argentum Saxo & Coloniensis à Ludouico desciuere ad Carolum conuersi. *Pag. 242. 25.*

20. Itaque eiuscemodi electio Caroli fuit, quam Trithemius cùm descripsisset, ait, *Verùm quamdiu Ludouicus vixit, Carolus ad imperij possessionem non peruenit, licet Papa electionem statim confirmauerit. Adolphus enim comes Palatinus Rheni, Henricus Archiepiscopus Moguntinus, licet à Papa depositus, Marchio Brandeburgẽsis, Ducésq; Bauariæ, ac pene omnes ciuitates imperij, partes Ludouici vsq; ad mortem eius pro viribus sequentes defendebant.* *In Hirs. & Sponheim.*

21. Pronunciatum III. *Euocati* Electores *ad diem Mercurij, quæ erat 11. Iulij post festiuitatem Diuæ Margaritæ, apud Rensium oppidum, frequentes conuenerunt.* Festiuè admodum, Bzoui, quia de magno die festo Comitiorum agis, & Carolum eligis die extra omnem annum posito: dic enim mihi, quis dies ille 11. sit post festum Diuæ Margaritæ.
l. 12. c. 59. prope f. Villanus quidem refert Carolum XI. Iulij electum, sed non ait post festum D. Margaritæ: neque hoc referre potuit, vtpote tuæ arithmeticæ ignarus. Video in quibus pedicis hæseris. Quia Argentinas ait, diem electionis fuisse feriam quartam post festum D. Margaritæ, & Villanus vndecimum Iulij nominat, placuit tibi disiuncta coniungere, nec aduertisti ea inter se pugnare: quod non miror, cum ne tua quidem dicta inter sese pugnare animaduertas. Ne nescius sis, Bzoui, in Romanis fastis, quos in Breuiario tuo inuenies, dies D. Margaritæ sacer, est vicesimus, in Germanicis duodecimus aut decimus tertius. Elige iam vtros malueris, in neutris 11. Iulij post festum D. Margaritæ reperies. Nec immeritò arbitramur, locum quoque Villani, in quo 11. diem appellat, vitiatum esse, & loco 11. diei substitui oportere diem 19. eò quod facile potuit nouenarius vno ductu imperfectè expressus, videri vnitatis præ se ferre speciem; & Argentinas dicit electionis diem fuisse feriam quartam post

Mar-

Margarethæ; nam eo anno litera A. significabat Dominicam, & decimus nonus fuit dies Mercurij post D. Margaritæ in Germania.

22. Bzouius. *Volebat Carolus statim Aquisgranum proficisci, vt ibi diadema regium obtineret. Cæterum quòd Aquenses cum Adolpho Comite Palatino Rheni, & Henrico ex Archiepiscopo Moguntino partes Ludouici sequerentur, neque illum admittere vellent, Bonnam postea diuertit, & indidem* * *regni insignia, in magna Procerum frequentia ab Archiepiscopo Coloniensi accepit.* Col. 916. IX. § pen. * ibidem

23. Pronunciatum I. *Carolus Regni insignia in magna Procerum frequentia ab Archiepiscopo Coloniensi accepit.* Vti Bzouius comprobet multos Procerum desciuisse à Ludouico, commemorat iam multitudinem Carolo adhærentium, quam tamen Villanus, eius temporis scriptor, non vidit, nam apertè contrarium scribit hisce verbis, *Carolus quia præ potentia Bauari* (aduerte Villani verba Bzoui) *qui cũ amicis suis in ditione illa magnâ vi militum armatus erat ad oppugnandum eum, in sacello Aquisgrani coronari non poterat; in ciuitate quadam Bonna nomine prope Coloniam se coronari fecit, sua vi amicorúmque non obtinens, vt consuetum est per decretum, campum per triduum in armis; & hoc factum fuit die S. Catharinæ 25. Nouembris 1346. Pauci domini, Baronésque Germaniæ illi coronationi inter-* lib. 12. c. 77. m.

tersuerunt, quia maior pars adharebat Ludouico de Bauaria Bauaro nuncupato. Hæc Villanus, ex quo Bzouius fortasse didicit paucos dominos & Barones Germaniæ significare magnam Procerum frequentiam.

Pag. 138. 29. 24. Potuisset etiam apud Argentinatem intelligere eorum exiguum manipulum fuisse, qui pompæ illi Carolinæ interfuere. *Quem* Carolum *cum Aquenses*, inquit Argentinas, *& Colonienses non recepissent, in Bunna ab Archiepiscopo Coloniensi, dominica ante Andrea, extitit coronatus, & ab ipso Coloniensis, Treuerensis, Gerlacus de Nassauu prouisus Moguntinus, archiepiscopi: item Monasteriensis, Metensis, Leodiensis & Virdunensis episcopi, de suis regalibus sunt inuestiti.* Hunc exercitum Principum apud Carolum Argentinas dinumerat, inter quos nullum secularem videre licet. Poterat hîc Bzouius rursum Villani & Argentinatis sententias coniungere, errato quam antea leuiore. Nam dies D. Catharinæ eo anno incidit in Sabbathum ante Andreæ. Sed facilè conciliantur hi auctores, si dicamus, solennitatem coronationis Sabbatho in primis scilicet vesperis cœptam, Dominica perfectam.

Pag. 135. §. vlt. 25. Quam verò potentes iidem proceres fuerint, docet idem Argentinensis cùm eos significat vel à fœmina, vxore inquam Ludouici, potuisse

impe-

impediri, ne Aquisgranum venirent: *Intenderat autem*, inquit, *idem electus in instanti ire Aquisgranum pro coronatione, quam Coloniensis ei nitebatur impendere: cui tamen Aquenses, quantum in eis fuerat, intenderant resistere. Imperatrix autem tunc in Holandia scripsit Ludouico Principi, quod per gentem suam posset resistere Carolo, ne posset Aquisgranum venire.*

26. Bzouius. *Ludouicus interim Principes aliquos sibi addictos Spiram euocauerat, & in superiore Germania dominationem stabilire constituerat. Magnum tunc secutum est inter Germanos schisma, quibusdam Ludouicum, aliis verò Carolum sequentibus. Et illi quidem mandata Pontificia contemnebant; & in armis erant: hi verò sedis Apostolicæ reuerentes, pro Carolo dimicare decernebant. Pontifex vt Carolo Imperium designatum assereret, Regem Galliarum & alios Principes Christianos illi subsidio esse iußit.* Col. 916. IX. §. vlt.

27. Pronunciatum I. *Ludouicum Principes aliquos sibi addictos Spiram euocasse, & in superiore Germania dominationem stabilire constituisse.* Duo indicat Bzouius. Primum, paucos Principum Ludouicum Cæsarem agnouisse. Secundum, inferiorem Germaniam Carolo deuotam fuisse. At verò Bzouium in vtroque lectorem decipere, testabuntur antiqui. Rebdorfium ante alios Bzouius

nouit, qui tum viuebat, ſcribebat, & multa etiam
Pag. 436. §. 3. f. præſens videbat. Is ait, *Ludouico deſcendenti ad Rhenum, omnes ciuitates Rheni, & pro maiori parte Domini temporales (exceptis Electoribus ſupra nominatis) promiſerunt ei adhærere, & in nullo aduertere*
Pag. 139. v. 5. *Regem nouum.* Hæc Rebdorfius. Argentinas autem ita ſcribit, *Conuocatis quoque ciuitatibus Spiræ, ipſas concorditer reperit in ſua deuotione feruẽtes: ita quòd nec vna earum, Rheni, Sueuiæ, vel Franconiæ, electionem Caroli aut proceſſus Papæ curauit, nec quisquã illarum partium, aliquos contra Principem publicare proceſſus audebat. Baſilienſes tantum, licet ratione epiſcopi ſui, & progeniei Monachorum inibi præualentium & Carolo fauentium, ipſum receptare crederentur: videntes tamen tantam aliarum ciuitatum concordiam ſe adhæſuros Principi firmius aliis decreuerunt.* Hæc Argentinas; nec diſcrepat Mutius, *Spi-*
Pag. 243. 11. *ram,* ait, *Ludouicus conuocauit Principes & ciuitates Jmperiales, vt exploraret voluntatem eorum erga ſe; ſpe omnia adhuc meliora inuenit; plerique per ſuperiorem Germaniam deteſtabantur electionem Ca-*
In Ludou. *roli.* Accedat ad hos etiam Cuſpinianus, *Intelligens*
Pag. 472. 45. Ludouicus *nouam Regis Romani factam electionem, de Treuerenſi mirabatur & Saxoniæ duce. Sueuiam itaque ingreditur, Comitum, Baronum nobiliúmque animos exploraturus, quos omnes reperit integros. Cõuocatis igitur Principibus Spiram, ac Ciuitatibus Jmpe-*

Imperialibus, nullus est inuentus, qui vel electionem Caroli approbaret, vel processus Pontificis curaret, omnes sese in fide permansuros affirmantes. Ex his Bzoui censere potes, an aliqui duntaxat Principes Ludouici Imperium secuti sint, & an inferior Germania in fidem Caroli transierit.

28. Bzouius. *Auctorem habeo, huius temporis scriptorem rerum Pistoriensium, qui asserit Ludouicum Bauarum iterum cum Edouardo Anglorum Rege, aduersus Carolum Romanorum & Philippum Galliarum Reges fœdus icisse, & quemadmodum Albertus Argentinensis huius temporis scriptor meminit, Tridentum siue vt Carolum ab ingressu Italiæ arceret, siue vt Principes Italos contra eum concitaret venisse, ac Clementem Pontificem illi Luchinum Vicecomitem titulo Vexilliferi Romanæ Ecclesiæ opposuisse: omnésque Principes Italos, vt Carolo præsto essent, & in Ludouicum arma mouerent, monuisse. Verum enim vero Ludouicus non poterat adeo magnum operæ pretium tunc facere. Laborabat enim pedum vlceribus, quæ cancer sensim rodebat, carnes surarum pauxillatim deuorans, nec vllis medicamentis cedens, quemadmodum nec ipse de impietate sua cedebat, licet à tertio iam Romano Pontifice ad pietatem recipiendam paterne inuitatus. Hæc etiam fuit occasio Clementi Pontifici Carolum quantocius designandi, quod animaduerteret Ludouicum longa quiete sibi aliisque* Col. 911. IV.

inutili

inutili opus habere, nec vlli amplius multum nocere potuisse.

29. Pronunciatum I. *Ludouicum Tridentum venisse, siue vt Carolum ab ingressu Italiæ arceret, siue vt Principes Italos contra eum concitaret.* Huius pronunciati testem nominat Bzouius Argentinatem, qui non ait hoc anno Cæsarem Tridentum venisse, sed venire voluisse, impeditum tamen fuisse. *Eodem*, inquit, *Iulij mense Ludouicus princeps cum Ludouico & Stephano filiis suis Comitatum Tirolis ingressus, in Tridento, quod sibi & filio ratione ipsius comitatus subesse credidit, sicut ante cum Vngaro & Mastino Veronensi habere colloquium nitebatur. Episcopus autem Tridentinus ad preces regis Bohemiæ sedis prouisus, assumpta sibi gente Mediolanensi, Tridentinos à prædicti Ludouici Marchionis deuotione retraxit, & custoditis montanis, ne illi conuenire possent, impediuit.*

Pag. 138. §. pen.

30. Pronunciatum II. *Ludouicus non poterat adeo magnum operæ precium tunc facere.* Quid tibi videtur Bzoui? an non ego magnum operæ precium facio, cùm hostem non solùm ab oppugnatione oppidorum amoueo, sed etiam eò adigo, vt incensis illis, quæ antea ceperat, in tutum sese subducat? *Bohemus autem* Carolus, auctore Argentinate, *cùm oppidum Meron, & alia plurima vicisset, veniente Principe cum magno exercitu, victa per se comburens,*

Pag. 139. §. 3. antem

burens, reuersus est Tridentum. Hæc anno sequente Argentinas, qui & causam addit, cur Cæsar fugientem hostem nō sit porro persecutus: *maxima,* ait, *fuit caristia* hoc est caritas annonæ *vtrobique.* Vbi commeatus deficit, bella non diu durant.

31. Pronunciatum III. Ludouicus *laborabat pedum vlceribus, quæ cancer sensim rodebat, carnes surarum pauxillatim deuorans.* Scio Dubrauium hoc chartis mandasse, sed non adducor vt credam, eùm nullus ex antiquis neque etiam ex recentioribus alius quod sciam, id vel verbo referat: imò Mutius, *Anno,* inquit, *post Christum natum 1347 mense Octobri erat Ludouicus in oppido Monachij, inculpata prorsus valetudine.* Pag. 176. post m. l. 25 pr.

32. Pronunciatum IV. Ludouicus *de impietate sua non cedebat, licet à tertio iam Romano Pontifice ad pietatem recipiendam paternè inuitatus.* Ita quidem Dubrauius in gratiam sui Caroli, parum alias honestè designati Imperatoris; Bzouius in præiudicium Ludouici. Impietas Ludouici fuit Imperium nolle deponere. Sed oro te Bzoui, ostende sis paternam Iohannis & Clementis inuitationem. Benedicto paternus aduersus Ludouicum affectus non defuit, fortis animus aduersus Gallum defuit. Paternum Clementis in Ludouicum affectum sic expressit Nauclerus, *Hic Pontifex accepta dignitate sacra* pontificatus, *vt ante semper infensus* Ibid. An. 1342.

Ludouico Bauaro Cæsari, modò in gratiam Franci regis excommunicationis sententiam in Bauarum latam confirmat. & vt eius viribus obicem opponeret, in Italia Vicecomitum dominatum confirmauit, vt Ludouico siquid rei nouæ oriretur resisterent, reliquos duces tumultu Italiam complentes reliquit. Memorat etiam Argentinas, Francum & Bohemũ à Clemente nondum Pontifice in Ludouicum incitatos publico & contumelioso sermone; eundémq; iam Pontificem maiore dolo & inuidia aduersus Ludouicum motum, cum Bohemo & filio ac Treuerensi, perpetuum Ludouici & liberorum eius *exterminium* cogitasse, *qui conceptus*, inquit, *biennio parturiens fecit aborsum.* De paterno Iohannis in Ludouicum animo satis multa suo loco sunt dicta. Summa est. Legitimè electum non approbauit primum, deinde etiam communione & Imperio, vt supra demonstratum priuauit, eáq; omnia contra ius fásque. Contra ipse Ludouicus non modo filiorum, sed etiam seruorum obsequia modestiámque superauit, conditiones etiam se indignissimas, & iniquissimas, quas Clemens exegerat, admisit, admissurus etiam, nisi auctoritate sua interposita vetuissent in comitiis principes, alias non iam sibi sed Imperio Imperiíque principibus & futuris Imperatoribus iniuriosas, quod iuris & æqui rationem non tam sibi vt filio, quàm Pontifici

Pag. 133. §. 2.

Pag. 134. §. antep.

Pag. 194. n. 18. & seqq. 228. & 266. m.

vt

vt patri habendam declarandámque iudicaret.

33. Pronunciatum V, *Cancer* Ludouici *occasio fuit Clementi Pontifici, Carolum quantocius designandi, quod animaduerteret Ludouicum longa quiete sibi aliisque inutili opus habere.* Quis risum teneat Bzoui? Pontifex Carolum nequaquam properauit Cæsarem designare, ea de causa, quòd morbus, vt Dubrauius finxit, Ludouicum reddidisset inutilem, sed quia Ludouicum hostem iudicauerat, eum oderat, vt satis antehac demonstrauimus: imo rectius Pontifex in tam affecta Ludouici valetudine moram traxisset, daturus non ita multò pòst sine turba & bello Imperium Carolo.

34. Bzouius. *Iam Ludouicus rex non tam multorum literis sollicitatus quàm sua sponte, & vlciscendi fratris gratia & iuuandi Ludouici Bauari causa exercitum duodeuiginti legionum per Istrios & Forojulianos circumacto Adriatico sinu in Italiam ducebat: non multum addictus Pontifici Clementi.* Col. 970. XIX.

35. Et paulò post, *In publicum consessum oratores Clemens non admisit nec quicquam de regni possessione Ludouico decreuit, quòd is cum Ludouico Bauaro ab Ecclesia damnato fœdus pepigisset, & arma socialia cum hæretico iunxisset.*

36. Regem Hungariæ exercitum in Italiam duxisse iuuandi Cæsaris causa; item legatos eiusdem non admissos à Pontifice, quòd is cum Cæ-

ſare fœdus pepigiſſet, ad hiſtoriam Bzouij pertinet, quæ de rebus non geſtis perſcripta eſt; nam duo eius auctores Villanus & Bonfinius Regis Hungari expeditionem in Apuliam, réſq; geſtas deſcribunt absque mentione Ludouici Cæſaris, qui Bzouio ſemper in oculis eſt, ſed malignis.

ANNVS CHRISTI
1347.
Ludouici Imperatoris XXXIV.

1. ANtequam ad Bzouiana verba aggrediar, iure merito quęſtioni Bzouium ſubiicio, cauſam quæſiturus, quare hoc anno illuſtrem expeditionem aduerſus Carolum Regem Romanorum electum annalibus ſuis indignam iudicarit? veritus fortaſſis eſt aut Caroli gloriæ officere, aut certè cogitauit de laude Bauarorum decerpere? quid ſi vtrumque? prope me ipſum vadem præſtarem. Ergo quia Bzouius conniuente oculo & ſurdis auribus præteriit, agamus cum mitioris ingenij homine Villano, qui non grauabitur ſuo ſermone nos condocefacere: is rem hunc in modum narrat,
l. 12. c. 14 *Circa finem Aprilis, & initium Maij anno 1347. Carolus de Bohemia nouus electus, & iam per eccleſiam*

ſiam confirmatus Jmperator, vti dictum eſt, auxilio equitum Luchini Vicecomitis Domini Mediolani, & Martini de Scala Verona domini in Carinthiam venit, vt ditionem illam occuparet, in cuius partem ex hæreditate materna ſuccedebat; & quia introitum in Italiam expediuit, ciuitas Tridentum & opidum Feltrum & ciuitas Bellona vi Patriarcha Aquileienſis, & commiſſione Papæ ſe dedidit; opidum, territoriúmque Buzzanum combuſſit, & Tirolim obſedit. Marchio Brandeburgenſis Bauari filius, qui & ipſe ſibi per hæreditatem maternam partem Comitatus illius vendicabat, & propter inimicitias quas Carolus cum patre Bauaro habebat, ideo quod eo viuente ſe Imperatorem creari feciſſet, his perceptis ex Alemania ad ſuccurrendum Tiroli, & ad recuperandum territorium venit cum multis equitibus. Carolus intellecto ipſius aduentu, & quod maioris eſſet potentiæ, ab obſidione Tirolis cum ſuo exercitu non ſine magno dedecore & territorij recuperati iactura receſſit. Botzen. Tirol.

2. In eandem ſententiam Corius, *Anno*, inquit, *1347. dominante Mediolani Luchino Vicecomite, & Ioanne fratre eius Archiepiſcopo exiſtente, cum Carolus Imperator cum Ludouico Bauaro in Italia dimicaret, menſe Aprili multos conſcripſit milites, quibus cum duo iſti magnanimi reges inter ſe præliarentur, Carolus à Bauari filio debellatus, victúſque* Pag. 221. fac. 2.

permansit. Habuit nimirum Carolus infelicia Imperij sui auspicia; vix enim Imperiale diadema in ipsius vertice fulserat, cum vt auctor est Argẽtinas[a] & Dubrauius[b], Gallo sociatus & Anglum acie aggressus, ingenti & Galliæ prope exitiali prælio superatus est: vix enim cum Rege Gallo fugâ cædi subductus patrem Bohemiæ regem cæsum aut cædendum deseruit. Sed neque cum Bauaris propitia fortunâ contendit; Hoc enim eodem anno Cæsaris vim metuens aduersanti cessit, vt ad annum præcedentem ex Argentinate docuimus; Cæsaris deinde filium fugit cum iactura omnium, quæ prius occupauerat, vt modò ex Villano didicimus.

[a] P. 136. 41. & seqq.
[b] P. 176. 42. & seqq.

P. 437. §. 3. 3. Vtramque Caroli cladem simul paucis complexus est Rebdorfius cum scripsit, *Anno 1347. mense Ianuario associatis sibi quam pluribus nobilibus, Carolus transit Franconiam, & reuersus est in Bohemiam. post hæc mense Aprili intrat Alpes, ciuitatem Tridentinam: & cum adiutorio Dominorum Italiæ, videlicet Veronensium & Mediolanensium, conatus est recuperare comitatum Tyrolis, quod castrum obsedit diebus aliquibus. Sed Luduuicus colligens gentem, & volens resistere sibi,* id est, Carolo, *intrauit etiã, & cũ confusione recessit* Carolus, vt ex Villano & Corio audiuimus; *filius autem suus Marchio Brandeburgensis manet in Comitatu, & destruunt terram per guerrã cotidianã: in qua captus est Episcopus Curiensis*

ſis cum multis armatis, qui de parte regni fuerunt. Sed de his ſatis; imò ſi Bzouius non omiſiſſet, nihil.

4. Bzouius. *Cum hæc in Italia agerentur, & Ludouicus Bauarus in Germania, aduerſus Carolũ Romanorum Regẽ & Clementem Pontificem, vnà cum Henrico ex Archiepiſcopo Mogũtino omnia tentaret, tandẽ à numine, iniurias Apoſtolicæ ſedis & Romanæ Eccleſiæ vlciſcente, extinctus eſt. Ioanna duciſſa Auſtriæ, quã ob tetrã faciei diſpoſitionẽ Maultaſch, hoc eſt, oris perã, vel ſaccũ appellabant, ex Alſatia in Auſtriam reditura illũ conuenerat. Hæc ſiue necẽ Friderici Pulchri, quẽ Imperij competitorẽ Ludouicus ante aliquot annos occiderat, ſiue amores contemptos vlciſceretur, quanquã honorificè à Ludouico haberetur, veneno eũ tollere tentauit. Nõ omnino continentẽ fuiſſe Ludouicũ illud eſt argumento, quòd ſtatim, Ioanna abeunte, Burgrauiã Norimbergenſẽ quã amabat, acceſſerit. In itinere, quod ilico à cõuiuio ſurgens ſuſceperat, nonnihil punctionum circa cor perſenſit: ſéque veneno petitum ex indiciis intellexit. Cúmque vomitionem fruſtra irritaſſet, ad venationem perrexit, vt agitatione ac labore corpus calefaceret, & toxicũ diſſolueret. Siluam ingreſſus, inuſitatæ magnitudinis vrſũ fortuito offendit: in quẽ vehemẽtiore impetu incurſans, de equo præcipitatus crus fregit & corpus graui colliſione concuſſit: ſubitáque apoplexia percuſſus, circa meridiẽ eius diei, qui Diuo Gereoni mart. ſacer eſt, 5. Id. Oct. ſubitaneæ* Col. 1022. XXXI.

tanea morte decessit: secundo lapide à Monachio, non longe à vico Buech vbi Diua Edigna humata colitur.

De pœnitentia in extremo vitæ articulo, variant authores. Sunt enim plerique qui impœnitentem excessisse, alij secus asseuerant. Naucler. generat. 45. Cuspinianus in Ludouico & Pantaleon. Mutius histor. German. lib. 25. Trithem. in vtroque Chron. hoc anno. Henricus Rebdorf. in annalibus istud addit quod adiungo Et sic notabiliter diuina plaga interiit, non sine causa: quia aliquot annis ante obitum suum officiis & iudiciis suis præposuit tyrannos & excoriatores pauperum, minimam iustitiam facientes. In expeditionibus suis permisit terram & pauperes excoriari: in hospitiis, Ecclesiis, Monasteriis, secularibus & religiosis prælatis, ipse & filij sui grauissimi fuerunt. Clerum secularem odio cordis habuit; imo pluries dixit: Quod si thesaurizaret thesaurum de luto, collegia secularia non fundaret: & sic non absolutus à sententiis excommunicationis Ecclesiæ, quas Ioannes Papa contra ipsum fulminauit, miserrimè expirauit, & in Parochia B. Virginis in Monachio sepultus est.

Fatigatum pridem oportuit Bzouium in Ludouico insectando, sed tamen adhuc durat, & ei amicus est vsque ad aras; sicut vitam ita mortem eius traducit. Examinemus hominem.

5. Pronunciatum I. *Ludouicus tandem à numine iniurias Apostolicæ sedis & Romanæ Ecclesiæ vlcis-*

vlciſcente, extinctus eſt. Præpropera Ludouici mors in ſuſpiciones te incertiſſimas coniicit; nam etiam viri innocentia vitæ præſtantes ſubito fato occubuerunt, ita vt acceleratus obitus minimè certum indicium ſit vindictæ diuinæ.

6. Pronunciatum II. *Joanna ducißa Auſtriæ, quam ob tetram faciei diſpoſitionem Maultaſch, hoc eſt oris peram, vel ſaccum, appellabant, ex Alſatia in Auſtriam reditura illum conuenerat,* Quàm parùm verſatus ſis in hiſtoriis Bzoui, & hic locus exemplo eſt. Vnde venit iſta duciſſa Maultaſchia? tu tertium hymenæum ei cantaſti, & nondum eam noſti? Hæc ipſa Maultaſchia eſt, quam raptam alicubi marito per Cæſarem falsò exclamaſti. Margarita Carinthiaca, ſeu Tirolia cognomento Maultaſchia miſſo Bohemo, Ludouico Cæſaris filio nupſit; Auſtriaca neque genere neque nuptiis fuit, nec Ioanna nomine. Quocirca erras cum tuo Trithemio, cum Ioannam Auſtriæ duciſſam & Margaritam Tiroliam non diſcriminas. Vide Andream presbyterum [a] Ratiſponenſem, ante 200. circiter annos ſcribentem, Cuſpinianum [b] in Ludouico, Arenbeckium [c], Auentinum [d].

[a] Pag. 81 f
[b] P. 465. f
[c] P. 251. f.
[d] Pag 782 poſt m.

7. Pronunciatum III. *Hæc ſiue necem Friderici Pulchri, quem Imperij competitorem Ludouicus ante aliquot annos occiderat, ſiue amores contemptos vlciſceretur, quanquam honorificè à Ludouico habere-*

tur, veneno eum tollere tentauit. Improbè rurſus, Bzoui, & ſine auctore cædem Ludouico imponis: an is Fridericum Auſtriacum occidit? auden hoc effari? quo genere lethi eum ſuſtulit? poculo, an ferro? Summa iſta iniuria eſt, quam magno Principi irrogas. Elue, elue, aut non piabis. En tuo te
N.XXVII. mucrone conficiam: anno 1329. hæc ex Cuſpiniano ſcripſiſti, *In Auſtria Fridericus Auſtrius, Romanorum Rex aduerſus Ludouicum Bauarum electus, hoc anno in humanis eſſe deſiit, ſiue animi ægritudine, quam in carcere apud Ludouicum contraxerat, ſiue poculo amatorio à quadam porrecto, confectus. Fertur enim quod nobilis quædam mulier Friderici non impigri militis coniunx, poculum aliquod inſcio ei propinauerit, quo ille exhauſto, viribus primum deficiens, deinde paulatim contabeſcens, dehinc inualeſcente morbo corruptus occubuerit.* Hæc tu. Sex autem annos Fridericus carcere ſolutus ſuperuixit, & tamen à Ludouico occiſum ſcribis: ſaltem ſcripſiſſes, vitæ annos ei à Ludouico imminutos. Deinde ex te percontor Bzoui, quos ſpretos amores Ioanna Duciſſa vindicarit? an fortaſſe illa ducenda fuiſſet, & contempta eſt? ede huius rei auctorem, ede Bzoui, nam tu parum fidei habes.

8. Pronunciatum IV. *Ludouicum non omnino continentem fuiſſe.* Hoc ex Cuſpiniano & Cuſpinianum ſecuto Pantaleone deſumpſiſti, vt haberes

beres quod carperes. Verum cùm id antiqui sileant, minus profectò credibile videri debet, poterátque abs te refelli, sicut refelluntur quæ de libidinationibus cuiusdam, cui tu parsum vis, ferebantur. Si refellere non libebat, saltem tacuisses, vt multa huius generis alia, quia ad eos, quos defendis, attinebant. Sed nimirum quod vis credis, quod non vis, non credis, atque idcirco quæ de amicorum libidinationibus feruntur, in fabulis ponis; quæ de Ludouici amoribus, in historijs. Odi, dices, Ludouicum; hoc credo. An. 1314 X.

9. Pronunciatum. V. *In itinere quod ilico à conuiuio surgens susceperat, nonnihil punctionum circa cor persensit.* Prodis nimis crebro Bzoui tuã diligentiã: nonnihil punctionum eum persensisse, ex Cuspiniano & Pantaleone ais, in itinere, quod secus est; nam hi auctores tradunt eum in ipso conuiuio sensisse puncturas, quas tu egregiè nonnihil punctionum interpretaris. ita Cuspinianus loquitur. *Hilaris & lætus in conuiuio existens, puncturas iuxta cor sentiens, veneni suspicio occurrebat. Ob id ilico surgens* &c. Ijsdem ferè verbis Pantaleon, *Cùm*, inquit, *in conuiuio hilaris & lætus existeret, puncturas subitò circa cor sensit, ita vt veneni suspicio occurreret. Propterea illico de more surgebat* &c. Itaque in mensa, Bzoui, puncturis tentatus est Cæsar non in itinere, quod postea demum inijt ijsdem auctoribus. Pag. 323. §. vlt.

10. Pronunciatum VI. *Se veneno petitum ex indicijs intellexit.* Nesciebam tam bene mereri te posse de Austriaca gente; certè eam incerto crimine oneras. Cur temerè asseris, quòd nemo ex auctoribus à te nominatis asserit? suspicionem aut famam incertam omnes referunt, audi singulos. Primus Nauclerus, *Cùm ex eodem poculo princeps* Ludouicus *à ducissa Austriæ Ioanna porrecto biberet, statim sensit se grauatum. Vnde accepta occasione & exercitij gratia exiuit venatum, paralysi dein percussus, de equo in terram corruit, & mox expirauit, quo mortuo fama volauit, quod de poculo intoxicatus esset, quod tamen non fuit clarum.* Cuspinianus & Pantaleon meram suspicionem memorant, vt vidimus; Mutius item, p.244.43 *Suspicio fuit veneno necatum, quod tamen, quod sciã, nemo asseruit.* Trithemius in Hirsaugiensi, *Fuerunt qui dicerent eum cuiusdam Austriæ ducissæ veneno perijsse: quod verum sit nec ne, satis exploratum non habemus.* Idem in Sponheimensi, *Fama est eum veneno perijsse ducissæ Austriæ. Certum quidẽ hoc tenemus, quod sumpto cum ea cibo in eadem mensa, statim malè sentire cœpit, sperànsque agitatione corporis* &c. Rebdorfius ne famam quidem aut susciponem veneni habet, vt nec Argentinas, quem omisisti.

11. Pronunciatum VII. *De equo præcipitatus crus fregit.* Bzouius hoc crurifragium excogitasse videtur; caret enim teste.

12. Pro-

12. Pronunciatũ IIX. *Pleriq; auctores impœnitentem excessisse asseuerãt.* Obliuisceris certè Bzoui hominis religiosi: quid opus est pijs manibus parentare tã insigni iniuria? tibíne pleriq; authores tradunt impœnitentem excessisse? Atqui tu sex auctores adducis, & septimi Auentini quanquã non nominati verba de D. Edigna affers; ex quibus nullus dicit impœnitentem obijsse, imò Cuspinianus & Pantaleon, quos secundo & tertio loco citasti, dicũt pœnitentem obijsse, reliqui à te allati, Nauclerus, Mutius, Trithemius, Rebdorfius, Auentinus neutrum dicunt. Audiamus Cuspinianũ [a] & Pantaleonem [b], *Destitutus omnibus sensibus ac viribus cum ad se rediisset, eleuatis in cælũ oculis & genibus flexis, pulcherrima ac deuotissima ardentissimáq; oratione cum maximo singultu Deum rogat, vt animæ suæ misereatur & peccatis ignoscat, & per filium suum Iesum Christum vitam æternam largiatur. Paulò etiam post moritur, 5. Idus Octobr. Imperij sui anno 33. atq; salutis 1347. Deinde Monaci apud beatam virginẽ Imperiali pompa, magno multorum desiderio, honorificè sepultus, in domino quiescit. Clarissimus heros, & meritò summis Imperatoribus annumerandus.* Si hoc, mi Bzoui sine pœnitẽtia mori est, etiam Sancti sine pœnitentia mortui sunt, puto enim & ipsos in excessu orasse. Eadem fere scripsit anno 1449. Iohannes Kôtterlin in mſ. de fundatione monasterij Etal.

a P. 473. m
b Part. 2. vir. illustr. Germ pag. 323. §. vlt.

13. Sed & alij Ludouicum pœnitentem obiisse dicunt, vt author anonymus Ludouico tamen synchronus, *Anno*, inquit, *M.CCC.XLVII.* v. *Id.Octobr. præfatus Dominus Ludouicus Imperator assertus, equitans venatiōe vrsi in nemore prope Monasterium Fürstenuelt, in Bauaria apoplexia seu paralysi vehementer percussus, corruens de caballo obiit improuisè, non tamen sine certis verbis & gestis pœnitentiæ Christianæ. Deinde quarto die in Monaco, in Ecclesia parochiali S. Mariæ in sepulchro prioris suæ cōthoralis sepultus, vt supra.* Istud vt supra sic habet. *Porrò præfatus Ludouicus quartus Anno Domini M.CCC.XLVII.* v. *Id. Octobris, circa finem tricesimi tertij anni regni sui, in Babaria prope Monasterium Fürstenuelt, apoplexia seu paralysi vehementer percussus, sedens in & corruens de caballo obiit improuisè: non tamen sine certis & notâ dignis verbis & gestis pœnitentiæ Christianæ. Deinde quartò die in suo opido Monako in parochiali Sanctæ Mariæ Ecclesia in sepulchro prioris suæ conthoralis sepultus est, cuius anima in pace vtinam requiescat.*

MS. biblioth. Acad. Ingolstad.

14. Paulus Langius, *Anno Domini M. CCC. XLVII. qui est primus Ioannis episcopi nostri, Luduicus Imperator in venatione cadēs de equo mortuus est, & (vt scribunt multi) intoxicatus per Ioannam vxorem ducis Austriæ, quæ tum præsens erat. Et licet excommunicatus obierit, signa tamen pœnitentiæ & contritionis ostendit.*

Chron. Citizensi, p. 837. f.

15. Kran

15. Kranzius. *Ludouicus autem Imperator, quum ad mensam haberet Burgrauium de Nurenberga, qui illum comiter solebat adire, sensit ex more veneni punctiones: quod ei (vt ferunt) non tum primùm accidit. Crebrius enim hac arte tentatus, ad vomitum se prouocans euasit periculum. Sed tum vomitus prodesse non poterat, superante vi toxici. Ad venationem consurgit, vt agitato & incalescente corpore, venenum superaretur. Ibi quum vrsum sequeretur fugientem, equo delapsus, grauiter læso corpore peruenit ad extrema. Compunctus tamen corde, breui efflauit spiritum, regio fastigio tumulatus est in Monaco.* 9. Saxon. 22. v. 31.

16. Ante annos amplius centum Staindelius domesticus scriptor, *Eodem anno in die S. Gereonis martyris Ludouicus Imperator obiit, sepultus Monaci in Ecclesia parochiali B. Virginis, qui in fine dixit, Deus propitius esto mihi peccatori, quia quamuis sæpissime peccaui, nunquam tamen te Deum miserationum fide vel voto negaui.* In ms. anno 1348. §. 2.

17. Vitus Arenbeckius presbyter itidem domesticus, ante totidem fere annos sic scripsit, *Anno Christi M. CCC. XLVII. In die Gereonis Martyris & sociorum eius, Ludouicus Romanorum Imperator &c. regni sui* XXXIII. *Imperij verò* XX. *anno diem obiit, sepultus in Ecclesia parochiali beatæ Virginis Mariæ in Monaco, cuius mors sic euenit, vt fertur. Ducissa Iohanna vxor Alberti Ducis Austriæ ex Alsatia* Ms. p. 248 fac. 2. v. 4.

ſatia per Bauariam in Auſtriam deſcendit, ſed cum veniſſet in monaſterium B. Virginis Mariæ in Vndensdorf, Imperator Ludouicus bono animo & columbina ſimplicitate eam acceßit in eodem monaſterio ſuſcipiens & tractans eam cum magna reuerentia & honore, ac ibidem cum ingenti gaudio pernoctarunt, altera autem die ipſa duciſſa in viam Auſtriæ tendens valefecit, & Imperatori potum porrexit, ſed dum ille ob ſuſpicionem bibere cõtemneret, illa prior bibit, quod videns Imperator & calliditatem ignorans, quod geminus potus ſibi in eodem flaſcone offerebatur, confidenter bibens letale virus ſuſcepit, ipſa verò duciſſa veneni miniſtra, ſummi mundi capitis immunda interfectrix, mox vt Imperator bibit, fugiens euaſit. Venerunt igitur venatores ad Imperatorem dicentes, quod vrſum inueniſſent, qui cum magna delectatione & venandi libidine cum duobus militibus ſiluam petiit, vbi dolore vehementi ex vertigine capitis de equo corruens inquit, O dulcis virgo Maria adeſto morti meæ, hæc dicens in gremio cuiuſdam ruſtici mortuus eſt. Quo clamore audito milites de equis ſalientes, leuare eum conantes mortuum inuenerunt. Igitur famuli ſui corpus ſuum in præfatum Monaſterium Vndensdorf deportantes ibidem cum eodem peruigiles, accenſis luminaribus pernoctarunt, cum lamentatione ingenti, & tertia die in Monacum deferentes, ad beatam Virginem terræ commendarunt.

18.Lu-

18. Ludouicum impœnitentem obiisse dicit vnus, quem *Bzouius* ad eius obitum adnotare debuisset nec tamen adnotauit, Villanus, & nescio *lib. 12. cap. 105.* quis anonymus ad oram Rebdorfij annis aliquot post hanc Bzouij scriptionem à Geuoldo editi, quē Bzouius videre ante non potuit. Villanus vt externus propter locorum longinquitatem falli rumore falso facilè potuit, præsertim cum Guelfus fuerit, & de Gibellinis non inuitus deteriora crediderit. Anonymi ætas & authoritas incerta est.

19. Neutrum, id est, nec pœnitentem nec impœnitentem obiisse dicunt Argentinensis p. 141. m. Fr. Andreas presbyter S. Magni Ratispon. p. 81. Meyerus 13. Annal. Flandr. Ciaconius p. 721. ante m. Iohañes Bertelius Abbas in Luxenburgensi hist. p. 57. §. vlt. Felix Fabri p. 151. §. 2. f. qui scripsit ante annos amplius ducentos; Aubertus Miræus, Corius, Parolipomena Vrspergensis, Serarius p. 856. post m. Iohannes Nicolaus Dolionus compend. Italico hist. vniuers. p. 400. ante m. Petrus Mexias in hist. Imperatorum Hispanica, p. 638. f. Ludouicus Cauitellus Italus Annal. Cremonens. pag. 130. §. 2. f.

20. Sed vbi meus Bzouius iam est? pone quod siparium sese abdidit? qua latebra se texit? certè lucem ferre non potest, quia omnium oculi in ipsum coniecti ob tam immanem vanitatem, quam an-

nalibus suis intexuit. Vnus tantùm quem ipse norit, & alter quem planè ignorauerat, impœnitentē, octo pœnitentē, septendecim neutrum dicunt, & tamē Bzouius parùm piè exclamat, *Sunt pleriq; qui impœnitentem excessisse asseuerant.* Reuoca, reuoca Bzoui; scis enim illud tritū, *Non remittetur peccatū, nisi restituatur ablatum:* quod haud paulò magis de famæ quam pecuniæ damno vrgendum venit.

S. Augustini epist. 54 post m. t. 2. & 95 post m.

21. Potest porro & in subita morte esse pœnitentia. Subitam mortem vocamus non eam solùm, qua momento homo extinguitur, sed illam quoque, quæ paruulam morienti moram permittit, qualis Ludouici fuit; rediit enim pauxillulum ad se, & maius temporis spacium ardenti in Deum affectu compensauit: nec refert, quod dicat Rebdorfius eum miserrimè expirasse; nā hoc ait, quod non absolutus à sententiis Pontificiis obierit: sed cùm Ludouicus obtinendæ absolutionis causa nihil non fecerit, miseria hæc redit ad illos, qui ei meritam debitámque absolutionem negauere. Et miseriam hanc à Ludouico auertit ipse summus Pontifex Innocentius III. vt postea docebimus. Quidquid demum sit, miserrimè expirare, non est impœnitentem expirare. Bzouius videtur cum quadam voluptate ex Rebdorfio epicedion Ludouici cineribus accinere, laudes si inuenisset, omissurus. Sed scire lector debet, Rebdorfium Ludouico non

co non valde amicum. Supra certè ostendimus *Pag. 45. n. 10.* eum cum iniuria scripsisse Ludouicum *remissum fuisse in executione iustitiæ, & tardum ad labores*; nã id ipsi Imperij Principes publico testimonio refutarunt, & res ipsa docuit monachum veritatis limen excessisse. Similem iniuriam eidem ab eodem factam, paulo post demonstrabimus, cum de Etalensis monasterij primordiis agemus. Parem igitur fidem & hîc meretur.

22. Demus demum, aliquid hoc in genere contigisse. Peccarint ab illo impositi iudices, an Ludouicus propterea eorum culpam præstare debet? Magnum etiam cæteris regibus onus imponis, si quod delirant serui, ob id plectendi sunt domini. At in expeditionibus nimiam licentiam permisit militibus! Quid si illi eam arripuissent nõ datam? Multa bella gessit Ludouicus ab iis lacessitus coactúsque, à quibus minimè debuit; nec potuit fieri quin ærarium non exhauriretur; ergo vbi stipendia non soluuntur, alibi miles commeatum quærit, nec prohiberi potest. Æquior Ludouico fuerat Villanus, qui anno 1327. scribit, Ludouicum non *l. 10. c. 33 post m.* auaritia sed necessitate imposuisse tributa populis. Quam necessitatem Rebdorfius hîc oblitus, tamẽ aliis duobus locis commemorat, & ob eandem *Pag. 422. §. 4. & 435 §. 1.* Ludouicum filiósque eius hospitiis, ecclesiis, monasteriis graues fuisse cogitare debebat.

 23. Cle-

23. Clerum secularem ideo forsitan non amauit, quod is virtutem odisset; scimus enim per eas ætates non fuisse omnem Clerum sanctum; religiosorum certè eximius amator fuit, & fruuntur etiam hodierno die eius beneficentia Etalenses, quibus insigne monasterium extruxit, largissiméque ditauit. Extant ea de re literæ Henrici Episcopi & Capituli Augustani, autographis literis Basileensis insertæ Concilij, & in eodem monasterio asseruatæ, quas ad refellendas Rebdorfij calumnias adscribere visum est ad verbum.

In nomine Domini Amen.

24. Quia dignum est, vt vtilitatibus ecclesiasticis desudantes digna remuneratione gaudeant & spiritualibus consolentur, vt solicitudo religiosa Iuris & hominum præmiis afficiatur, & ad obseruationem fidei prouocetur, & vt piæ desiderium voluntatis & laudandæ diffinitionis intentio spiritualibus studiis adiuuetur, præsertim Imperatoria maiestas per quam Deus humano generi iura distribuit, quia tanquam fortuna principalis omnes supereminet, sine qua salus reipublicæ non potest vtiliter gubernari, est excellentius honoranda, vt decus & honor Imperij clarior exhibeatur, ea propter nouerint vniuersi, qui sua crediderint interesse, quod nos Henricus Dei gratia electus & confirmatus Ecclesiæ Augustensis conuenientes

tes

tes in capitulo nostro cum honorabilibus viris dominis Eberhardo Præposito, Rudolpho Decano, totóque capitulo Ecclesiæ nostræ ad hoc more solito conuocato, præfixo termino sicut est moris, multis tractatibus præhabitis, & negocio diligentius trutinato, adhibitis etiam omnibus & singulis solennitatibus quæ requiruntur in talibus, tam de consuetudine, quam de iure, pensantes, quod Serenissimus Dominus Ludouicus Romanorum Imperator semper Augustus Dei spiritu ductus & zelo feruentissimæ charitatis, quibus monasterium Etal, quod de nouo construxit, erexit, & ædificauit ad honorem summæ trinitatis, exaltationem fidei catholicæ; nec non vt suis temporibus cultus diuini nominis augmentetur, fauore prosequitur speciali & multipliciter dotauit, vt ibi diuinæ laudis organa frequentẽtur, deuotio vigeat religionis, & quod transeuntibus exhibeantur opera pietatis, quæ singula fieri non possunt nisi spiritualia temporalibus adiuuentur, ad ipsius instantiam & deuotam petitionem, Ecclesias parochiales ambas in Gundelfingen, videlicet S. Martini & S. Ioannis, item Ecclesiam parochialem in Laugingen, item in Eglingen, Manchingen, Môringen prædicto monasterio in Etal propter multiplicia beneficia nobis & Ecclesiæ nostræ gratiosius impensa, nec non vt firma credulitate speramus, in posterum impendenda incorporamus, vnimus, tradimus, & donamus, quantum ad fructus & prouen-

 tus,

tus, & redditus vtendos, fruendos & perpetuo pacificè poßidendos, nobis & Ecclesiæ nostræ in eisdem ecclesiis iurisdictionem Ecclesiasticam & iura spiritualia reseruantes, volentes etiam, quòd in eisdem ecclesiis nobis & successoribus nostris instituendi perpetui Vicarij præsententur, quibus de redditibus earundem ecclesiarum præbenda sufficiens & congrua ministretur, vnde valeant sustentari, nec non onera sedis Apostolicæ, Episcopalia, Archidiaconi, hoßpitalitatis, nec non alia iura quæcunque congruè supportare. Nolumus etiam quod Rectoribus prædictarum Ecclesiarum in Laugingen, & in Manchingen per prædicta quamdiu tenuerint easdem Ecclesias, in iure vllum præiudicium generetur, volentes, constituentes, diffinientes, omnia præmissa nec non quodlibet eorum inuiolabiliter perpetuo perdurare. In quorum omnium euidentiam præsentes conscribi fecimus, & sigillis tam nostro quam prædicti capituli Ecclesiæ nostræ legitimè roborari. Datum Augustæ anno domini 1340. in octaua Natiuitatis Beatæ Virginis.

Metrop. p. 212. ante m. 25. *B*reuius eadem vel similia enucleatiúsque tradamus ex Hundio, *Imperator Ludouicus Quartus anno 1330. instituit Abbatiam S. Benedicti pro 20 monachis, quorum quatuordecim sacerdotes esse deberent. Posuerat eodem loco tredecim equites auratos emeritos, quorum vnus Magister ac superior esset, vnà cum coniugibus eorum, ac aliquot viduis, quibus æquè*

ac

ac sacerdotibus omnia ad vitæ sustentationem necessaria præberi ordinauit, atque hoc cœnobium vocauit Etal. Dedit huic Monasterio comitatum Mörìngen, cum omnibus attinentiis, Tölz cum omnibus attinentiis suis, Aduocatiam in Lauterpach, in Hademaringen 24. librarum Monacensium, Comitatum in Pitengauu cum omnibus attinentiis, & cum aduocatia Raitenpuch & Staingaden, Aduocatiā in Häbach; ablata postea per filios Ludouici & alienata. Quapropter etiā milites coacti sunt hinc migrare, vt supra dictum est, Anno 1332. Imperator Ludouicus emit, in ipso die S. Viti ab Vlrico de Schönek, Episcopo Augustensi, à Præposito, Decano, totóq; capitulo castrū Eschelock & forū Murnau cū omnibus attinentiis suis, cum ecclesiis Eschenloch, Staffelsee, Hugelfingen.

26. Conferamus iam cum his Rebdorfiij narrationem, *Ludouicus quoddam monasterium, in quo multas reliquias solennes & preciosos ornatus circa diuina dedit, in diœcesi Frisingensi construit; dictum Etal pro laicis militibus antiquis, vlterius laborare non valentibus, recipiendis in ipso cum suis vxoribus. Pro cuius monasterij fundatione multas Ecclesias suis bonis & rebus priuauit.* Hæc Rebdorfius, qui omissis religiosis solos laicos memorat; nulla item aliorum redituum facta mentione, solum Ecclesias easque velut per nefas bonis spoliatas ingerit, cum Episcopi & Capituli intercesserit auctoritas. P.423.401

27. Sed mortuus est Ludouicus in excommunicatione! Pœnitentem apud Deum, vincula quæ summa industriâ dissolui nequiuere, non ligant. Quid non molitus est Cęsar vt Pontificibus reconciliaretur? Totus Imperij senatus intercessit, ne nimium faceret: ergo per eum non stetit quo minus Ecclesiastica sententia absolueretur, nec aliena ei iniuria fraudi magis esse potuit quam commodo. Itaque Iohannis 22. aduersus Ludouicum eiúsque

Apud Naucler. anno 1323. fautores *processus, vt scribit Fr. Hermannus, qui tũc temporis vixit, à multis inualidi reputabantur, quia dicuntur examinati à doctoribus vtriusque iuris, qui iudicabant eos penitus non valere.* Idem de iisdem doctoribus scribit Mutius. Anno insuper 1338. Ar-

P.227.23 chiepiscopi, Episcopi, Principes & alij Francofurtensium Comitiorum Proceres Ludouicum pro excommunicato haberi vetuerunt, cum consilio haud dubiè tam Theologiæ quàm iuris Doctorũ, qui latas in Ludouicum excommunicationis sententias, vt eo loci ostendimus, irritas censuere.

28. Sed fuerint sanè ratæ Pontificum in Ludouicum sententiæ, nihilominus eum ab iis Dei & Ecclesiæ auctoritate absolutum ostendemus, atque ad hanc rem ex summorum Theologorum ac Iureconsultorum fontibus hausta quædam lecto-

T.5. in 3. p. ... 5. ri propinabimus. *Multi enim,* inquit Franciscus Suarez, *& graues auctores affirmant non esse intentionem*

nem Ecclesiæ homines iam contritos & resipiscentes, sed nondum à censura absolutos, excludere à participatione suffragiorum communium, ideóque licitum esse prudenti modo, & secluso scandalo illos participes facere huiusmodi suffragiorum, dummodo per illos nō stet, quo minus excommunicationis absolutionem obtineant. Fundamentum huius sententiæ est, quia non est verisimile Ecclesiam velle suis suffragiis priuare membrum viuum, fide & charitate sibi coniunctum, & obedientem, per quem non stat quo minus à censura absoluatur. Item quia excommunicatio alio modo vel intentione lata, quantum ad hunc effectum, esset iniusta, quia pertinet ad spirituale detrimentum: & ideo durare non debet, nisi quamdiu vera causa ex parte hominis durat. Maximè cùm sine vlla externa communicatione, & consequenter sine vllo Ecclesiæ detrimento poßit hic effectus suspendi, seu cessare ratione contritionis. Nam propter similem causam in superioribus dicebamus, censuram in exteriori foro iustè latam, ob causam præsumptam, & non veram, non habere valorem, saltem quoad hunc effectum priuandi suffragiis; quia non est verisimile, Ecclesiam velle priuare hominem innocentem tanto bono: ergo similiter in proposito. Quæ tanto plus valere in Ludouico debent, quanto ille sæpius demissiúsque & obnixius absolutionem petijt, nec impetrauit.

29. Ceterùm tametsi Suarez ab hac sententia in

contrariam abeat, minimè tamen illam damnat, vtpote & argumentis fultã, & Auctoribus stipatã; defendit eandem S. Antoninus p. 3. tit. 24. vbi ait: *Excommunicatus pro iusta causa si pœnitet, & diligentissimè procurat absolutionem, paratus satisfacere, & facere quod in se est, ex tunc sibi valent orationes Ecclesiæ.* Item Nauarrus in manuali cap. 27. n. 17. & 18. *Triplex*, inquit, *est Communio; Prima omninò interior charitatis & gratiæ, per quam efficimur membra eiusdem corporis Mystici Christi, à qua solum peccatũ mortale nos separat. Secunda omninò exterior, qua inter nos alij alijs communicamus comedendo, bibendo, colloquendo. Tertia media siue mixta, scilicet Sacramentorum, & suffragiorum generalium, quæ facit, aut præcipit fieri Ecclesia Catholica. Excommunicatio non tollit primam communionem, sed supponit sublatam esse; & ita operatur primò, non quidem, vt nonnulli dicunt, exclusionem à gratia Dei, sed declarationem exclusionis factæ per peccatum mortale. Secundò excludit à Sacramentis Ecclesiæ actiuè & passiuè, ita quòd nec possit accipere nec dare. Tertiò priuat suffragijs generalibus Ecclesiæ; adeò, vt nulla in re intendat ei subuenire: quod maximum damnum est. Ob quod dici solet Excommunicatum possideri à Diabolo, & vti eo sicuti mulio suo iumento. Quod tamen non intelligitur de excommunicato verè attrito; is enim coram Deo est in statu gratiæ, & fruitur communione primâ & tertiâ*

tertiâ; non autem secundâ. Itáque in ea sententia est Nauarrus, Excommunicatum per animi mutationem Deo restitutum, Sacramentorum deinde participatione, & Ecclesiæ orationibus seu suffragijs gaudere posse. Quæ sententia Couarruuiæ etiam placuit in c. alma mater. de sent. excom. p. 1. §. 6. n. 4. concl. 9. cùm ait. *Poterit quis, vt Ecclesiæ Minister, vel vt persona publica, secretè tamen orare, aut sacrificium applicare illi Excommunicato, qui mortalis criminis iam pœnituit, & diligenter absolutionem impetrare curauerit: licet nondum sit absolutus. Hoc colligitur ex Hostiensi communiter recepto in c. cum voluntate, de sent. excommun. & notat Martinus Azpilcueta in c. quando, de consecratione, d. 1. notab. 19. n. 68. Nam & huic etiam generalia Ecclesiæ suffragia vtilia sunt, nec is ab eis excluditur, secundùm Cardinalem à Turrecremata in c. Si quis Episcopus, 11. q. 3. post Richardum in 4. sentent. distinct. 18. & Florentinum 3. p. tit. 24. cap. 77.*

Rich. in 4. d. 18. art. 7. quæst. 2. *De Excommunicatis verò maiori excommunicatione distinguendum est: quia aut fuerunt excommunicati pro iniusta caussa: aut pro iusta. Si pro iniusta, non excluduntur propter hoc à suffragijs orationum Ecclesiæ: quia talis non est excommunicatus quoad Ecclesiam triumphantem, nisi sit aliud quod obsistat:*

 nec

nec militans Ecclesia tales intendit à suffragijs orationum excludere. Si autem est excommunicatus pro iusta causa: aut pœnitet, & diligentissimè absolutionem suam procurat, paratus facere quicquid in se est: & pro illo statu valent sibi orationes Ecclesiæ, quia ex tunc peccatũ sibi remissum est: cuius remissio absoluit quantum ad iudicium Ecclesiæ triumphantis: &c.

30. Stephanus de Auila in tract. de censuris ecclesiasticis, proposita hac eadem quæstione in 2. p. cap. 6. disp. 4. dubio secundò, *Quando Excommunicatus exit à peccato, & non stat per ipsum, quin absoluatur ab excommunicatione, vtrũ statim fruatur communibus Ecclesiæ suffragijs?* Respondet, probabiliorem esse sententiam affirmantem, eamque probat primò. *Ecclesia ideò priuat Excommunicatũ suis suffragijs, quia illum reputat inimicum & contumacem, ergò si cessat contumacia, cessat etiam voluntas puniendi illum hac pœna acerbissima, & oppositum videtur inhumanum. Confirmatur, quia non est præsumendum de pietate Ecclesiæ, quòd velit excludere à suis suffragijs & tradere Satanæ illum, quem Deus admisit in suam amicitiam. Secundò, iste est membrum Christi viuum, & per consequens membrum viuum Ecclesiæ, ergò vegetatur eodem spiritu, quo reliqua membra viua, atq; adeò fruitur communibus suffragijs. Tertiò, Excommunicatio est medicinalis, sed iste iam est curatus, ergo cessauit excommuni-*

municatio saltèm quantum ad hunc effectum, qui est, priuari suffragijs.

Quorum nos Doctorũ auctoritatẽ secuti supra diximus, Ludouicũ Cæsarẽ, post actã pœnitentiã, vinculis Excomunicationis nõ solùm corãDeo, sed quodamodò etiã apud Ecclesiã, exolutum fuisse.

31. Accedit postremo quod Vitus Arenbeckius presbyter scribit, *Dicunt quidam quod nec vsque hodie sit absolutum iuxta formam Ecclesiæ illud morticinum*, id est cadauer Ludouici; *sed ego à genitore meo audiui, quod id factum sit in generali concilio Constantiensi vel ad minus Basiliensi.* Pag. 251. fac. 2. m.

32. Bzouius. *De ea Ludouici morte, cùm Pontificẽ Clementem Carolus* IV. *certiorem fecisset, & ipse grates quam maximas Deo habuit, quod aprum exterminatorẽ vineæ mysticæ exterminasset, & pacẽ Ecclesiæ atq; Imperio reddidisset. Quamobrẽ & Caroli Regis Nuncios benignè audiuit, & sine difficultate triũphatori gratulatus est victoriã, datis literis numero 909.* Col. 1022. XXXII. § 2

Neque dum in tumulo Ludouico quies est; Bzouius eum apri nomine incestat, & apri vineæ mysticæ exterminatoris. Verùm Ludouicúsne an eius aduersarij vineam vastarint, adeóque Christianæ reip. calamitatum auctores fuerint, ex toto triginta trium annorum rerúmque gestarum, quas hucusque exposuimus, decursu satis apparet. Vindicauit ille iniurias, non intulit; & auctores vtique

iniuriarum magis accuſandi ſunt quàm vindices. Itaque, Bzoui, quem tu aprum appellas, ab haud
l.3.p.211. paulò doctiore monacho Italiæ Onuphrio Panui-
v.5. nio, libro de Principibus Romanis dictus eſt

IMPER. CÆSAR
HLVDOVICVS. V. PIVS.
FELIX. AVGVSTVS.

33. EOdem auguſto Imperatoris vocabulo eundem condecorant plerique alij variarũ gentium ſcriptores, imperatores, reges, principes; Germani, Bohemi, Itali, Hiſpani, Galli, Angli; Argentinas p. 129. v. 1. Nauclerus año 1323. Mutius p. 229. v. 51. Meyerus an. 1336. v. 1. Trithem. in Hirſaug. an. 1323. Paulus Lang. chron. Citiz. an. 1324. Kranz. 9. Sax. 16. Pantaleon vir. ill. part. 2. an. 1330. p. 318. Miræus chron. an. 1329. Cuſpinianus in Ludouico p. 467. 36. Auentinus 7. annal. Boior. paſſim, Andreas presbyter Ratiſpõ. p. 76. 3. Iohan. Bertelius hiſt. Luxemburg. p. 55. §. 2. Hieron. Balbus de coronat. p. 64. f. Bellar. in chronolog. Bozius 12. ſign. Eccleſ. 5. & in indice, Polydorus Verg. 3. hiſt. Angl. an. 1337. f. pag. 367. v. 32. Corius an. 1325. Platina in Iohanne 22. ante m. Boſſius an. 1328. Cyprianus Manens 2. hiſt. an. 1328. §. 3. Petrus Maturus in Antonini p. 3. t. 21. c. 5. §. 10. Serarius Mogunt. p. 855. poſt m. bis, & rur-

rursus p. 856. ante m. Genebrardus chronolog. Philippus Valesius Rex Galliæ cum suis, Eduardus III. Rex Angliæ cum suis, vt p 712. f. 760. post m. & anno 1341. in epistola Eduardi ad Ludouicum docuimus. Extant literæ autographæ in monasterio Etal, in quibus Ludouicus dicitur Romanorum Imperator ab Austriacis, videlicet à Friderico Rege Romanorum an. 1442. à Maximiliano Rege Romanorum an. 1504. à Ferdinando Principe & Infante Hispaniæ an. 1524. à Maximiliano Archiduce an. 1605. ac præterea à Sigismundo Imperatore, non Austriaco sed Bohemo an. 1436.

34. Iam Cæsaris nomine quod plerunq; non minus quam Imperatoris valet, eundem Ludouicum cohonestant, Mutius p. 229. 46. & 48. Gerardus de Roo, 3. hist. Austr. p. 98. post m. Dubrauius l. 21. f. pag. 176. 35. Iouius in Galeacio p. 93. m. 97. post m. 99. post pr. & sæpe alias, Leander Lombard. transpad. p. 674. v. penult. Marcus Guazzus chron. vir. ill. pag. 259. fac. 2. post m. Forstardus 1. hist. p. 21. §. 3- Masson. in Iohanne 22. ante m. Cromerus Polonus ex Wenceslao Hageco, l. 12. Polon. p. 205. col. 2. post m. & suo nomine p. 206. col. 1. post m. & 210. col. 2. m. & post m. *Quo*, inquit, *imperante, in plerisque Italiæ Vrbibus noui tyranni extitere. Qui postea ducum & marchionum titulis, indulgentibus Pontificibus, sese cohonestarunt.*

35. Con-

P.410. §. antepen. P.408.v. 34. 35. Continuatores Steronis Ludouicum vocant Regem, vtique Romanorum, cùm ante dixerint eum electum in Regem Romanorum; Fridericum verò non vocant Regem. Idem facit de vtroque Trithemius. *In Hirs. & Sponheim. passim.* Rebdorfius etsi Ludouicum nec Regem nec Imperatorem vocat, quibus quidem nominibus antecessores Ludouici appellarat; tamen numerat annos regni eius (non item Friderici) passim, & sic regem (Romanorum vtiq;) agnoscit. Argentinensis similiter antecessores Ludouici reges vel imperatores nominare solitus, Ludouicum ante electionẽ ducem, post honorificentius principem (non item Fridericum) passim vocat. Et *Pag. 126. v. 2.* quidem aliquãdo vocat Romanorum principem; ex quo etiã alijs in locis non alio sensu Ludouicum principem scribere censendus est, præsertim cum eum p. 129. v. 1. etiã Imperatorem, eius vero vxorem Imperatricem vocet, p. 128. 40. 135. §. vlt. sæpe. Denique p. 129. v. 5. 141. m. distinguit annos Regni & Imperij Ludouici, atque ita Regem & Imperatorem agnoscit, quamuis cũ Rebdorfio inuidiæ declinandæ plerumq; nominare sic noluerit, quod non à Iohañe sed Nicolao fuisset coronatus.

36. Ludouicum & Fridericum Imperatores vocant, Messias hist. imp. Hispanica, p. 626. post m. 627. prope pr. (sed fauet Friderico & electionem eius dubiam facit, vt ad an. 1314. ostendimus) Bossius

ſiusan. 1314. in marg. Guazzus p. 259. fac. 2. f. (ſed P.52.n.p.
Ludouicum à quatuor, Fridericum à tribus electum ſcribit) Dolionus an. 1318. qui in electione quoque cum Guazzo conuenit: Mutius verò p. 225. ait de Ludouico & Friderico, *Erant per Germaniam omnium animi ſuſpenſi expectatione duorum Imperatorum.* Sed ſequitur Argentinenſem de electione, & cum ſeparatim de eis loquitur, Fridericum non niſi Imperatorem electum vocat, Ludouicum verò plerunque abſolutè Imperatorem, vt patet p. 226. v. 24. 35. 46. 227. 39. 52. 55.

37. Ludouicum & Fridericum Cæſares vocant, Onuphrius 3. Rom. princip. p. 217. ante m. Mireus an. 1323. f. Pantaleon part. 2. p. 314. poſt m. 316. §. 2. Dubrauius p. 164. 32. (ſed Ludouicum à quatuor, Fridericum à tribus electum dicit) Gerardus de Roo 2. hiſt. Auſtr. f. pag. 92. 4. & l. 3. pag. 98. poſt m. qui vltimus in electione Cuſpinianum ſequitur.

38. Vtrumque regem vocat Corius anno 1313. & Serarius p. 851. poſt m. Sed ille Ludouicum à quinque, Fridericum à duobus; iſte Ludouicum à quatuor, Fridericum à tribus electum tradit.

39. Solum Fridericum Cæſarem competitorem Ludouici vocat Ciaconius in Iohanne XXII. p. 697. B. quod Papa Friderico fauiſſet.

MmM 40. Clau-

40. Claudat agmen Bzouius, qui Ludouicum maiore, quam omnes memorati ſcriptores, honore afficit, quando eum vno anno prius, quam ele-
N. XI. ctus fuit, Imperatorem facit. Sic enim tomo 13. ſcribit, *Flagellantium hæreſis circa annum Domini 1313. ſub Imperio Ludouici Bauari inualuit.* Nondum videlicet viderat, quàm neceſſarium foret Ludouicum omnibus machinis oppugnare, vt aduerſarios eiuſdem propugnaret. Itaque tomo 14. mutauit ſtylum, atque anno 1314. & ſequentibus vſque ad annum 1346. nullum poſuit Regem vel Imperatorem Romanorum, quod Fridericum ſciret non fuiſſe approbatum ſeu confirmatum à Papa. At in fine huius tomi, oblitus ſui, Fridericum ponit inter reges Romanorum, & ait regnaſſe annos 15. menſ. 11. dies 27. cum reliqui hiſtorici ferè Ludouicum in conſignandis temporibus Imperatorem ponant, nullus quod ſciam niſi Bzouius, ſolum Fridericum regem Rom. Notanda eſt etiam gradatio Bzouij, nam an. 1319. IV. Fridericum vocat Imperatorem electum, vt & an. 1320. III. in margine, vbi tamẽ paulò poſt abſolutè Imperatorem vocat, quod poſterius etiam facit in indice v. Henricus Friderici Imperatoris frater.

Col. 1023. XXXII. §. 2 41. Bzouius. *Inſuper, vt Rebdorfius memorabat, abſolutionem ſententiarum, in fautores & adhærentes Ludouico extincto in Alemania latarum, Ar-*

chie-

chiepiscopo Pragensi & Episcopo Bambergensi in solidum commisit: cum hac conditione, vt clerici & laici qui absolutionem postularent, solenniter ex forma commissionis data à sede Apostolica iurarent. 1. Se credere quod non spectat ad Imperatorem Papam deponere, & alium creare: & oppositum esse hæreticum. 2. Nulli deinceps vt Imperatori se velle obedire, nisi prius foret per Ecclesiam approbatus.

42. Bzouius ex Rebdorfio mandata Bambergensi & Pragensi Episcopis data memorat. Quid verò in eorum executione contigerit, tacet, quia ad Ludouici Imperatoris laudem pertinet. De quo sic Argentinensis, *Visa autem forma huiusmodi dura, omnibus displicente, aliqui consuluerunt eam non acceptandam esse per Regem, sed occultandam, & pro alia forma Papæ scribendum. Sed quia timor erat Basilienses non iuraturos Regi, nisi reformarentur diuina, rescriptum oportuit exhiberi. Cùm autem ciues nec errores vellent fateri, nec secundum formam iurare, clerus autem quasi pœnitens quod cessauit, etsi non tam occasionem quæreret celebrandi, animo nunquam mandata similia receptandi: ecce comparuerunt Magistri & Consules Basilienses coram Rege, & prædictis Episcopis & multis de capitulo Basiliensi: coram quibus Chunradus de* **Berenuels** *magister ciuitatis nomine vniuersitatis vulgariter coram tabellione proposuit in hæc verba, Domine Bambergen-* Pag. 142. v. vlt. Basiliensium constantia.

 sis,

sis, sciatis, quod nec fateri nec credere volumus, quod quondam dominus noster Ludouicus Romanorum Imperator vnquam fuerit hæreticus. Quemcunque etiam nobis dederint Principes Electores, vel maior pars ex eis, pro Romanorum Rege vel Imperatore, illum pro tali habebimus, etiamsi nunquam Papam requiret: nec quicquam aliud faciemus, quod sit contra iura Imperij quouis modo. Sed si habetis potestatem à domino Papa, quod vultis nobis remittere omnia peccata nostra, placet. Et conuertens se ad populum, dixit; Datis mihi & Chunrado Monacho potestatem petendi vt absoluamini à peccatis vestris? Qui dicebant: Placet nobis: nec aliud procuratorium habuerunt. Qui duo milites seorsum coram Secretario Papæ, Ioanne de Pistorio præsente iurauerunt secundum mandati formam: sícque relaxatis processibus diuina publicè sunt reassumpta, ciuésque regi solitum præstiterunt iuramentum, scilicet quod ius suæ aduocatiæ seruarent. Basiliensis quoque Episcopus Ioannes Senna, & Abbas Morbacensis de regalibus suis solenniter inuestiti sunt. Ciuitates autem, præsertim Argentina, exasperatæ fuerunt propter formam huiusmodi.

Et Argentinensium atq; aliorũ.

43. Eadem fere Mutius[a], qui [b] addit, *Vrbes à Basiliensium omnium ore cantata magnanimitate exemplum sumpserant, nec iurare nec agnoscere errores hæresimue volebant. Absoluebantur autem ple-*

a l. 25. p. 245. v. 3.
b v. 46.

pleraque sine iuramento illo & confeßione quam exigebat.

44. Sed pergat Argentinensis, *Postea rege veniente Wormatiam circa Vesperas conuenerunt clerus & consules ciuitatis, & quasitum est à Clero, num vellent absolui? quid sentirent de proceßibus? Qui cum è contra quarerent à consulibus quid ipsi sentirēt: illísque dicentibus, se de illis nihil sentire, clerúsque diceret idipsum, animo nihil faciendi ab inuicem recesserunt. In crepusculo verò Collegia constituentes procuratores, singulares verò curati & clerici per se ipsos, & religiosi per procuratores, iuramentis prastitis, per Bambergensem absoluti fuerunt. Et cùm manè populus more solito vellet audire diuina, clerúsque nollet coram populo celebrare, factus est tumultus: clausísq; portis omnibus, populus ad hospitiũ regis, ad quod Bãbergensis cõfugerat, armatus acceßit: Ipséq; Bambergensis mandante rege territo, omnem clerum & populum Wormatiensem sine omni conditione & iuramēto absoluit: & statim omnis clerus, religiosus & secularis, contra iuramentum serò prastitum, publicè diuina resumpsit. Posthac rex iuit Moguntiam, vbi sub pacto ne introduceret Gerlacum prouisum Papa, vel aliquas legi literas permitteret, honorificè est receptus.* Pag. 143. §. v t. VVormatiensium. Moguntiensium.

45. Bzouius. *Henricus, Moguntina sede à Clemente deiectus Comitis Cunonis Falckensteinij & Wittembergensis, quē sibi datis quibusdã Moguntinis* Col. 103. n. XXXV.

nis arcibus & oppidis, velut quendam fidum Achatem deuinxerat, adiutorio fretus, ausus est Ludouico successorem nominare Edouardum Angliæ regem: deinde cùm is abnueret, Fridericũ Misnensem Marchionem Ludouici generum: denique cum & is non grauatè siue pecunia Caroli corruptus, siue potentiam eius submetuens, honorem hunc posthaberet, Guntherum Schuuarzenburgensem, quem & Aquisgrani postmodum coronauit: cum Adolphum Comitem Palatinum Rheni, Othonem & Ludouicum Brandeburgens. & alios Bauariæ principes in suam sententiam adduxisset. Multa præterea Henricus non tantùm contra Carolum tentauit, sed etiam aduersus fidem orthodoxam & scripsit & dixit: causámque Clementi Pontifici dedit, vt is Præposito S. Victoris extra muros Moguntinos, nec non S. Mauritij & S. Ioannis Moguntini Scholasticis commiserit, qui apud sedem apostolicam illi diem dicerent, vt ibidem super articulis fidei responderet. Dedit ea de re literas 2. Id. Febr. anno 6. Serrarius Mogunt. lib. 5. Trithem. in chronico vtroque.

46. Pronunciatum I. *Reliquos Edoardi, Friderici & Guntheri Electores ab Henrico Moguntino in suam sententiam abductos.* At Argentinensis contra docet, Moguntinum & Brandenburgensem à Ruperto (qui auctore Trithemio etiam Adolphus dicebatur) Palatino adductos in suam sententiam,

Pag. 145. v. 40.

In Sponb. an. 1347. §. 2.

sic

sic enim ait, *H. Moguntinus, Ludouicus marchio Brandenburgensis, Rupertus Palatinus, cui in hoc alij duo consenserant, & Ericus dux Saxoniæ, cui ex successione patris sui senioris, Rodolpho* * *duci ius eligendi competere dicebatur, quamuis Rodolphus Caroli elector quædam dominia, quibus principatum annexum asserit, se habere prætendat, de eligendo rege alio, cum electionem Caroli irritam asserant, concordarunt. Missísque per eos pluries solennibus nuntiis ad Eduardum Angliæ regem, sibíque electione oblata, remissísque per eum nuntiis literísque, sibi sub castro Lonstein, de non variando, sub sigillis ipsorum Principum assignatis, eóque deliberationem suã diutius protrahente, eò quod inter ipsum & Francum tractabatur de treugis: Francóque sciente Anglum electionem Romani regni appetere, & ob hoc (ne crescat eius potentia) treugas alias sibi gratissimas, recusante: Anglóque propter litem cum Franco in festo beati Ioannis Baptistæ renouatam de electione de ipso facta intromittere se nolente: cum literis sibi desuper datis, remissis, principibus rescripsit, se iisdem Principibus fauoris sui auxilium polliceri. Quo facto, ijdẽ Principes Electores vocato Friderico Marchione Missenensi, abnepote quondam Friderici Imperatoris ex filia eius, genero prædicti Ludouici Principis defuncti, in principio mensis Iunij in Kans Bauariæ conuenerunt, vbi inter eos actum est, quòd idem marchio*

* Lege, non Rodolpho

pradi-

prædictam Beatricem, olim Imperatricem, in vxorē duceret, & de Romano regno ad eorum electionem intromittere se deberet. Oppidum quoque Nurenberg eiectis potentioribus Regis fautoribus, dicente populo, se non consensisse in regem, Marchionem de Brandenburg, pro rege acceptauit.

47. Pronunciatum II. *Fridericus siue pecunia Caroli corruptus, siue potentiam eius submetuens, honorem hunc posthabuit.* De pecunia certum est, & ab Argentinate[a], Trithemio in vtroque chronico, Cuspiniano in Carolo IV[b]. Nauclero anno 1348. Mutio[c] asseueratur: cur ergo tu velut ambiguum scribis? *Posthæc*, inquit, *Argentinas Marchio Missenensis desistens à proposito, receptis à rege Carolone x. millibus marcis, facto sibi homagio & excepto ne contra filios defuncti Principis faceret, à rege ipso feudorum Imperialium inuestituram accepit: quamuis enim iuuenis, arthritico tenebatur, & infra biennium moritur.* Porro si Carolus, vt tu cum Trithemio indicas, Fridericum largitionibus corrupit; certè cōtra ius fásque viuente Ludouico rex Romanorum electus fuit; alioquin vexationem, vt aiunt, absque vllis corruptelis meritò redemisset.

[a] P. 146. §. 2.
[b] P. 476. v. vlt.
[c] P. 246. 14.

48. Pronunciatum III. *Guntherus fuit electus & Aquisgrani coronatus.* Iterum incomparabilis chronologus nouam chronologiam cudis. Cur huius electionem ad hunc annum refers, cum Trithemius

themius tuus & Nauclerus ad sequentem 1348. Argentinensis verò & Rebdorfius [a] fide digniores & Cuspinianus [b] ad 1349. Mutius vero ad 1350. referat, *Guntherus* inquit Argētinas,[d] *Comes de Schuuarzenburg Thuringiæ, ætatis circa* XLV. *annorum, vir robustus, bellicosus, strenuus & prudens in bellis: qui in seruitio Henrici Moguntini & quondam Ludouici Principis plurimum laborauit, quiq; in pluribus cōflictibus feliciter præualens propriis, capiendo & talliando Barones, plurimum est ditatus, à Principibus Carolo contrariis, vt se intromitteret de regno, rogatur. Qui primò renuens, tandem eo pacto annuit, si in Franckfurt per Principes & nobiles sententiatum fuerit, vacare regnum & Imperium, maiórque pars Principum, qui similiter per sententiam declarati fuerint ius habere, ipsum absque omni Simonia elegerint propter Deum, dicens, se expositurum periculis pro Deo & imperio corpus suum. Hoc facto, cum exercitu suo in campo se posuit iuxta Franckfurt, feria sexta post Hilarij, anno M. CCC. XLIX.*

Conuenientibúsque inibi Principibus quatuor, & multis aliis Baronibus, & per sententiam decreto, Imperium vacare, & eisdem quatuor competere ius eligendi: electus est in Purificatione, per Henricum Archiepiscopum Moguntinum, Ludouicum marchionem de Brandenburg, Rudolfum de Bauaria palatinum Rheni, annuēte Ruperto suo fratre, & capto

a P.445. vbi vitiatus est numer' anni.

b In Gunthero pag. 481. 36.

c Pag. 247 10.

d Pag. 150 §. pen.

tum Ruperto fratrueli eorum, & Ericum ducem Saxoniæ, in regem Romanorum. Huic etiam Erico, tanquam filio fratris senioris Rudolphi Ducis, electoris Caroli decernebatur ius eligendi habere. Cúmque idem Guntherus per sex hebdomadas potenter iacuisset in campis Franckfurt, more regio per eandem ciuitatem est receptus. Aliaq́ ciuitates in Wederaugia, eum similiter receperunt.

Intelligens autem Carolus Guntherum iacere in campo, ad Rhenum se transferens, Treuerensem, & Coloniensem archiepiscopos, Leodiensem episcopũ, Ducem Brabantiæ & alios Principes amicos alloquitur. Scribẽs etiam Baronibus & ciuitatibus quæ eum receperant, pro subsidio, & quod in villa Castel, ex opposito Moguntiæ, castrametari vellet, dominica Esto mihi: ad quos locum & terminum Guntherus quasi in derisum torneamentum indixit.

Carolus autem quia fuerat viduus, tractauerat cum Rudolfo de Bauaria Palatino, qui Guntherum elegerat, de sponsalibus cum filia Rudolfi Palatini, quæ vnica fuerat filia ex matre de Carinthia, & duxit eam vxorem: quamuis ipsi duo Carolus & Rudolfus, quondam Rudolfi regis pronepotes fuerant, ipséque Rudolfus & quondam vxor eius mater spõsæ, similiter fuerunt eiusdem Rudolfi regis pronepotes, super quo nunquam dicitur fuisse dispensatum: matérq́ sponsæ & sponsus similiter liberi duarum sororum

rorum fuere. Cum autem Carolus pro tunc Guntherũ præ potentia sua sibi adhærentium, inuadere non posset: indixit Colloquium Spiræ, ad dominicam Lætare tunc sequentem, de villa Castel recedendo. Cúmque Spiram venisset, conuenientibus ibidem Treuerensi, Gerlaco Moguntinensi, Eberhardo Comite de Wirtenberg, multísque Baronibus & ciuitatum nunciis, cum speraretur Guntherum in vicino venturum, pro concordia inter electos tractanda, prout Principes ipsi Finthero scripserant: ipse scriptum spernens, castrum Frideberg obsedit, cuius castrenses sibi rebellabant: & tandem vicit. Post hæc in principio Maij infirmante Gunthero in Franckfurt, magister Fridanckus famosus medicus, & Comitibus de Nassouue antiquitus familiaris, cum Gunthero potionem dedisset, quam asseruit eidem expedire, eam (licet inuitus) ad mandatum Guntheri primò tentauit & probauit, ipso præsente. Posthæc Guntherus eam sumpsit. Statim medicus in facie incœperat decolorari, & infra triduum moriebatur. Guntherus inflatus, quò ad valentiam corporis statim inutilis est effectus, & creditur famulum medici iniecisse potioni venenum.

49. Qua autem ratione tandem Guntherus Imperio & vita cesserit, idem Argentinas sic prosequitur, *Veniens Marchio de Brandenburg sine gente, habitis tractatibus cum rege Carolo de concordia, videns etiam Guntherum factum inualidum: nego-* P.125.§.5

tium inter eos comportauit, ita quòd Gunthero pro renunciatione iuris suæ electionis, datæ sunt viginti duo millia marcarum argenti, & duo oppida Thuringiæ imperialia, pro tempore vitæ suæ. Quod ipse Guntherus, licet infirmus, difficulter consensit: si sanus fuisset, nullatenus consensisset, de Principum suorum electorum, specialiter Bauarorum, perfidia multa conquerendo. Obiit autem ipse Guntherus post comportationem huiusmodi infra mensem, in Franckfurt, & in ecclesia parochiali ibidem, præsente rege Carolo, fuit cum lamentatione sepultus. Quo sepulto, Francofordenses in perpetuam memoriam, solenne vt decet regem, fecerunt sepulchrum. Hæc ille.

P.445.20 50. Paulo aliter Rebdorfius, *Stante*, inquit, *vtroque exercitu*, Guntheri scilicet & Caroli, *superuenit Luduuicus Marchio Brandenburgensis cum pauca gente, qui familiariter & honorifice à Carolo susceptus interponit se inter Reges prædictos, & concordat eosdem, ita quod ille de Schuuarzenburg titulo suo regali voluntariè renunciat, promissa sibi magna pecuniæ quantitate pro expensis. Ipse etiam Carolus prædicto Marchioni Comitatum Tirolis & omnem terram quam tenuit in Alpibus concessit, & apud Dominum Papam obtinere promisit dispensationem super matrimonio cum filia Ducis Carinthiæ, vxore Ioannis fratris Caroli qui adhuc vixit, per ipsum*

ipsum de facto contracto, & quæ attinebat Luduuico prædicto in tertio gradu, ac multos alios casus apud sedem Apostolicam & alios terminare promisit, quorum tamen nullum terminauit. His & alijs pactis interpositis Karolus & Ludvvicus prædicti facti sunt amici, super huiusmodi compositionis negotio Carolus solennem ambassatam proponit dirigere ad dominum Clementem Papam, sed hæc legatio nullum sortiebatur effectum. Hac igitur compositione facta præfatus Guntherus de Schuuarzburg ex præmissa infirmitate mense Iunio sequenti obiit (prout dicebatur) sepultus in Frankenfurt. Et etiam Carolus in Frankenfurt venit, vbi illæ tres ciuitates Wechabiæ quæ prius contra ipsum fuerant, eidem vt regi obediunt.* *f. VVetterania.

Hæc Rebdorfius. Te Serarius oscitãter inspectus fefellit, cum Ludouici obitum anno 1347. memorauit, ac mox electionem Eduardi, Friderici & Guntheri subiecit. Verùm is accuratam temporum rationem non seruat, cùm etiam Caroli IV. electionem anno 1346. peractam subiungat. *5. Mogunt p. 857. post m.*

51. Pronunciatum IV. *Moguntinus Adolphum, Ottonem & Ludouicum Brandenburgensem, & alios Bauariæ principes in suam sententiam adduxit.* En aliud Bzouianæ in describendo Trithemio diligentiæ specimen. Trithemius in Hirsaugiensi ad annum 1347. scribit hoc modo, *Mortuo Imperatore Ludouico statim conuenerunt Henricus Ar-* *§. 2. in m.*

chiepiscopus Moguntinus, quanquam (vt prædiximus) à Papa depositus, Adolphus comes Palatinus Rheni, Otto qui & Ludouicus marchio Brandenburgensis, & cæteri Bauariæ Principes, qui consilio inter se habito Eduardum Angliæ regem ad Romanum imperium contra Carolū vnanimiter elegerunt, &c. Deinde in Sponheimensi ad eosdem annos eadem repetit, nisi quod vnius præterea ducis nomē
An. 1347 §. 2. exprimat, *Conuenerunt*, inquit, *Rupertus Comes Palatinus Rheni (qui & Adolphus dicebatur) Ludouicus Dux Bauariæ, filius defuncti Imperatoris, Otto Marchio Brandenburgensis, & Henricus Archiepiscopus Moguntinus* &c. Ludouicus porrò quem hîc recenset, cognominabatur Romanus, vt idem Trithemius in Hirsaugiensi declarat cum
An. 1347 §. 2. ait, *Reliquit Ludouicus Imperator filios sex, videlicet Ludouicum (qui & Otto) marchionem Brandenburgensem natu seniorem; Ludouicum Ducem cognomento Romanum, quia Romæ natus fuerat* &c. Iam Bzouius prodigiosa memoria fretus sua, & cōfundenda distinguere & distinguenda confundere solitus, omisso Ludouico Duce cognomento Romano Ottonem nominat, & à Ludouico Brandenburgensi Marchione distinguit, quem Trithemius vnum eundémque fuisse tradit.

52. Pronunciatum V. *Multa præterea Henricus aduersus fidem orthodoxam & scripsit & dixit* &c.

&c. An hæc Clemens scripserit, Deus nouit: Serarius certè & Trithemius non scripsere.

53. Bzouius. *Sex mensibus ante Ludouici Bauari obitum, ex hac etiam vita migrauit Monachij ille omnium incentor malorum Willelmus Ocham, Anglia ortus, in adyto templi Franciscanorum, vnà cum consectariis Bonagratia Bergomate, & Michaele Casenatico, hæreticis & schismaticis tumulatus. Conradus Maidenburgensis Parochus & mysta Reginoburgensium, illius & Luitpoldi Bambergensis Episcopi pestilentissimis libris respondens multa ad Carolum* IV. *Imperatorem præfatus, Willelmum authorem scelerum, cultorem tenebrarum, hæresiarcham & deprauatorem tum Philosophiæ, tum Theologiæ nuncupauit, qui suis argutiis ineptissimis nobilissimæ simplicitati Ludouici Principis alioqui natura optimi imposuerit: vt quicquid is in Romanā Ecclesiam peccauerit, authore atque consultore Occhamo commiserit. Sathanæ calamo ea scripta, libenti oculo legunt & impudenti temeritate laudant omnes hæretici, quod is hominum petulantissimus, fidei Catholicæ, & modestiæ non tantùm religiosæ, verum etiam Christianæ oblitus, à nullo scurrilitatis, maledicentiæ, & blasphemiarum genere abstinuerit, quominus iis Pontificiam dignitatem proscinderet. Franciscanorum plurimi cum illius scripta tutarentur, Religionem Minoritanam in tantum discrimen adduxerant, vt* Col. 1031. XXXVI.

de illa, quemadmodum ante aliquot annos Templariorum, extinguenda Ioannes Pontifex seriò cogitauerit: nec nisi Diui Francisci tam admirandæ sanctitati ne vniuersam extirparet, concesserit. Annal. Boiorum lib. 7. & Annal. Francisc. p. 3.

54. Pronunciatum I. *Conradus Maidenburgensis Ochamum, deprauatorem Theologiæ nuncupauit.* Ego Bzouium deprauatorem historiæ nuncupo, qui pronunciatum hoc suum Conrado tribuit, quod eidem tamen nec Auentinus[a], nec Annales Franciscanorum [b] tribuunt.

a P. 716. post m. b Part. 3.

55. Pronunciatum II. *Eiusdem Conradi opinione Ochamum suis ineptissimis argutiis Ludouico imposuisse.* Mea opinione Bzouius suis ineptissimis annalibus cum passim alibi, tum hoc loco lectori imponit, non Ochamus Ludouico, vt sequente pronunciato planum fiet. Vox *ineptissimis* auctarium est Bzouij.

56. Pronunciatum III. *Vt quicquid Ludouicus in Romanam Ecclesiam commiserit, authore Ochamo commiserit.* Atqui non solum Conradi, sed etiam Bzouij iudicio nihil Ludouicus in Romanam Ecclesiam commisit grauius, quam quod Iohannem Pontificem gradu deiicere & Nicolaum ei substituere sit aggressus: hoc autem non fecit auctore Ochamo, nondum enim tum is à Pontifice ad Imperatorem se contulerat, vt non vno loco supra ostensum.

P. 223. v. 2. 525. §. 1 & 2.

57. Pro-

57. Pronunciatum IV. *Ochamum modestiæ non tantùm religiosæ, verum etiam Christianæ oblitum.* Vtrum talis fuerit Ochamus, nescio, quia scripta eius non peruolutaui: Bzouium certè, cuius libros hincinde inspexi, talem esse oculatus testis affirmo. Cætera quæ hìc Bzouius pronunciat, examinare non placuit, nisi quod Luitpoldi Bambergensis de iuribus imperij librum vocat pestilentissimum, de quo honorificam censuram supra ex Bellarmino & Trithemio attulimus. P. 741. f. 743. n. 28

58. Bzouius *Per idem tempus extinctus est Vlricus Hangenohe, scrinij apud Ludouicum præfectus, homo omnium procacissimus, quo in scribendis dicacissimis aduersus Pontifices epistolis vsus est. Hic effossi corporis contumeliam submetuens, testamento cauit, ne in templo sed extra humaretur. Jnuenit, qui æthiopem lauaret. Hainricus à Schöneck Augustanus Episcopus Ludouici Sectarius, in templo eum magnifice cōdidit, hostis ex aduerso Pontificis Clementis, meritò ab eo diris deuotus. Annal. Boior. lib. 7.* Col. 1032 XXXVII.

59. Consuetæ tautologiæ, obliuionis & rerum ac temporum confusionis das specimen, cùm repetis Vlrici Hagenohe (vt tu loqueris; Hagenohr vt Auentinus) obitum ex Annalium Boiorū libro 7. quem iam anno 1335. mortuum dixeras, & Hagenauuer ac Groildonis perperam vocaras, vt ibidem adnotauimus. Anno item 1333. Vdalricum N. XVI. N. IX.

Augu-

Auguſtanum Ludouici Cancellarium cum Vdalrico Epiſcopo Auguſtano confuderas, quem hoc loco ab eodem diuerſum facis.

60. Atq; hæc pro Ludouico Imperatore contra Bzouium dicta ſunto, nam viuentis Ludouici aduerſarios intactos reliquimus, niſi ſi quando eos pro ſcuto aut haſta Bzouius obiecit. tum enimuero vel ab inuitis tangi neceſſe erat: hãc illi gratiam Bzouio debent. Nobis quidem certè nec Bzouium vnquam aggredi placuiſſet, niſi ipſe Ludouicum falſis obruere criminibus, illuſtrem Ludouici progeniem multifaria labe laboraſſet aſpergere.

61. Libet ergo hoc loco abiungere, non inuito vt arbitror *Bzouio*, qui ſine dubio laſſior eſt quã ego, quamuis & mihi calamus torpeat per tot ſalebras *Bzouianæ* inſcitiæ decurrens. Fuit tamen cauſa vt vel fatigatum propellerem, ob continuas & moleſtas vexationes Bzouij, qui Ludouicum Cæſarem magis hoſtem iudicauit, quam olim Ioannes Pontifex; atque hinc omnibus viribus in eum iuit, quáque licuit volubili penna per iniuriam Bauarum nomẽ inuaſit. Dediſſet ſaltem quietem piis manibus, nec inceſtaſſet verendum à tribus iam ſæculis Cæſareum ſepulcrum: quanquam in ſublimes obtrectationi non multum virium eſt; quid enim clamor aduerſus Lunã, Lunã obſcuret? Viuit Ludouicus etiam poſt buſtum & pro merito

audit

audit Catholicus, pius, iustus, fortis, strenuus ac victoriis inclytus. Viuit etiam post hæc Bzouij conuitia, qui in summo maleficio hoc beneficij Ludouico præstitit, vt inter tot criminationes innocentior sit & videatur. Viuat igitur & in reliquas ætates, viuant & Serenissimi eius posteri longissimam vitam, ne nos Ciues, qui ab illis pendemus, breuiorem viuamus.

FINIS.

